CONC NAZ
PROV. DIOC
162
B
19.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
19
NAPOLI

DECRETA

IN PRINCIPE DIOECESANA

SYNODO

Quam Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus
FR. D. MICHAEL ANGELVS BONADIES
Epiſcopus Catanenſis, Comes Maſcalarum, Regius
Conſiliarius, almi ſtudij Cancellarius, & ex Ge-
neralis totius Ord. S. Franciſci.

Celebrauit Catanæ die 11. 12. *&* 13. *Maij* 1668. *Præ-
ſulatus ſui anno tertio. Ad Cultum diuinum promo-
uendum, & mores præſertim Eccleſiaſticorum refor-
mandos, iuxtà Sacroſanctam Concilij Tridentini,
Summorum Pontificum, & nouiſſimam Sacrarum
Congregationum Normam.*



CATANAE, In Palatio Epiſcop. Apud Ioſephum Biſagni 1668.
*Impr. V. I. D. D. Fidericus Terremutus Vic. Gen. & ex parte Spect.
de Daynotto F. P. M. R. C.*

FR. D. MICHAEL

ANGELVS BONADIES

Epiſcopus Catanenſis, Comes Maſcalarum, &c.

IAM Inde (dilectiſſimi Filij) à primo noſtri in hanc Diœceſim aduētu curas omnes, & ſtudium ad cultum diuinum promouendum, moreſque præſertim Eccleſiaſticorum iuxtà Tridentini Concilij normam reformandos contulimus; atque cū ab hac præexcelſa ſede, ad quam licet immeritos Dei Opt. Max. Sedis Apoſtolicæ, & Catholici Regis Gratia promouit, tanquam è ſpecula nobis demandatum gregem circumſpexerimus, ea tandem penitus inſedit animo ſententia, vt nihil magis expediens, imò neceſſariū eſſe iudicauerimus, quam Diœceſanam Synodum quadraginta quinque annorum votis expetitam cōuocare; quod tùm demum nobis perſuaſiſſimum planè fuit, vbi Diœceſim ipſam diligenti Viſitatione luſtrauimus; ac non ſine ingenti dolore aduertimus quamplures à noſtris Prædeceſſoribus ſanctas leges non modo obliuione obrutas, ſed & vetuſtate deletas, aliàs miniſtrorum negligentia, vel conniuentia, aut effræna ſubditorum libertate in deſuetudinem abijſſe, nonnullas obſoletis permixtas abuſibus; cunctas denique ſumma confuſione inuolutas; quapropter audito nuper Patrum ſynodalium

dalium ſenſu, & à longa docti experientia, atque non paucis magni nominis Præſulum codicibus perdiligēter obſeruatis, quantum in nobis fuit curauimus ne quid in hac noſtra Synodo deeſſet, quod pro ſubiecta materia, vel œcumenica Concilia ſanxerint, vel Sacri Canones, & Iura præceperint, aut aliorum Synodales induſtriæ excogitarint, & edixerint: mirum igitur ne videatur ſi præter morem opus excreuit; non enim quod in antiqua Catanenſi, cæteriſque Synodis deſiderabatur noſtræ ſuper addi potuit ſine incremento; nec paucis reſtringi diuerſæ cuiuſque generis hominũ leges, & inſtitutiones debuere cũ multa ſenſuum confuſione, & cõſcientiarũ anguſtijs, quæ Eccleſiaſtico in primis Legiſlatori, & Præceptori euitanda ſunt. De Scriptore innuere hic non omittendum eſt; nos ſcilicet ad hoc perquam laborioſum opus conficiendum, vnicè adhibuiſſe ſtudium, & induſtriam P. Franciſci Intorcetta è Soc. Ieſu noſtri Theologi Conſultoris ordinarij, cui id muneris à Prædeceſſore noſtro Eminentiſſimo Cardinali Aſtallio iamdudum deſtinatum eſſe pulchrè calluimus. Quod reliquum eſt Vos omnes Cariſſimi filij hortamur, atque in viſceribus Ieſu Chriſti Domini noſtri obteſtamur vt tales voſmet factis ad laicorum exemplar exprimatis, quales nos animo peramante concepimus, & ſcriptis adumbrauimus. Valete.

IN

IN NOMINE
SANCTISSIMAE,
ET INDIVIDVÆ
TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI Amen.

NOS Fr. D. Michael Angelus Bonadies, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Catanenſis, Comes Maſcalarum, Regius Conſiliarius, atque almi huius ſtudij Cancellarius, Ad Dei Optimi Maximi, & Deiparæ Virginis ſine labe conceptæ, ac Diuæ Agathæ Virginis, & Martyris Catanenſis Patronæ noſtræ gloriam, ad Diuinum cultum promouẽdum, & mores præſertim Eccleſiaſticorum moderandos iuxtà Sacram Tridentini Concilij normam. Hæc omnia, quæ ſequuntur, in hac principe noſtra Diœceſana Synodo decernimus, ſtatuimus, atque omninò obſeruari iubemus.

SESSIO PRIMA.

DE IIS, QVÆ AD DIVINVM CVLTVM immediatè ſpectant: nempè de fide diuina, Doctrina Chriſtiana, ſanctis Sacramentis, & ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.

DECRETVM PRIMVM

DE FIDE CATHOLICA.

PRINCEPS, quod Deo Optimo Maximo obſequium præſtare poſſumus, eſt fides; quam Tridētinum 1 ex Magiſtro gentium dixit eſſe humanæ ſalutis initiū, fundamētum, & radicem omnis iuſtificationis ſine qua noſtrum quemcunque cultum, impoſſibile eſt placere Deo 2; Ideoque huius primæ partis Synodi, quæ eſt de cultu diuino promouendo exordium ducere decreuimus à fide; vt autem quam corde 3 credimus, ad iuſtitiā, ore confiteamur ad ſalutem præmittere oportet formam profeſſionis fidei, quam Patres antiqui in ſacratiorum conciliorum veſtibulo profitebantur, inſtitutam quidem à ſacro Concilio Niceno, à Tridentino approbatam, & à Pio IV. Summo Pontifice omnibus fidelibus, ſed in primis ijs, qui ex dignitate aliqua, beneficio, vel officio publicam facere tenentur propoſitam, atque præſcriptam; ea verò eſt tenoris ſequentis, quam Tridentini decreti, atque Sanctorum Patrum veſtigijs inhærentes

1. ſeſſ. 6. c. 8 de iuſtific.

2 ad Hebr. 11.

3 ad Rom. 10.

tes quotquot ad hanc primam noſtram Synodum conuenimus, genibus flexis, & quanta poſſumus maxima deuotione profiteamur.

Cap. I.

FORMA PROFESSIONIS FIDEI.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sãcta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium; Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas; Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnũ Baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque

ciuſ-

eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam vnquã, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet nõ omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiã conferre: Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridẽtina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis. Atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia, tranſubſtantiationẽ appellat; Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocã-

dos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas; firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo: Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarũ matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quã nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatã vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

VOTVM DE IMMACVLATA Conceptione.

EGo idem N. ſponte profiteor, & affirmo Beatiſſimã Virginem Mariam Dei genitricem abſque originalis peccati macula conceptam, & hanc veritatem me nõ modo nunquam impugnaturum, ſed in priuatis etiam colloquijs, & publicè dum ſpirabo docturum eſſe opportunè, & propugnaturum iuxtà Decreta Summorum Pontificum iam edita, aut deinceps edenda, ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, atque Immaculata Dei Genitrix Maria ſine peccato originali concepta, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Cap. II.

Qui teneantur profeſſionem fidei admittere.

IAm verò ad hanc orthodoxæ fidei Profeſſionem publicè peragendam cum Tridentino Concilio 1 adſtringimus omnes, qui de beneficijs quibuſcunque curã animarum habentibus prouiſi ſunt, vel in poſterum prouidebuntur, ita vt à die adeptæ poſſeſſionis, ad minus intra duos menſes teneantur in manibus Epiſcopi, vel eo impedito coram Generali eius Vicario, ſeu alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, cui id nos cõmittemus, eam profiteri ſub pœnis in conſtitutione Pij IV. 2 præfixis, & alijs arbitrio noſtro reſeruatis.

1 Seſſ. 24. de reform. c. 12.

2 in cõſtit. quæ incipit Sacroſãcta.

Præterea ex eodem Tridentino intra prædictum terminum omnes Canonicos noſtræ Cathedralis non ſolũ coram nobis, vel noſtro officiali ad id deputato, verum

etiam

etiam in Capitulo id facere volumus,& mandamus, alioquin prænumerati omnes prouiſi, vt ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

Teneantur ſimiliter, qui grammaticam, etiam ſi ſint eius prima rudimenta, & pedagogi, qui quamlibet liberalem artem publicè, ſeu priuatim doceant; itidemque omnes publici, ſeu domeſtici ſacræ, vel prophanæ cuiuſuis diſciplinæ lectores, promouendi ad gradum magiſterij, vel doctoratus atque alij, qui de iure obligantur, quorum nomina Magiſter Notarius, vel noſter Vice Cancellarius in Vrbe; extra Vrbem verò Vicarius foraneus in aliquem certum librum referat appoſito die, & anno, quo illud beneficium, dignitatem, ſeu officium quiſque poſſidere incipiens ſanctam fidem iuxtà normã

1 S.Carol. tit. de ſum. Trin.c. 20. præmiſſam profeſſus eſt 1 ſi ſecus fecerint ſciant prædicti omnes ſe in pœnas à Pio IV. ſtatutas incurſuros eſſe; Inſuper ſi prima litterarum, vel grammaticæ rudimenta tradunt duas vncias; ſi altioris verò facultatis, vel ſciẽtiæ profeſſores ſint, decem vncias pijs eleemosynis deſignandas ſoluant.

Eadem fidei capita profiteri teneantur, vt ſupra, quotquot per difficile, atque non omnium viribus par ſacri concionatoris munus aggrediuntur, ſemel quidem 2 an-

2 In Conc. Aquil. c. 1. de fide prof. tequam publicè exponantur, deinde verò quandocunque expedire nobis videbitur; quod cum ſuis ſubditis diligenter obſeruari hortamur omnes Regularium Superiores priuſquam ad petendam à nobis verbi diuini in ſuis Eccleſijs prædicandi benedictionem mittant: In alijs vero Eccleſijs, quæ non ſunt ſui ordinis, ſciant ſe à nobis nũquam impetraturos concionandi facultatem, niſi ſuorum ſuperiorum, ad quos ſpectat ſcriptum 3 te-

3 S Carol. de Trinit. c. 10 ſtimonium afferant, ſe coram eis huiuſmodi fidem Ca-

tho-

tholicam fuiſſe profeſſos.

8 Denique vt totã noſtram Diœceſim præcipuo quodam iure ſub Deiparæ Virginis Patrocinio, quod ſummopere exoptamus, eſſe videatur, ſtatuimus debere etiam poſt profeſſionem fidei prædictos omnes illicò addere votum defendendi, quantum in ſe eſt, eiuſdem Sãctiſſimæ Virginis Immaculatam Conceptionem.

Cap. III.

De ſtudio tuendæ fidei.

9 VT, fidei Catholicæ nitor in ſua puritate, qua in diœceſi noſtra, Deo adiutore, nõ ſine ingenti animi voluptate florere perſpicimus, integer, & illibatus permaneat, mandamus omnibus noſtris Vicarijs, atque ijs, qui huic Synodo de iure adſunt, vel adeſſe tenebantur, vt ſumma diligentia, & diſquiſitione inueſtigẽt, an quiſquam ſit in noſtra diœceſi abominabili hæreſis ſorde infectus, vel ſuſpectus, an apoſtata, vel quouis modo à Catholica fide aberrans, vel denique ſi quis extet, qui hæreticorum ſcripta, libroſue legat, aut apud ſe retineat, vel doctrinarum ſeminator, quæ hæreſim oleãt; aut in loquendo iocoſa, vel ſeria ita imprudens, & incautus protulerit, vt in fidei materia graue ſcandalum in auditorũ animos ingeſſerit, quod ſi huiuſmodi ſceleſtiſſimũ quempiam eſſe reſciuerint; ſtatim nobis, vel hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus denuncient, aliter excomunicationis maioris telo ſe ipſo facto fulminatos eſſe intelligant; in quam pœnam ſimiliter incurrere declaramus cæteros, qui prædictos de fide, hæreſi, & apoſtaſia ſuſpectos agnouerint, & nobis illicò denunciandos curare neglexerint.

10 Atque vt omnis omninò erroris in rudium mentẽ irrependi occaſio remoueatur, maximè cauere debent ſeculares, præſertim mulieres ne vnquam publicè, aut priuatim de rebus ad fidem ſpectantibus diſputationes, aut dubia inter ſe moueant; ſed humillima ſui ſubmiſſione intellectum in obſequium fidei captiuãtes, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ acquieſcant.

11 Et ne domini tẽporales vt fautores hæreticorũ dãnentur, aut videantur, eos obnixè obſecramus, et vt filios cariſſimos admonemus, ne ſe in ſuorum ſubditorũ, aut aliorum ad fidem ſpectantibus cauſis quoquomodo, aut prætextu immiſceant, intrudantque, imò potius nobis, & Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitionis, in quibus opus fuerit rebus, pro ſuis viribus fauere ſtudeant.

Cap. IV.

De Doctrina Chriſtiana, & qui eam tradere debent.

1 Seſs. 22. c. 8. de ſacr. miſs.

12 OEcumenica Tridẽtina Synodus 1 ne oues Chriſti eſurirẽt, neue paruuli panẽ peterent, & nõ eſſet qui frangeret eis, diſtrictè præcepit ſingulis animarũ curã gerentibus, vt frequenter inter miſſarũ celebrationẽ vel per ſe, vel per alios ex ijs, quæ in miſſa legũtur principaliora noſtrę fidei, religioniſque myſteria exponerẽt 2. Nos igitur per eiuſdem Concilij tutiſſimum iter noſtras oues ducere cupientes, idem eiſdem Curatis enixè inculcamus, inſuper addentes, vt ſaltem diebus dominicis poſt prandium parochiæ ſuæ finibus contentas campanulis per regionem miſſis ſtata hora ipſe Parochus, ſeu Capellanus, aut alius Sacerdos per illum deputandus ad templum

2 Cap. vt quiſque de vita, & honeſt. Cleric.

plum pueros, & puellas conuocet, ibique ad minus per horam eos primis fidei doctrinis imbuat, ſed præſertim Sanctiſſimę Triadis, & Chriſti Saluatoris noſtri myſterijs pro cuiuſque captu erudiat, atque confirmet, orationem quoque dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolicum, Decalogi præcepta, opera miſericordiæ ſpiritualis, & temporalis edoceat, quod facilè, & non ſine magno fructu aſſequetur, ſi doctrinæ chriſtianæ tradendæ methodum ab Eminentiſſimo Bellarminio editam familiarem ſibi reddet, cum præcipuè in ea orationes, & ſymbolum prædictum vernacula lingua exponantur, quod & ad melius percipienda, & memoria firmanda, quæ docentur mirùm in modum pueros, & linguæ latinæ ignaros iuuare experientia ipſa cõprobat, ſic etiam fiet vt veneranda myſteria per verba corrupta, & quæ riſum mouent minimè pronuncientur. Denique eos ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus, magiſtris, dominis, ijſque omnibus, quorum curæ ſunt præſtandam hortetur, & inſtruat ad eum prorſus modum, quo tam ſacrum opus cum perſpicuo Reipublicæ commodo in ſuis Eccleſijs exercere norunt Patres Societatis Ieſu, quorum opem vbi illi adſunt, ſi Parochi gratam ſibi eſſe in hoc oſtendent, vt par eſt, eis nunquam defuturam ſperamus. Cæterum Parochus, vel Curatus, qui doctrinam chriſtianam tradere neglexerit pro ſingulis non legitimè impeditis dominicis, tarenos ſex mulctabitur, vbi autem ſunt plures Cappellani cuncti per vices ſuas id muneris teneantur obire, quod ſi, ad quem illa die ſpectat, neglexerit, eamdem pœnam ſubibit.

13 Et quidẽ adeo nobis eſt cordi tam piũ, & fructiferum munus; vt Matris Eccleſiæ Præfectis iniungere de-

cernamus, vt in ea quiſque Chriſtianæ doctrinæ ſodalitiũ inſtituat 1, in quo nonniſi boni nominis Clerici, & ſeculares ad docenda initia fidei idonei admittãtur, quorum pars dominica die ab ipſorum ſuperiore ad adiuuãdum illum Curatum, ſeu Cappellanum in tàm ſaluberrimo officio, pars ad alium, & alium diſtribuatur; vbi verò vna tantum ſacramentalis eccleſia reperitur viciſſim, vt à Vicario loci, vel Præfecto deſignabuntur, ei inſeruiẽt.

1 Syn. Cat. Torres p.3. cap. 6.

14 His autẽ tã Sacræ inſtitutionis Congregatis, ſeu Confratribus, præter maxima merita, quibus ob ſuſceptã hanc ſollicitudinem à liberali Dei manu retribuẽtur, annunciamus etiam Indulgentiarum Theſaurum, quæ à felicis recordationis 2 Pio V. & Gregorio XIII. huiuſmodi doctrinæ Chriſtianæ ſodalitatibus conceſſæ ſunt.

2 Pius V. conſt. 156. ex debito, Greg.XIII. in conſt.11. illius qui pro gregis, & in conſt. vniuerſis ſtatuit 100 dies indulgentiæ ijs, qui doctrinã chriſtianam docẽt.

15 Porrò conſcientiã oneramus ipſorũ parentum, dominorum, aliorumque curam habentium, vt ad tam ſalutarem exercitationem filijs, ſubditiſque, licet prouectioris ſint ætatis, veniendum omni diligentia curent, recogitantes eam curam ipſos per ſe; & directè reſpicere, in quo ſi ſegniores fuerint, diuinam vltionem in die iudicij expectent, tanquam pro animabus illis rationem redditurì, quapropter Confeſſarij grauiſſimam pœnitentiã imponant, itemque Prædicatores ardentibus verbis tãntam ſocordiam ſpiritualem redarguant, oſtendantque quanti, & ad ipſorum domorum, imò & àd totius Reipublicæ commodum intereſt ſi pueri ab ipſo ineuntis ætatis exordio rebus ſpiritualibus aſſueſcant, & timore Domini à teneris annis configantur.

16 Si qui autẽ ſunt adulti docibiles, qui tamẽ potiſſima fidei capita ignorant, & non ſemel admoniti in rudi ſua, craſſaque ignorantia perſiſtere videantur, de ijs ad nos, vel noſtros Vicarios referatur, & interim benefi-

cio

cio abſolutionis ſacramentalis priuentur, donec in domino quid de eis faciendum, deliberauerimus. S.*Car.Mil. conſ.5.cap.de doctrina christiana*. 1 Id ipſum commendatum volumus eis, quæ monialium, & in monaſterijs degentium curam habent, qui hoſpitalibus, alijſque pijs locis, vbi plures, vel mares, vel fœminæ educantur præſunt, videlicet, vt in eos, vel in eas hanc fidei eruditionem ſedulò inducant, perſonas ad id aptas ſeligant, & de profectu ſingulis hebdomadis exquirant.

1 nota quod ſi ſunt incapaces, ſuffi. cit ſcientia implicita. S. Th.2,2.q,2. a.5. & alij.

Cap. V.

De vſu Sacræ Scripturæ.

17 TAnquã fontẽ omnis, & ſalutaris veritatis, & morũ diſciplinæ ab ipſo diuino ſpiritu perẽnantem ſacram ſcripturam ſuſcipere omnes, & ſummo pietatis affectu venerari decet; idcirco impijſſimam eorum temeritatem reprimere volentes 2, qui ſacræ bibliæ verba, & ſententias ad prophana quæque irreuerenter cõuertũt, & torquẽt, ijſq; ad ſcurrilia, & fabuloſa, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, cantica, diuinationes, ſortes, & libellos etiam famoſos, abutuntur; videmus enim, proh dolor! pleroſque ſacras litteras in parabolam, & prouerbium vertere, atque quandoque ad excuſandas excuſtiaones in peccatis 3, ſumma vi, atque imprudentia torquere adulterãtes Verbũ Dei; quãobrẽ noſtri Vicarij vbi aliquẽ horũ nefariorum reſciuerint, ad nos ſtatim deferant, vt ex Sacrorum Canonum decretis ſeuerè in eos animaduertamus, & vt deteſtabilis hæc licentia pœnitus eradicetur

2 Trid. ſeſſ. 4. de ſcript canon.decr 1.

3 pſal. 104.

Con-

Concionatores, & Confeſſarij populum de huius criminis enormitate frequenter admonendum curabunt.

Cap. VI.

De Verbi diuini Concionatoribus.

18 NIhil magis, vel indè ab Eccleſiæ naſcẽtis exordijs per Cõcilia, & Patres apoſtolico prædicationis munere commendatum fuiſſe nemo eſt, qui ignoret; & illud quidem præcipuũ eſſe Epiſcoporũ rectè nouimus 1; & non ſemel per nosmet ipſos exercere vehementer deſiderauimus, atq; obfirmato animo aggredi decreuimus, ſed vrgentibus, ijſdemque grauisſimis ad maiorem Dei gloriam negotijs perpetuò detenti aptiùs præſentium temporum vſui nos accomodauimus, curam omnem ſedulò intendentes, vt non niſi per viros probatæ virtutis, & doctrinæ in noſtra diœceſi verbi diuini quanto poſſet maximo honoris diuini zelo, & tanti muneris decore conciones haberentur.

1 Concil. Chart. 4 c. 20. Rhemẽ. c. 14. in c. Epiſc. nullã 88. Concil. Arelat. c. 10 Cõc. Later. ſub Innoc. 3 c. 10. Trident. ſeſſ. 5. de refor. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4.

19 Quod autẽ quiſque animarũ curam gerens facilè præſtare poteſt; & vt præſtet enixè rogamus, ideſt vt ſingulis anni dominicis, & pro ſollẽnioribus feſtiuitatibus, vbi præſertim concionatorũ, vel regularium de verbo diuino ſermocinantium copia non adeſt, inter miſſam ad populum conuerſus pronunciat, *Orate fratres*, pro ſua, & auditorum capacitate ſalutaria verba familiari authoritate habeat, docendo quę neceſſaria ſunt omnibus ad ęternam vitam, annunciando populis cum breuitate vitia, à quibus abhorrere, & virtutes, quas ſectari oportet, vt pœnas inferni euitare, & Paradiſi gloriam conſequi va-

le-

leant;inſuper eos commonendo de præceptorum diuinorum, & Eccleſię obſeruātia,de ieiunijs, & diebus colendis ex prçcepto, quę illa hebdomada occurrent, & qui, quoue modo ad ea teneantur.

20 Quod ſi neq; hoc ipſi per ſe curā habentes animarum, vel quodam animi lāgore, ſeu puſillanimitate exequi valent, ſciant ſibi prætermiſſi neceſſarij officij Iudici Deo rationem eſſe reddendam: tamen nobis exponant, & ſimul cui in eo ſacro munere ſuas vices demandare velint, vt hāc licentiā demus, ſine qua nec ipſi excuſati ab hoc onere cenſeantur, nec illi ſubſtitui poſſint: qui contrarium facere non pertimuerit, præter pœnas à iure inflictas, vnum aureum pauperioribus Sacerdotibus illius communitatis diſtribuendum ſoluet.

21 Ex Cōcilij Tridētini 1 conſtitutione omniū Synodorum, ſeu prouinciarum, ſeu diœceſarū decretis vnanimi conſenſu ſemper edita mandamus, & diſtrictè prçcipimus ſub pœna excomunicationis latę ſententię omnibus, & cuicunque, ſeu regularis ille ſit, ſeu quomodolibet exemptus, ne etiam in eccleſijs ſuorum ordinum, contradicente Epiſcopo, prędicare pręſumant.

1 Seſſ. 24. c. 4. de refor. & alibi. Gregor XV. in conſtit. 18. inſcrutabili. Vrban. VIII. in coſt. edita 30. Ianuar. 1629. de hac re.

22 Regulares verò cuiuſcūque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, & coram eis profeſſionem fidei, de qua ſupra diximus, emiſerint, eorumque licentiam obtinuerint, nullibi, neque etiam in Eccleſijs, aut oratorijs ſuorum ordinum concionari poſſint, cum qua licentia ſciāt ſe perſonalitèr coram nobis, vel noſtro Vicario Generali; ſi aliud aliquando expedire non iudicauerimus, debere prçſentare, & à nobis benedictionem petere antequam prędicare incipiant. In Eccleſijs verò, quę ſuorum ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Su-

pe-

periorum, etiam noſtri licentiam, quam gratis concedemus habere teneantur, quapropter nullus Curatus, vel alius, ad quem illius Eccleſię cura ſpectat permittat regularem aliquem concionari, vel etiam vnicum ſermonem facere, niſi ei priùs conſtet de noſtra licentia, ſecùs & ipſe ſeuerè punietur.

23 Atque hic iterũ, iterũque ſuperiores regulares monemus, & hortamur (quod cum noſtris ſubditis adamuſſim ſeruare conabimur) ad id munus obeundum non deligant, nec mittant, niſi viros, quorum ſpectata ſit agendi probitas, & ſana intelligendi doctrina, ne (quod non ſine graui animi dolore in non paucis concionatoribus experti ſumus) cum alijs prędicauerint ipſi reprobi efficiantur, & quidquid verbis, & pręceptis è pulpito ędificant, vita poſtea, & moribus deſtruant; quo circa pro virili parte nobiſcum ſtudebunt tam neceſſarię, & publicę cuiuſcunque generis, & gradus nationum inſtitutioni deſtinare Magiſtros, non qui nouis aurium prurientium oblectamentis ab Euangelicis veritatibus populorum auditum auertant, perperamque ad fabulas; atque in primis, quod maximè hac tempeſtate deplorandum eſt, ad ipſorummet prędicatorum ingenij feracitatem, acumen, memoriam, eloquentiam admirandam, prędicandamque conuertant, quaſi verò pręcipuus illorum finis ſit earumdem iactantia, & vana per omnium ora nominis celebritas, volucriſque famę garrulitas; quibus extimeſcendum vehementer eſt iudicium diuinum, ne quo magis inanibus hominum imprudentium laudibus inclyti fuère, eo minus à iuſtiſſimo rerum arbitro Chriſto Domino, vt concionatores agnoſcantur, audiantque illud perhorrendum (neſcio vos, recepiſtis mercedem veſtram;) quod etiam, ſed cum maiori dedecore pronuntia-

tiabitur in eos, qui Verbum Dei venale facientes concionantur, non vt Chriſto animas, ſed ſibi nummos lucrifaciant; quamobrem ij tantum mittantur ad hoc miniſterium, qui illud ad Apoſtolorum, & Sanctorum Patrum normam impleant, opus perficientes Euangeliſtarum.

24 Scilicet toto pectore in id vnum incumbentes, vt vitia ex animis hominum radicitùs euellantur, diſſeminētur virtutes, inſitæ conſeruentur, vt publicis ſcādalis opportunè occurratur, atque prauæ conſuetudines, & inueteratæ conſtantiſſimè remoueantur, quod facilè aſſequentur, ſi ipſi primum veri docibiles Dei exiſtant, & ſapientibus Conciliorum, & Patrum inſtitutis obſequantur; atque ſi in primis meminerint ſe de grauiſſimis agere, ſcilicet de Deo, de re omnium maxima, de eius lege, de ſalute ipſa, de vita, ac morte animæ æterna, quare verba, vitamque ſuam huic tanto miniſterio conformem reddere tenentur.

25 Coram populo rudi errores hæreticorum, & argumenta minimè recenſeant, diſputationes verò de fide non exagitent; in materia de efficacia gratiæ, & prædeſtinatione ſint concionatores cauti, ne puſilli ſcandalizētur, & in errores inducti, vel vitæ improbe habenas laxēt, vel in deſperationis præcipitium miſerandum in modū corruant.

26 Singillatim cuiuſcumque ſtatus homines inſtruāt; & præcipua virtutū officia paterna charitate demōſtrēt, In publica ſcandala, & deprauatos viuendi modos, vitiaque, atque in ea in primis, quibus maximè teneri, vel ad quæ procliuiorem populum illum ſenſerint acriter, & perenni quadam doctrinæ perſeuerantia, perpetuaque quaſi pugna, & contentione, vt ſanctiſſimos concionatores, Ambroſium, Auguſtinum, Chriſoſtomum feciſſe

conſtat, ſed modeſtè, & generalitèr inueantur, arguendo 1, obſecrando, increpando, in omni patientia, & doctrina; peculiares perſonas nominatim è pulpito ne redarguant, aut vllo modo deſignent, deſcribantue: ad beneuolentiam vulgi captandam, eccleſiaſticæ præſertim, vel ſecularis dignitatis Magiſtratus manifeſtam reprehenſionem deuitent 2, ſed potiùs omnes ex Apoſtoli ſententia piè moneant 3 Præpoſitis ſuis etiam diſcolis obedire, quos qui audiunt Deum remunerantem 4, qui verò contendunt vltorem ſentient; omnis enim poteſtas à Deo eſt.

1 ad Timot. 2. c. 4.
2 Leo X. conſt. 15. ſuperna maieſt.
3 1. ad Timot. 2.
4 1. Petri 2.

27 In concione neminem populo paupertatis nomine commendent, niſi à Vicario foraneo ſuæ neceſſitatis teſtimonium attulerit, neque interpellata concione per Eccleſiam eleemoſynam colligi procuret, id enim ante fores Eccleſiæ, finita concione, præſtari ſatiùs, & decentiùs eſt.

28 Verba ſcurrilia, atque iocoſa, quæ Apoſtolus nec inter familiares chriſtianorum conſuetudines nominari voluit, à ſuggeſtu prorſus amandare, & exibilare debent; abſtineant ſimiliter à profanis verbis, & factis narrandis, quæ caſtas offendunt aures audientium; ſed vbi de illis opus eſt meminiſſe per quam pauciſſimis, & veluti à longè innuant. Caueãt inſuper morem ſcurrarum viliſſimorum imitari, qui ridiculas, & aniles fabulas recitant, vt ad riſum, & cachinnationes plebem excitent; pueriles illos conceptus, & argutíes, ad quas cum abominabili prudentum ſtomaco, & indecenti plebis imperitæ riſu diuinarum litterarum, & Patrum textus diſtorquent, ſeriò omittant, nec repreſentationes in concione veluti hiſtriones admiſceant, aut indecoro aliquo manuum, vel corporis motu geſtiant.

29 Indulgentias abſque noſtra licentia, & niſi ab officio

ficio Sanctiſſimæ Cruciatæ ſint recognitæ,non euulgent, eaſque non obtineri in hoc Regno præter ab habentibus prædictam Cruciatam populum commonefaciant.

30 Inter concionandum in nullo eiuſdem Eccleſię altari celebrentur miſſę ſub pœna ſuſpenſionis eius,qui ſacrificium eo tempore agere pręſumit.

31 Cum ea ſemper fuerit in humanum genus hoſtis infenſiſſimi iniquitas, vt quod ad animarum ſalutem facit, in ipſarum vertatur perniciem, atque, vt quamplurima euitentur inconuenientia, & ſcandala, quę frequēter occaſione concurſus ad concionem eueniſſe renunciatum eſt; curent omninò, qui Eccleſiæ Rectores ſunt, in qua concio habetur, vt loca virorum, & mulierum,quãtum fieri poteſt,tabulato, vel ſaltem tela interiecta diſtinguantur; ita vt mutuus quoque impediatur proſpectus, & in hoc omnes teneantur obedire Curato, Capellano, vel Rectori illius templi ſub pœna excomunicationis, & alijs arbitrio noſtro.

32 Curati, atque Vicarij foranei tempeſtiuè ante quadrageſimalium concionum initium ipſi prædicatori admonebunt, de noſtrę Synodi conſtitutionibus; atque pręcipua vitiorum genera, quę in illud ouile graſſari nouerint,omni cùm ſinceritate, & zelo explanent, ita tamen vt nullam probabilem ſuſpicionem populis ingerant Curati, vel ipſi concionatores ſe ad illorum cognitionem, redargutionemque Sacramento pœnitentiæ vſos fuiſſe.

33 Sub pœna interdicti localis prohibemus, ne vllo in templo ante Solis ortum, nec poſt eius occaſum, præter quam in Chriſti natiuitatis nocte, ſacra concio, niſi de noſtra licentia, habeatur, ea vero,quæ ad luctuoſam Redemptoris noſtri Cruciatum memoriam recolendã

C 2 ha-

haberi conſueuit, media tantum hora die paraſceues ante Solem, vel ſi fiat poſt feriæ quintæ maioris hebdomadæ veſperas, vltra dimediam noctis horam nequaquam protrahatur.

34 Quod moris ſemper in Eccleſia Dei viguit, vt ſacræ cōciones inter miſſarum ſollemnia immediatè poſt Euangelium fierent, quantum fieri poteſt retineatur, ſeruatis interea à celebrante, & aſſiſtentibus, quæ ritus Eccleſiæ ſeruari præſcribit; niſi de alicuius mortui laudatoria concio inſtituta ſit; tunc enim peracto miſſæ ſacrificio pronuncianda eſt.

35 In Eccleſijs monialium ſine noſtra, vel Vicarij Generalis ſpeciali licentia nemini licet ſub poena carceris ad noſtri libitum concionari.

36 In vicis villarum Catanæ, & Ciuitatis Acis nemo, inconſulto Epiſcopo, concionatorem eligere queat; Imò omnibus compertum eſſe volumus huiuſmodi concionatorum electiones in prædictis locis ad nos iuxtà peruetuſtam, atque laudabilem conſuetudinem ſpectare, idque deinceps omninò ſeruari decernimus, atque illarum Vicarijs foraneis mandamus ſub pœna vnc. quatuor. Declaramus autem, quod expenſis ipſiuſmet Eccleſiæ, in qua hæc concio habetur, conſueta eleemoſyna Prædicatori tribuenda ſit.

37 Veteris quoq; in noſtra diœceſi inſtituti eſt, quòd nos etiam diligentiſſimè tenebimus, vt quilibet Vicarius, vel Curatus Eccleſiæ non regularium, ſaltem ante Dominicam Septuageſimæ nos certiores faciat de illius Eccleſiæ deſignato pró quadrageſima Prædicatore, quòd ſi nos hi monere, vel illi ad quos de iure, vel vſu eligere ſpectat, neglexerint, ne oues Chriſti per id tempus acceptabile, & ferax eſuriant, ſciant nos eo anno conciona-

torem illis Eccleſijs deſtinaturos, quorum verò intereſt, & ſolent, ad alimenta, conſuetaſque eleemosynas præſtandas cogentur ſub pœna noſtri arbitratus.

38 Et ſi ſacri oratores, vt diximus, diuinum hoc munus ſubire non debeant temporalis lucri ſpe ducti; eis tamen nullo modo deeſſe volumus debita de more alimenta 1, acceſſus, receſſuſque moderatas expenſas; propterea quorum impenſis hactenus venire, hoſpitio recipi, & ali conſueuerunt, ſiue illius Eccleſię Beneficialis, aut officialis ſit, ſiue ipſę vniuerſitates, & populi, ne claudant os boui trituranti, victum ſubminiſtrare, aut ſolitam eleemosynam elargiri ne detrectent; dignus 2 eſt enim operarius mercede ſua; nec eſt ęquum illos relinquere verbum, & miniſtrare 3 menſis. 1 Chorin. 9. 2 Luc. 10. 3 Act. 6.

39 Quia verò in locis, pręſertim in quibus Confeſſariorum copia non ſuppetit, maximè fideles auent ſuas cōſcientias in confeſſione ipſi concionatori aperire, ne in hoc tàm pium eorum deſiderium fruſtętur, notum facimus omnibus, quos noſtris litteris patentibus ad conciónandum mittimus, à principio quadrageſimę ad octauā Paſchę incluſiuè authoritatem etiam habere confeſſiones vtriuſque ſexus fidelium audiendi, eóſque à peccatis omnibus, etiam, quę aliàs nobis reſeruata ſunt, abſoluendi; excipimus tamen moniales, pro quibus diſtinctam, & in ſcriptis à nobis, vel à noſtro Vicario Generali licētiam habere debent.

40 Denique ne in vacuum Verbi Dei ſemen cadat, & ne tantorum ſudorū fructus deperdatur, in Domino hortamur omnes gubernatores, magiſtratus, ac locorum prefectos, alioſque omnes fideles vt eo tempore, quo concionator verba facturus eſt, pręcipuè diebus quadrageſimalibus, vt ſe alijs occupationibus expediant ſū-

ſummo rerum negotio, vnde pendet ęternitas, tantiſper in dies operam daturi; atque ſecum ipſi perpendant, cū tantoperè onus prędicandi concilia commendent, conſequenter populis audiendi obligationē imponere, quod Clericis in primis Vicarij foranei exequendum ſtudioſè curabunt, vt ipſorum exemplo laici frequentiùs ad verbum Dei percipiendum confluant 1, quapropter ſi quē pluriès monitum, adhuc tamen contumaciter negligentem aduerterint, ſeuero caſtigent carcere.

1 S. Carol. Mediol. p. de prædic.

41 Si verò, quod abſit, Prędicator errores, aut ſcandala in populo diſſeminauerit, licet in Eccleſia ſui, vel alterius ordinis, aut quouis alio loco priuilegiato prędicet, vel indignam tanto munere vitam ducat, teneantur ſtatim Vicarij, & animarum curati ſub pœna excommunicationis latę ſententię ad nos referre, vt illum, re benè coram Deo perpenſa, à ſugeſtu remoueamus, & canonicis deuinciamus pœnis.

42 Denique, expleto prędicationis quadrageſimalis curriculo, concionatores ipſos obſecramus, vt voce, vel ſcripto nobis, aut noſtro Vicario renuncient quid fructus ſpiritualis reportarint, & quę in eo populo, ad quem verba fecerunt, corrigenda iudicauerint; quid prçcipuè ſcandali inter perſonas Eccleſiaſticas occurrat, vt opportunè prȩſtò ſimus,

Examinis Concionatorum Capita.

43 QVia verò expedit, & nobis exequi Sacri Canones non ſemel iniungunt, vt concionatores, ſiue ſeculares, ſiue regulares ſint, examinemus, ſi tàm arduo oneri vires pares habeant; hic ſubijcere iuuat capita, de quibus eos noſtri examinatores ſtudioſè ſciſcitari debent.

An

1 An Sacrę Scripturę tropologicum moralem, ſed in primis litteralem ſenſum dignoſcant?

2 An profeſſionem fidei emiſerint?

3 An benè percipiant doctrinam de prędeſtinatione, de peccato originali, de iuſtificatione, de ſacramentis, & reliquijs, & veneratione Sanctorum?

4 An parabulas ſciant rectè explicare?

5 An in Sanctorum Patrum libris ſint verſati, & quę prę cęteris familiarem habeant?

6 An benè, dilucidè, diſtinctèque pronuncient?

7 An ſciant, quę circa eos his noſtris conſtitutionibus obſeruanda edidimus?

Cap. VI.

De Editione, & vſu librorum.

44 Mirum eſt quantam innocentibus animis perniciem nonnullorum librorum lectio afferat, quæ dum vel rerum nouitate, vel commenti curioſitate, aut conceptuum acutie, ſalibusque verborum, & titulis ſpecioſis imperitorum guſtui blanditur, atro, atque lethali errorum, vitiorumque veneno mentes inficit, non ad ipſorum modo legentium, ſed ad totius Reipublicæ irreparabilem perniciem; quod Tridentinos Patres, ſummoſque Pontifices impulit vt ſeueriſſimas 1 de libris, aut imprimendis, aut legendis, ſanctiones conficerent, quas nos libentiſſimè amplectimur, & præſenti conſtitutione decernimus.

1 Pius IV. & Clem. VIII.

45 Primo ne in poſterum liber aliquis imprimatur, aut publicetur, qui in fronte nomen, & cognomen auctoris dilucidè, & ſine anagrammatica litterarum transforma-

tio-

tione, non præferat; aut qui tacet, vel quod peius eſt prælum, & impreſſorem ementitur, quod ſi de his non conſtat, & nihilominus librum ob iuſtam aliquam cauſã edi poſſe, aut debere iudicauerimus; tunc ſanè libro nomen eius affigatur, cui illum examinandum, probandũque remiſimus.

46 Secundo, nemini excudere liceat, aut excudi facere, aut permittere quoſuis libros ſacros, vel profanos, grandiores, vel paruos, etiam illas, quæ hiſtoriunculæ, opellæ, pagellæ, cantiunculæ, relationes, verba notis muſicis appoſita, Theoremata, ſeu Concluſiones, aſſertioneſque ad diſputandum, libellos precum variarum, qui frequenter ſuperſtitionibus aſperſi ſunt, aut quouis alio nomine nuncupentur, ſine noſtra, aut eius cui hanc curam demandabimus, præuia reuiſione, & facultate, quæ gratis dabitur in ſcriptis, & in fronte ipſius libri affigenda eſt, vt in ipſo limine omnibus autenticè appareat.

1 eſt Bulla Leonis X. in Cõc. Lateran. ſeſſ. 6. contra Impreſſores librorum ſine licẽtia Epiſcopi.

47 Tertio, quod ſi aliquis fortè [1] ſine huiuſmodi licẽtia, & conditionibus impreſſus ſit, aut imprimetur liber, ne illum quis vendere, aut apud ſe retinere audeat.

48 Quarto, Regulares vt ſuos quoſcumque libros, aut opellas Typis mandent, non ſolum prædicto Ordinarij examine, & probatione virtute decreti Tridentini, & præſentis indigere ſciant, ſed etiam ſuorum ſuperiorum, per quos ij libri iuxtà cuiuſque ordinis formam, & cõſuetudinem recognoſci debent, licentiam impetrare debere, quam ad principium operis ſimiliter apponant.

2 eſt Canon vltimi Cõcilij Laterã.

49 Qui Secularis, aut Regularis in omnibus, aut aliquo dictorum contraierit, & amiſſione eorum librorum, & excommunicatione latæ ſententiæ, aliiſque pœnis corrigetur ad noſtrum arbitrium. Clericus præterea, & ſecularis centum aureos Cameræ Epiſcopali ſoluet [2].

Dam-

50 Damnatos ab Eccleſia libros, quos quiſque à nouiſſimè edito librorum prohibitorum Indice diſcere poteſt, ſi quis ſciens, prudenſque domi retineat, aut legat, in excommunicationē ipſo facto à ſacris canonibus, & Pontificum bullis latam incurrit; & vt excommunicatus vitandus, deque hereſi ſuſpectus reputandus eſt, qui id ſciuerit, & nobis non detegerit, eadem anathematis pœna innodetur.

51 Libri res laſciuas, ſeu obſcenas ex profeſſo, ſeu magna ex parte continentes, vel docentes, vtpotè morum, ipſiuſque fidei corruptela, à nemine in noſtra diœceſi imprimantur, aut vendantur; oppoſitum facientes vncias decem ſoluere pro pœna cogantur; quæ verò Ethnicorum monumenta ob latinæ linguæ eruditionē ſcholis permittantur, dicetur infra, cum de ludimagiſtris.

52 Omnes alicuius ſcientiæ docti, præſertim verò, qui numeroſam librorum ſupellectilem habent, indicem librorum prohibitorum iuſſu Tridentini editum, promulgatumque apud ſe habere debent; Hiſpanicum etiam ab Hereticæ prauitatis Inquiſitoribus nuper publicatum.

53 Et ne quis, vel ex ipſius Indicis Romani, & Hiſpani ignoratione, vel imperfecta intelligentia his noſtris, & Sedis Apoſtolicæ prohibitionibus excuſationem prætendat, omnes, & ſingulos noſtræ Diœceſis clericos, & ſæculares in virtute ſanctæ obedientiæ iubemus intra primos duos menſes à præſentis Synodi publicatione Vicario noſtro Generali, ſeu illius Vniuerſitatis, in qua ſunt, Vicario foraneo, omnium, quos penes ſe habent, librorū, & manu ſcriptorum ſillabum, ſeu notam in ſcriptis tradere.

54 In litteris grandiuſculis, quas initio vel librorum, vel capitum excudi moris eſt; nullam obſcœnæ, turpiſque

imaginis ſpeciem Typographi, vel ſcriptores delineent, aut exprimant; ſecus facientium libri confiſcentur 1.

1 S. Carol. in med.5. de fide tuenda.

55 Maximopere in Eccleſia Dei ſemper cautum fuit, vt libellorum famoſorum graue facinus pœnis arduiſſimis mulctatum profligaretur, id ipſum, quantum in nobis eſt, vtpotè feracem plurium malorum radicem, à noſtra diœceſi euellere cupientes, contra eos, quicumque huiuſmodi libros, ſeu pagellas ſcribere, vel imprimere, aut diuulgare, ſeu affigere auſi fuerint, preter pœnas à ſacris indictas canonibus, præſertim à Pio V. 2 ſtrictiſſimi carceris mulctam noſtro arbitrio duraturam habebunt, præterea ſi clericus ſit, beneficiorum, quæ poſſidet, fructus omnes pijs operibus per nos dandos tres integros annos à die prima carcerationis amittat: Prędicti verò omnes ab excommunicationis pœna, in quam ipſo facto eos incurrere declaramus, non abſoluantur, niſi partis læſæ honori, famæque detractę pro noſtro arbitratu ſatisfiat.

2 conſtit. 5. cum primũ.

56 Bibliopolis 3, cũ libros vẽdẽdi cauſa ad nundinas veniunt, vel in aliquo noſtrę diœceſis loco artem librariam exercere velint, precipimus ſub pœna vnciarum decem, ne libros venales exponant, donec eorum omnium prorſus, quos ſecum habent, librorum indicem ab eo ſubſcriptum habeant, qui eam curam noſtro nomine gerit.

3 S.Carol. Mediol.3.

57 Publici portus cuſtodes 4, & ianitores Vrbis, libros in Vrbes introduci ne patiantur niſi priùs Bibliopolę, aut quorum ſunt, catalogum eorum manu ſubſcriptum priùs, & ab vno ex noſtris reuiſoribus approbatum habeant, ſecus hanc incuriam ſciant à nobis grauiter plectendam eſſe.

4 S.Carol. ibidem.

58 Hęredes, vltimarumque voluntatum exequutores, libris à defuncto relictis non vtantur, aut alijs vendant

dant, vel quocumque prętextu vtendos tribuant, priuſquam loci Vicarius eos recognoſcat, & permittat, ſub pœna noſtro libito deſignanda.

59 Sacerdotes omnes nobis ſubiecti 1 habeant, ſi non copiam, ſaltem delectum librorum, quibus munus ſuum implere rectè percipiant, & legem Domini, in cuius ſorte ſunt, meditari queant; omninò verò teſtamentum vetus, & nouum, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, & has noſtras diœceſanas conſtitutiones, inſtitutioneſque; Parochi verò, ſeu Capellani pręter hos habeant aliquos ad caſus conſcientię pertinentes, quos ſępiſſimè verſantes, curam animarum pro dignitate exercere poſſint; quod ſi neglexerint, pœnas ſuſpenſionis, & carceris in noſtra viſitatione exigemus.

1 S. Carol. medio. 1. c. qui libri.

Cap. VII.

De Infidelium Conſortio vitando.

60 Conſuetudine hominum mores nouam induere formam, pęnituſque mutari compertum eſt; ne igitur fidelium vita indigno infidelium conſortio deprauetur, perantiquum inſtitutum laudamus, & retinendum omninò decernimus, vt infideles faciliùs à cęteris dignoſcantur, ſignum aliquod capillorum, vel aliud, notum tamen omnibus, deferant.

61 Quantum igitur poteſt ab infidelium commercio, conuictuque abſtineant, ſub nulla ſpecie boni inducātur, et ſimul vnquam cohabitent, aut ad ſua commercia illos vocent, vel ad eorum accedant; ipſorum medicaminibus nequaquam vtantur, nec ad morbos curandos adhibeant, nec denique commune 2 quidquam cum hu-

2 Clē. VII. conſt. Dominici Gregis. cap. nullus. cap. omnes 28. q. 1. cap. ſi quis 28. q. 1.

iuſmodi hominibus habeant.

62 Sed præſertim caueat fidelis infideli per conſortiũ carnale miſceri; qui verò tantum nefas commiſit, nouerit ſe à communione Eccleſię protinus ſegregandum. Similiter qui temerario auſu cum infideli matrimonium init.

63 Imagines ſanctorum, eorumque reliquiarum thecę, calices, reſque omnes ſacrę, & cultui diuino dicatę nullo pacto, nec loco pignoris infidelibus, certè futura ludibria, concredant.

64 Ad diuinam fidem amplectendam inuitandi quidem ſunt infideles, non tamẽ inuiti cogendi, contumelioſis verbis tractandi, neque cum eis, præcipuè ab idiotis, de rebus fidei diſputationes ſunt inſtituendæ, ſed renuentes committendi diuinæ prouidentiæ, cuius imperſcrutabilia ſunt iudicia, eiuſque miſericordiæ inſtanter commendandi. Et licèt ad conciones de verbo Dei ſint admittendi, imò etiam alliciendi, certè ſancto ſacrificio miſſæ nullo modo intereſſe debent, ne ſuâ temeritate, & perfidia piorum perturbent deuotionem, ſed, quorum intereſt, eos extra Eccleſiam eijciant.

Cap. VIII.

De ludi magiſtris.

65 NEmo eſt adeò mentis lumine captus, vt quantũ ad bonum Reipublicæ regimen, imò ad ipſã fidem catholicam edocendam momenti habeat, rectã puerorum inſtitutio non aduertat, quo enim ſemel ætas illa recens imbuitur odore, illum ad eſtremum vſque vitæ ſeruat tenaciſſimè; vt rectiùs igitur adoleſcentuli diſciplinarum ſtudijs, & pietatis præceptis erudiantur, & mu-

nere

nere ipſo docendi Reipublicæ valdè neceſſario, & ſalutari, vt addecet, ludi magiſtri fungantur, omnes noſtræ diœceſis vniuerſitates, & populos obſecramus, obteſtamurque in viſceribus Ieſu Chriſti, eorūque omnes magiſtratus, aut Principes in ſuæ dictionis locis, & rectores, ad quos pertinet, vt ſpectatæ virtutis, ſanæque doctrinæ, & iudicij viros præſtantes ſeligant, atque etiam, vbi opus eſt, aliunde inuitent, eorum laborum æquam mercedem, præmiumque perſoluant, ne ob mendicitatem ipſi magiſtri nec officij dignitatem, & exiſtimationem, quæ ſummoperè in ijs curanda eſt, ſuſtinere, nec in puerorum eruditionem toto pectore incumbere valeant. Præſertim id in Vrbibus, & pagis, in quibus collegium Societatis Ieſu non adeſt, (quæ quanto Reipublicæ commodo, & populorum laude omnibus omnis litteraturæ, & pietatis ſcholas exhibeat ipſimet parietes teſtantur;) ipſos verò præceptores nobis ſubiectos obſeruare iubemus in primis, quæ Leo X. Romanus Pontifex præſcripſit 1 *in Cōcilio Lateran. ſeſſ. 9. quæ incipit ſupernæ diſpoſitionis arbitrio cap. de reform. curiæ, & aliorum.* 1 2 cap. 1.

66 Inſuper præcipimus, vt nemini prorſus in poſterū à Vicarijs noſtris gymnaſia publica, ſeu priuata ad quoſlibet quibuſcumque facultatibus, aut doctrinis inſtituendos aperire permittatur, niſi ille prius à nobis, vel à noſtro Vicario Generali ad id præuio examine licentiam in ſcriptis obtentam exhibuerit, & fidei profeſſionem modo, quo ſupra 2 emiſerit, ſub pœna ipſi præceptori priuationis officij, & carceris; ipſi verò Vicario ſuſpentionis à miſſæ celebratione ad noſtrum arbitratum infligenda. 2 cap. 2.

67 Huiuſmodi autem paleſtræ litterariç non in Eccleſia, neque in ſacriſtia, ſed in domo aliqua ad vias publicas exerceantur, niſi aliud quandoque nobis pro loci, &

per-

perſonarum circumſtantijs videbitur, qui ſecus fecerit, prima vice in vnius aurei pœnam incurrat, grauioribus deinde, niſi reſipuerit, puniendus mulctis. In eius verò ædis loco decenti, & conſpicuo ſacram aliquam Imaginem collocet, ab ea ipſe, & auditores aſſiduè opem imploraturi, ſed præſertim ante illam poplite flexi priuſquã mane, ſeroque ſtudia inchoent omnes, vel vnus alta voce pronuntiet vſitatam orationem

Clementiſſime Pater, &c.

68 Itidemque in fine, vt in Deum Optimum Maximũ, à quo cępit, & proſequutus eſt omnis labor ille referatur, cum hac gratiarum actione coronidem imponãt.

Agimus tibi gratias, &c.

Qui id obſeruare contempſerit, quatuor tarenorum pœnã ſubeat prima vice, grauioribus deinde pœnis corripiendus.

69 Id quoque magiſtri ſedulò curent, vt pueros cum humanis diſciplinis Chriſtianæ pietatis lacte paſcantur; vnde præcipua eſt eis laborandum induſtria, vt in adoleſcentum animis peccati, eiuſque deformitates, & pœnarum cognitionem ingenerent, modumque conſcientiam examinandi edoceant, ſceleraque commiſſa confeſſione expiandi, & neceſſariò requiſita ad validitatem confeſſionis frequentiſſimè inculcent, actuſque contritionis, vel attritionis naturam dilucidè exponant; eiſque ſimul ac ad diſcretionis annos attingere perſpexerint, ſuadeant, vt ſingulis ſaltem quibuſque menſibus, & in ſolemnioribus Chriſti Domini, & Deiparæ Virginis ſolemnitatibus peccata ſua confiteantur, & qui idonei sũt, Sanctiſſimę Euchariſtię pabulo reficiantur; ad eos confeſſarios mittant, quorum probata ſit vitę integritas, atque in adoleſcentulorum, qui ſanè rerum imperiti ſunt,

rudi-

ruditate toleranda, inſtruendaque patiens ſit, compoſitaque natura; ab illis nomina exigant puerorum, quorum confeſſiones auſcultarunt; ſi verò adoloſcentum aliquem huic ordinationi rebellem deprehenderint, modis omnibus arguant, increpent, obſecrentque, donec ſe ad bonam frugem recipiat, quod ſi rei tanti momenti ipſi præceptores ſegnitèr indormient, eo munere ſtatim priuentur.

70 Illos tamen ſuis auditoribus auctores explanent, qui vna cum eruditione in litteris bonorum morum inſtitutionem, & pietatem redoleant; quapropter non modo libros apoſtolica auctoritate damnatos, verum etiam illos, qui obſcœna, vel amatoria quoquomodo, etiam allegoricè tractant, vt ſunt Terentij Comediæ non expurgatæ, Ouidij metamorphoſis, & id generis alij, minimè perlegant, nec diſcipulos apud ſe retinere permittant, ſed ad Societatis Ieſu gymnaſiorū normam, quę lectionis librorum ſunt, vt etiam in omnibus, quantum fieri poteſt, ſe conforment, edoceant, interpetretur; Ijs verò qui in eccleſiaſticorum ſortem admiſſi, vel adſcribendi ſunt, Decreta Concilij Tridentini, Romanum Cathechiſmum, & hunc noſtrum conſtitutionum librum declarare non omittant; nemini tamen (quod à nonnullis non ſine graui animi dolore factum audiuimus) concedant, aut ſuadeant, vt in ijs, ſeu ſolutæ orationis, ſeu metro ligatę auctoribus verſentur, qui vel impuris, nefarijſque verbis, vel conceptibus, aut hiſtorijs, commentiſque tuſcam eloquutionem verè auream fœdiſſimè deturpant, ignaramque adoleſcentiam, veluti blandè doloſo ſyrenarum cantu in perditiſſimum morum naufragium pellicentur, quę omnia ſupradicta ſub pœna exilij à noſtra diœceſi pro noſtro arbitrio cunctis magiſtris indicta eſſe declaramus. Se-

71 Semel ſaltem in hebdomada, atque etiam vbi ſeſe obuiam occaſio dabit, diſcipulos ad virtutem pro virili parte inſectandam, vitijſque aduerſandum apta adhortatione, ſanctorumque exemplis, & factis admirandis inflamment, curētque, vt ſacroſancto miſſę myſterio quotidie interſint, & vbi opus erit deſeruire calleant, vt etiã feſtis diebus, ſanctiſque quadrageſimę, & aduentus Domini Saluatoris Noſtri temporibus conciones, pias cõgregationes, & exercitium doctrinę Chriſtianę frequentēt, ab improborum iuuenum non modò familiaritate, ſed ētiam congreſſione conſtanter abhorreant, & longè latèque refugiant.

72 Noſtris Clericis in memoriam reducimus, quod 1 S. Carolus ſuis indixit, ne mulieres quauis dignitate illuſtres doceant legere, ſcribere, cantare, aut cuiuſuis genere inſtrumento ſonare, niſi ij ſint, quibus ob ętatem maturam, probatoſque mores nos facultatem hanc ſpecialem, & in ſcriptis dari arbitrati fuerimus; ſecus pœnã ſubeant annui carceris.

1 Mediol. sy.2 dec.32.

DECRETVM SECVNDVM

DE SACRAMENTIS
in genere.

1 TRactationi de fide adnectimus hanc de ſacramētis, per quæ, vt ſupra innuimus cum S. Auguſtino 2 quaſi viſibilium ſignaculorum conſortio in fide congregamur, & vni Deo fidelitatem pro modulo noſtro exhibemus; quoniam verò concors Patrum ſententia, & ipſa in dies experientia nos docet: ſicuti ſacramentorum vtiliſſimus eſt vſus, & fructuoſiſſima cognitio, ita eorum

2 cōtra Fauſtum c. 11.

ignorationem eſſe periculoſiſſimam de his ſacris myſterijs ad Sacerdotum præſertim inſtitutionem, generatim primum; deinde de ſingulis aliquanto largiùs diſſerere operępretium duximus.

Cap. I.

Præmittitur vera doctrina de ſacramentis in genere.

2 NE illam omnibus maximè pertimeſcendam pœnam ſuæ inſcitiæ noſtri Sacerdotes perferant, quam ſcelerum vltor Deus 1 comminatur (*quia tu ſcientiam repuliſti repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi*) 1 per Oſeã cap. 4.
quæ de ſacramentis generatim addiſcenda ſunt, eis breuitèr, atque dilucidè ex Tridentini Canonibus, Theologorumque receptiſſimis doctrinis exponemus; vt de ijs in examine interrogati, ſacramentorum adminiſtratores rationem reddere nouerint. Sacramentum igitur ad rem noſtram ſpectans, eſt ſignum ſenſibile gratiæ ad populũ Dei ſanctificandum diuinitus inſtitutũ; & ſanè congruũ fuit, vt eſſet ſenſibile, ſecus enim hominibus ad Deum viſibiliter colendum, & ſe aliqualiter de iuſtificatione certificandos accommodatum non eſſet, ſi illum ſenſibus percipere non valerent; gratia autem ſanctificans, quam ſignificat, corporeis ſenſibus ſubiecta non eſt, Vnde ſacramenti inſtitutor principalis non niſi vnicus gratiæ ſanctificantis auctor, & largitor Deus potuit eſſe.

3 In lege veteri vera fuiſſe ſacramenta, ſed alia à noſtris omninò diuerſa indubitatum eſt, illa enim Deus, vt mera gratiæ dandæ per Chriſtum venturum ſigna conſtituit, noſtra verò ſacramenta, quę Chriſtus Dominus in-

ſtituit in ſe, & gratiam continent perfectè iuſtificantem, quam ſignificant, & eam infallibiliter ſemper, quantum eſt ex parte Dei, & in omnibus non ponentibus obicem cauſant; conferuntque 1: adeòut per eà omnis vera iuſtitia vel incipiat, vel cepta augeatur, vel reparetur amiſſa. Hæc tamen gratia ſacramentalis non ex ipſa externarum rerum vi, nec ex merito miniſtri, ſed ex internæ, & diuinæ operationis virtute, non ex opere operantis, ſed ex opere operato eſtimanda eſt; atque tribuitur.

1 Trid. ſeſſ. 7. de ſacr. in proœm.

4 Porrò hæc nouæ legis ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta fuiſſe, eaque nec plura, nec pauciora quam ſeptem; videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; & vnumquodque horum eſſe verè, & propriè ſacramentum fides Catholica docet, & nobis firmiſſimè tenendum eſt. Sunt autem hæc nobis ad ſalutem æternam, non tamē omnia ſingulis, neceſſaria: ijs quippe homo in ſpirituali vita ad inſtar corporalis ſe habet, & perficitur, namq; Baptiſmo, Chriſto luſtrabilibus aquis regeneratur, & oritur. Confirmatione ſacro chriſmate Chriſti athleta contra aduerſarios luctaturus roboratur. in auguſtiſſima Euchariſtia diuino nutritur epulo. Pœnitentia, ſi quæ ante actæ vitæ ſceleribus inflicta ſunt, vulnera ſanantur, Extrema vnctione virium cadentium imbecillitas reparatur, & morbi ſpiritualis, ideſt peccati reliquiæ expellūtur. Ordine alijs vir præeſt, matrimonio denique hominum genus, ac proinde Eccleſiæ congregatio conſeruatur.

5 Prçter gratiam ſanctificantem à ſingulis ſacramentis ritè ſuſceptis cauſantur in anima auxilia quçdam ſpecialia, quç gratiā 2 ſacramentalem dicunt, eo quod ad melius finem illius ſacramenti conſequēdum dirigantur.

2 ſeſſ. 7. de ſacr. ca. 9.

v. g.

v. g. ob extremam vnctionem Deus vltra gratiam habitualem, auxilium ad callidiſſimi tentatoris inſidias diſſoluendas, mortiſque agonem fortiter ſuſtinendum elargitur, & ſic de alijs pro ſingulorum, ad quem inſtituta ſũt, finem diſcurras.

6 Sacramentorũ tria tantum, baptiſmum ſcilicet, confirmationem, & ordinationem in anima caracterem imprimere; vnde ea reiterari non poſſe cum Florentino, & Tridentino docemus; eſt autem caracter ſignum quoddam ſpirituale, & indelebilitèr impreſſum in anima hominis deputati ad peculiarem Chriſti cultum; nimirum per Baptiſmum deputatur homo in ouem Chriſti Domini, per confirmationem in militem, & per ordinem in miniſtrum ad animarum ſalutem curandam: cętera quatuor, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Matrimonium reiterari quidem poſſunt, ſed nonniſi iuxtà receptiſſimum ſacrorum canonum, & Tridentini pręſcriptum, vt, cum de ſingulis ſermo dabitur, admonebimus infra.

7 Sacramenta tribus perfici dicuntur, nimirum rebus, verbis, & perſona miniſtri cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: rebus quidem tanquam ex materia, & verbis tanquam ex forma integrum, & perfectum ſacramẽtum materia, & forma conſtare dicunt Theologi, ſimilitudine quidem à rebus naturalibus nõ ineptè ducta, quę tunc ſubſtantialiter, aut accidentaliter complete dicuntur à Philoſophis, quando ſuę materię debita forma cohęret; materia autem ſacramentorum, quę & elementum, ſeu res nuncupari conſueuit, ſi ſubſtantialiter, vel eſſentialiter, ùt in ſcholis dicitur, mutatur, proculdubio nullum erit ſacramentum: dicitur eſſentialiter, & ſubſtãtialiter mutata, cum ſecundum communem vſum, & ho-

minum exiſtimationem notabiliter diuerſa eſt ab ea,quã ex Chriſti inſtitutione Eccleſia ſemper, & conſtantiſſimè in eo ſacramento adhibuit,vt ſi loco triticei panis ad corpus Chriſti Domini conſecrandum quis ex caſtaneis cõfecto pane vteretur : ſi verò ſpectato communi vſu, & hominum iudicio non eſt diuerſa notabiliter illa res, tũc ſolum accidentaliter mutata materia, ſacramentum non quidem irritat, ſed adminiſtrationem, extra neceſſitatis caſum, illicitam reddit,vt ſi Latinus Sacerdos pro azimo, nulla adſtrictus neceſſitate, conſecraret panem fermentatum.

8 Forma ſacramentorum materiã perficiens ſunt verba ſolemnia, vnde per omnium ora illud Diui Auguſtini dictum circumfertur (*accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.*) hęc itidem ſi ſubſtantialiter varientur, irritum erit ſacramentum, non verò ſi ſolummodò accidentaliter: nomine mutationis ſubſtantialis hac in re intelligitur cum verba non amplius ſenſum à Chriſto Domino intentum efficiunt, vel eam diſtinctionem terminorum non exprimunt, quam ipſe taxauit, vt ſi dicas: *Ego in te baptizo Nomine Patris, &c. vel ego te baptizo in nomine Trinitatis*: in quo caſu non fit ſacramentum; mutatio autem accidentalis eſſet, cum qua intentus à Chriſto ſenſus retinetur, vt ſi dicas: *Ego in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti baptizo te*: quàm autem ſit graue ſcelus ex compoſito mutare eſſentialiter materiã, aut formam, vel dubia vti ſine vrgenti neceſſitate, vel quando mortale ſit formam aduertenter adhibere cum accidentali mutatione, quiſque facile à quolibet Theologię moralis profeſſore addiſcere poteſt : pro noſtro enim inſtituto ſatis eſt ea ſummatim innuiſſe.

Cap. II.

De recta Sacramentorum adminiſtratione, & ſuſceptione.

9 NOn omnibus ſacramenta adminiſtrandi eſt æqua poteſtas; Namque ipſi Sacerdotes, extra caſũ extremæ neceſſitatis ſine licentia Ordinarij confeſſionibus nullo modo vacare poſſunt: ſimiliter extra prædictũ vrgentis periculi euentum quilibet baptiſmum, aut euchariſtiam, quamuis eſſet in diaconatu conſtitutus, nec debet, nec illi vllo pacto adminiſtrare permittimus: volumus enim hoc præexcellens in Eccleſia Dei munus ſolis Præsbyteris obeundum eſſe, ijs quidem, qui à nobis præuio examine fuerint approbati, eamque facultatem litteris aſſignatam habuerint, quod ſi quis contrarium auſus fuerit, in temeritatis pœnam, ſuſpenſio ab ordinibus nobis arbitraria, & annua in carcere detentio cedet: miniſter quoque alius à ſuſcipiente eſſe debet; præterquam in matrimonio, cui ipſimet, qui contrahunt adminiſtrant, & in Euchariſtia, quam ſibi idem Sacerdos porrigit.

10 Miniſtri Cæremonias, & ritus ſacros ab omni vetuſtate acceptos; & ab Eccleſia inter ſolemnia ſacramẽtorum adhiberi conſuetos religioſiſſimè teneãt; ſuamque eis omninò ad Ritualis Romani amuſſim obſeruationem reddant; quamuis enim ſine illis ſacramentum validum ſit; tamen, niſi neceſſitas cogat, abſque capitali noxa nequeunt omitti. Et ſanè horum facilis reliquis inferioribus Eccleſijs euadet obſeruantia, ſi illarum Rectores de noſtræ Cathedralis in his omnibus vſu diligenter erudiantur, atque ab eo nulla ex parte diſcedant.

Re-

11 Requiritur præterea in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, intentio ſaltem faciendi id, quod facit Eccleſia, & quidem, quoad fieri poteſt, procuranda eſt actualis 1; at certè virtualis ad ſacramenti valorem neceſſaria eſt. Virtualem intentionem cenſeris habere, quando tua illa prima voluntas actualis, qua, exempli cauſa, è domo mane ad ſummo Deo ſacrificandum egreſſus, per actum contrarium, vel diuerſionem ad opus, quod ad ſacrificium minimè dirigitur, non retractata, neque interrupta durat, & moraliter in opere ad ſacramenti illius adminiſtrationem ordinato perſeueraſſe exiſtimatur.

1 Trid. ſeſſ. 7. can. 11. Florent. decreto de vnione Arm.

12 Debet intentio hæc eſſe abſoluta; vbi enim non adeſt iuſta, vel ſaltem probabilis cauſa, peccare miniſtrũ ſi ſacramenta ſub conditione conficiat, planum eſt apud omnes; cum verò in caſum incidis, quo rationes, ſeu ſẽtentiæ in vtramque partem probabiles te in dubitationẽ de ſacramenti validitate adducunt, tunc ſanè prudens, & ſufficiens adeſt cauſa ſacramentum ſub conditione iterãdi, illud præſertim, quod ad æternam ſalutem eſt neceſſarium.

13 Quoniam verò ſancta ſanctis tractanda ſunt, omnibus viribus, totaque mente, quibus ea cura demandatur, curandum eſt, vt moribus emendati ſint, & ab omni improbitate alieni, & ſciant ad gratiam per ſacramentalẽ confeſſionem, aut per actum contritionis perfectæ antequam adminiſtrant debere diſponi, ſi quando mortiferi criminis ſe reos eſſe cognoſcunt, aliàs ſacramentum illud quodcumque ſit validè; ſed tamen ſacrilegè conficient; Vnde qui proteruè, qui negligentèr, aut impurè, &, vt vno verbo dicam, non dignus ad ſacroſancta miniſteria accedit, videat quantum ſit illi formidandum; etenim miniſtro infrunito, & irreuerenti, qui ſuæ immemor di-

dignitatis perperam, & nequiter opus facit, intonare
Deus illud videtur, quod Caino profano, & ſcelerato 1 Geneſ. 4
1 (*peccaſti, quieſce;*) quod aſſerit 2 S. Ambroſ. cuius illa 2 l. 2 de pœnit. cap. 11.
grauis eſt monitio (*nemo in peccato poſitus arrogare ſibi debet auctoritatem, aut vſurpationem ſacramentorum;*) *quia ſcriptum eſt, peccaſti quieſce, &c.* diuinè etiam S. 3 Epiſt. 42.
Bernardus 3 (ſi non places, non placas,) nã, vt benè Io- 4 de bello iudaic. l. p. c. 11.
ſephus 4, oportet ſacra ab integris tractari.

14 In Paſchate ad ſatisfaciendum præcepto, ijs tantum, quæ ad ſuam parochiam pertinere nouerint animarum curatores miniſtrabunt. Vbi autem vnica eſt Parochia, nempe Eccleſia mater, quilibet ſatisfacit, ſi in illa, vel in ea, ad quam ipſe ſpectat, & vulgò appellatur coadiutrix Sacramentalis, Euchariſtiam ſumat, reliquis autem anni temporibus, & quo ad reliqua ſacramenta miniſtranda, vbicunque vnica tantum perdurat Parochia ſeruetur conſuetudo, quę hactenus ſeruata eſt 5. 5 Synod. Catan. *Torres.*

15 Execrabilis quorumdam ſacerdotum habendi cupiditas vſque ad ſacramentorum ipſorum contemptum, & iniuriam non vnquam irrumpit, dum contra euangelicum 6 præceptũ, quæ gratis accepimus ſacramenta gratis præbere recuſent; quorum auiditatem ſacris ſemper Concilijs inuiſam, atque damnatam nos comprimere volentes, omnibus nobis ſubiectis Parochis, Capellanis, ſeu Eccleſiarum miniſtris feriò prohibemus, ne quid de ſacramentorum adminiſtratione à quoquam velut debitum, aut verbis exigant, aut nutu, & tacitè petãt; quod ſi fidelium pietas, & charitas in altari deſeruientium ſubſidium aliquid ſpontè offerat, non obſtamus, quin quod liberà voluntate, & ex charitate offertur recipere valeãt; ſed laudabilius eſt, ne illud pretium, aut recompenſatio ſacramenti exhibendi videatur, ſi alio tempore, alia- 6 Matt. 10.

que occaſione acceptetur; ſic enim non omnem modo ſimoniæ labem, verum etiam auaritiæ ſuſpicionem euitabunt; ſecus qui illud admiſerit, ſciat ſe & pœnis iure communi ſtatutis, & alijs noſtro arbitrio fore mulctādū.

16 Eccleſiarum miniſtri, ſeu Cappellani non alibi, quam in Eccleſia ſine noſtra licentia, vel niſi neceſſitas vrgeat, nec diebus magni concurſus, præſertim feſtiuis, ſine ſuperpellicio, & ſtola miniſtrent ſacramenta. Qui non paruerit vncias duas ſoluat.

17 Adeò plerumque eorum, qui curam animarum habent, mentem terreni affectus, atque negotiorum temporalium ſollicitudo occupat, vt ſacramentorum adminiſtrandorum munus à ſe pœnitus abdicaſſe videantur, ſolo Parochi, vel Curati nomine ad primas ſedes obtinendas; ad beneficiorum; eorumque etiam, quos ſibi in munere ſubſtituerint, laborum mercedem percipiendam, extorquendamque contenti, quare ab ipſiſmet Parochis, ſeu Cappellanis ſacramenta populis tam rectè, quam malè habentibus adminiſtranda diligenter, ac opportunè, eorumque vim, & vſum pro ſuſcipientium captu piè, prudenterque explicandum eſſe præſenti conſtitutione decernimus; neque eos ab hoc officio vlla vnquam excuſatio eximet, niſi euidenter infirmi ſint, aut impotentes, vel alio maioris momenti ad diuinam gloriam negotio impediti, aut demum adeò copioſus ſit eorum numerus, quibus adminiſtrari ſacramenta deberent, vt opus omninò eſſet ſocijs annuere, vt venirent, & adiuuarent eos. Imò ſumma animi alacritate, & promptitudine tanquam à Deo ad animarum excubias deputati diù, noctùque quocumque à quibuſuis ſacramenta poſtulantibus vocentur preſtò ſint, & faciles, timentes vehementer ne quiſpiam eorum culpa abſque Eccleſiæ ſacra-

men-

mentis, & precibus decedat; illius enim anima de ipſorum manibus requiretur: quamobrem ſummis laudibus commendatur eorum curatorum ſolertia,& charitas, qui ægrotos ſuæ Parochiæ, in primis verò pauperiores, etiã non vocati inuiſunt, vt tempori ad ſacramenta ritè ſuſcipienda inſtruant, & inducant; eorum animabus quacũque ratione poſſunt ſollicitè, paternèque conſulentes.

18 Cæterum ſi quiſpiam abſque Eccleſiæ ſacramentis ritè ſuſceptis eorum culpa decedat, nouerint vltra pœnas, quam ſupremo omnium Iudici ob tantam ſocordiam debent, incurrent noſtras etiam ſeueriſſimas, illaſque in foro conſcientiæ, quas Clemens Papa VIII. in Bulla ſuper reformatione Parochiarum cõminatur, quã nos,vt præ manibus aſſiduè habeant, & inſtruantur dabimus in lucem.

19 In ipſo Sacramentorũ miniſterio infidelem quempiam Parochus adeſſe non patiatur. Maximè qua poſſunt reuerentia, atque animi deuotione ad ſuſcipienda Sacramenta fideles accedant, hortamur; quare prætermiſſis tunc temporis alijs curis, & negotijs licet grauibus, toti ſint in obſeruandis, quæ Sancti Patres, & Concilia circa illud ſacramentum præſcribunt, & ſuadent, & quidem excepto baptiſmo, & Pœnitentia, reliqua omnia, cum per ſe inſtituta ſint ad augmentum gratiæ ſanctificantis, ipſam gratiam in ſuſcipiente per ſe requirunt, alioquin ſacrilega erit, & infructuoſa receptio.

20 Vt Sanctiſſima Sacramenta non ſolum in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiantur, ſed ijs debitus religionis cultus, etiam externus, ab illis tribuatur, qui ea adminiſtrant, vel ſuſcipiunt, Parochus, aut Curatus ne patiatur quemquam ob id accedere, niſi exteriori quoque habitu, veſtiumque modeſtia, & munditiæ,

debitam illis venerationem, ac reuerentiam præſeferat, ſimiliter nemini armis induto ſacramentum quodque tribuat, niſi prius arma deponat, ſub pœnis noſtro arbitratu ſoluendis.

21 Illud quoque pro ſuſcipientibus nonnulla ſacramenta, videlicet Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam Vnctionem diligenter aduertendum eſt, prerequiri ſcilicet neceſſariò in quocumque caſu vſum rationis, & liberam ea ſuſcipiendi voluntatem.

Cap. III.

De libris, Sacris Vaſis, & Oleis Sacramentorum.

22 IN ſingulis Sacramentalibus Eccleſijs quinque à Curatis conſtituendi ſunt libri, in quorum primo nomina, & cognomina eorum, qui baptizantur, in ſecũdo, qui confirmantur, atque in his Patrinorum quoque, ac parentum, adnotato loco, die, & anno illius baptiſmi, & confirmationis; in tertio, eorum, qui matrimonium contrahunt; in quarto eorum, qui quotannis diuinum cibum capeſſere obligantur, vt Paſchalibus ſolemnitatibus tranſactis iudicet Curatus ſi precepto ſatisfecerint, & vt contra inobedientes quid in Domino iudicauerimus ſtatuamus, nos certiores faciat; In quinto denique libro omnium intra illius Parochię fines mortuorum, eorumque ſepulturę nomina referantur, omnibus ſeruatis ſcribendi formis, quę in Rituali Romano decernuntur.

23 Hos omnes libros ipſi Principales tantùm animarum Curatores apud ſe omni cura cuſtodiant, ijs autem vita functis, ipſorum hęredes intra primum octiduum ſub

pœna

pœna excommunicationis, ſucceſſori, aut quem nos deſignauerimus tradant; nec ad aliam Eccleſiam Parochus, aut Capellanus trãſeat, niſi priùs eoſdem libros ſucceſſori conſignet, ſub eadem pœna.

24 Sub pœna excommunicationis latę ſententię, alijſque ad noſtrum libitum infligendis pręcipimus, omnibus, & ſingulis noſtris ſubditis, ne ſub quouis prętextu audeant, frangere, auferre, oblitterare, reficere, aut quouis alio modo prędictorum librorum paginas vitiare.

25 Quoniam verò ob cuſtodum incuriam mutili ſępè, atque corroſi, reperti ſunt; nonnullorum etiã, (quod peius eſt, & grauiſſimorum damnorum origo,) non ſemel irreparabilem iacturam factam eſſe cognouimus; diſtrictè iubemus Parochos, ſeu eos Cappellanos ſacramentales, ad quos huiuſmodi librorum cura ſpectat, ſingulis annis, ſtatim poſt Dominicam in albis, eorum omnium vnicum, ſed exactum compendium conficere, & in noſtra magna curia apud Archiuarium prędentare, ſub pœnis per nos iuxtà cuiuſque negligentiam taxandis.

26 Illud in primis ſacramentorum cuſtodes curẽt per quam diligentiſſimè, vt ſacra vaſa illorum vſui deſtinata ſanctè, & decorè aſſeruentur, atque ne vlla rubigo, vel ſordes emergat, ſacrata vaſcula ſępè obſeruent, & tergant: mappas, & lintea abluant, ità vt eorum omnium ablutionis reliquię in ſacrarium proijciantur, quod in ſingulis Eccleſijs, in quibus res diuina peragitur omninò, aut in maiore ſacello, aut in ſacriſtia eſſe debet, & claue obſeratum; ſacerdos quoties ſacrum aliquod contrectauerit, manus diligẽter panis medulla primò, ſi opus erit, abſtergat, deinde lymphis, quę ſimiliter in ſacram Piſcinam immittantur.

27 Iam verò locorum claues vbi hęc ſacra recondun-

tur olea, tum etiam baptiſterij, ſed in primis cęleſtis patris Tabernaculi, de quibus,cum de baptiſmo, & eucharistia nobis erit agendum, ipſe tantum Parochus, aut Curatus hebdomodarius, ſeu coadiutor ſanctè, cautèque apud ſe cuſtodiat, atque ne quidem Clerico miniſtro illas vllo tempore concredat, ſubpœna quinque ſcutorum;

28 In vnoquoque Parochiali, ſeu quaſi Parochiali tẽplo, tria eſſe debent argentea vaſcula, vel ſaltem ſtannea, & intrinſecus ex peruetuſto vſu rotunda. In primo oleum cathecumenorum ad baptiſmum; in ſecundo ſacrum chriſma ad confirmationem;in tertio oleum ſanctũ infirmorum,ad extremam vnctionem,cuſtidiatur; & quidem prima duo ſimul, & in eadem arcula argentea, vel ſtannea aſſeruentur; tertium, quia ſępè per vias,domoſq; ferri debet, in vaſe diſtincto, aptoque, vt à Sacerdote, cum vſus venerit, decenter manibus geſtari queat, reponatur.

29 Nuſquam verò,pręterquam in maiori Eccleſię ſacello, aut ſi id fieri ibi nequit, in alio eiuſdem templi decentiori loco, obtempta à nobis primùm licentia, prædicta olea ſacra collocentur; propterea affabrè ad id in ipſo pariete extruatur, & ornetur armariolum cum ſua ſuperſcriptione, veloque ſerico, intuſque ſerica circumueſtiatur tela, vt ſic quiſque illuc intuens, religione tactus, ſtatim intelligat ibi ſanctum aliquod ſeruari, & reuereatur.

30 Cui in Eccleſia Cathedrali id muneris datum eſt, vt ante Paſchæ dies noua olea cunctis noſtræ, & quando opus eſt,alienæ diœceſis Eccleſijs diſtribuat in librum ad id confectum illarum Eccleſiarum, & perſonarum nomina referat, quibus dederit. Similiter in vnaquaque

vni-

vniuerſitate ipſi Parochi, aut Vicarij, ad quos ea miſſa ſunt, libro notent eccleſias ſacramentales, quibus, & per quorũ manus olea ſancta diſtribuerũt. Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, quàm ſacris ordinibus inaugurato.

31 Totidem preterea ex argento, vel auro, & eiuſdem formę ſacrorum oleorum vaſcula vnaquęquè Parochia, ſeu Eccleſia ſacramentalis, quæ ad Cathedralem recentia olea acceptum mittit, habere debet; nec enim ampullæ vitreę, aut alia huiuſmodi huic muneri deſtinãda ſunt, vt ſcilicet dum hæc ad recens conſecratum oleũ ferendum adhibentur; alia, quod reliquum eſt, ſacrum oleum vetus retineant, fortaſſe enim eo medio tempore ſancto oleo opus erit. Vbi verò nouum aduenit, vetus ſtatim curatus comburat in lampade, quæ ante ſanctiſſimum ſacramentum collucet, bombice planè exuſto, & ſi quod in lampade remanſit aquæ, in ſacrarium proijciatur; vaſcula autem, quæ vacua ad futurum annum ſeruanda ſunt, diligenter, politèque abſterſa in ſacriſtia cuſtodiantur.

32 Quod ſi fortè intrà annum aliquid prædictorum oleorum, quod vſui eſſe debet, iam iam defecturum prçuideatur, ſi tempus non patitur, vt aliunde haberi poſſit, illa ratio ineatur, quę eſt præſcripta canone 1; vt ſcilicet oleo conſecrato ſuperſtiti non conſecratum admiſceatur: Id verò non ſacratum guttatim ita infundatur, vt ſemper quod infunditur minus ſit oleo conſecrato, quod in vaſe reliquum eſt. 1 S.Carol. mediol.Syn. 4 p.2.conſt.

33 De ſacra ſupellectili ad ſacramentorum adminiſtrationem neceſſaria, cum illa ſingillatim declarabimus, agemus.

DE-

DECRETVM TERTIVM
DE BAPTISMO.

1 IAnua omnium ſacramentorum, & principium iure optimo à Concilijs, & Patribus nuncupatur Baptiſmus; eſt enim adeò ad ſalutem æternam neceſſarius, vel in re, vel in voto ſuſceptus, vt ſine illo nec vllũ aliud ſacramentum nobis quidquam prodeſſe valeat, nec vel quibuſcunque bonis operibus inſtructi cœlitum vitam ſperare poſſimus. Immutabile enim eſt Verbi Diuini
1 Ioan. 3. oraculum, *niſi quis 1 renatus fuerit ex aqua, & Spiri-*
2 Matt. 4. *tu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*; Vnde ad hoc confirmandum, baptizato Chriſto conſtat 2 ſtatim apertos eſſe cœlos.

2 In animarum regenerationem, & lauacrum inſtitutus fuit baptiſmus à Chriſto Domino ante ipſius paſſio-
3 S.Ambr. lib.3. in *Lucam* ca. vlt. Hier. in c 3. tract. Damaſcen. l. 4. de fide c.10. nem, & quidem, vt probabilior fert Patrũ 3 opinio, eo die, quo ipſe in Iordane à Ioanne Baptiſta fuit baptizatus. Tunc enim, & materiam deſignauit baptiſmi, nempè omnem, & ſolam aquam veram, & naturalem, ſeu, vt alij dicunt, elementarem, & aptam ad abluendum, quãdo non vt mundaretur ipſe, qui eſt ipſa munditie purior, & candor lucis æternæ, ſed vt mundaret ſacro ſui corporis contactu aquas, eaſque tam ſancto miniſterio deſtinaret, & ad regenerandas animas eleuaret, ſe in Iordanẽ
4 Matth. 4. immerſit 4, & baptizari permiſit, & confirmauit poſtea expreſſis verbis pronuncians: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*

3 Inſuper & formam eodem tempore deſignatam eſ-

ſe

ſe ijdem auctores docent; nam, & filius baptizandus adfuit, & Pater illi teſtimonium perhibuit voce cęlitus delapſa, & Spiritus Sanctus ei in ſpecie columbæ apparuit, quam formā poſtea Chriſtus Dominus expreſſit 1 quādo Apoſtolos miſſurus iuſſit docere omnes gentes baptizantes eos in nomine P. & F. & Sp. S. ex quibus verbis Eccleſia latina hanc veram, eſſentialem, ac neceſſariā baptiſmi formam deduxit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen*, quæ debet diſtinctē, & clarē pronunciari, & ſimul cum ablutione proferri.

1 Matth. 28.

4 Hæc autem ablutio, quæ & materia proxima Baptiſmi nuncupatur, in contactu ſucceſſiuo aquæ ad corpus baptizati conſiſtit, & fieri poteſt vel per vnicam quidē (nam præceptum illud antiquum 2 trinę immerſionis ceſſante errore Eunomitarum, abolitum eſt) immerſionē corporis in aquam, vel per aſperſionem, ſeu effuſionem aquę in corpus. Laudabilior tamē noſtrę diœceſis conſuetudo retinenda eſt, quę per effuſionem aquæ ſupra caput baptizati, ſi tamen aliud neceſſitas non dictet, id fieri docet; atque hîc ſedulò miniſter aduertat, vt quandò aqua effunditur non tantum capillos tangat, ſed ad cutem, & frontem ita pertingat, vt caro ipſa abluatur, & quidem alij dicunt ſufficere quamlibet minimam partē corporis qualibet minima naturalis aquę gutta 3 ſucceſſiuo motu tangi, quia eſt vera ablutio. Probabilius 4 tamen eſt requiri Baptiſmum fieri in aliqua parte corporis principali, v. g. in capite, pectore, ſcapulis, brachio, aut pede. Verum tamen eſt, quod ſi vita cum matre periclitetur infans egrediens, nec in principali parte luſtrali ablui poteſt aqua, eo caſu in ea, quæ apparet, quantulacumque ſit corporis particula, etiam in capillis, aut

2 Gre. Pap. in c de Trina conſec. diſt. 4.

3 Henriq. l. 2 c. 7. Vaſq. diſp. 145. c. 4. & alij.

4 Bonac. Tolet. Layman. Caſtropal. & alij.

pelle

pelle ſecundina, ipſius tamen pueri corpuſculo adhereſcentibus baptiſmus adminiſtrandus erit, tenetur enim in huiuſmodi euentibus miniſter, ne puer abſque baptiſmo decedat, iuxtà probabilem auctorum ſententiam operari; At qui ſi ille poſtea viuus in lucem prodit infãs, repetendus eſt eius, ſed ſub conditione baptiſmus ſic: *ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.*

5 Infidelium filij, ſi vſum rationis habeant, & petãt baptiſmum, debent fidei myſterijs iam inſtructi ſacro perfundi fonte, etiam renuentibus parentibus, ſeu ijs, in quorum ſunt poteſtate, ſecus verò ſi diſcretionis annos non attingant. Hic tamen excipe primo quando alteruter parens in id conſentiret, altero renuente. Excipe ſecundo caſum extremæ neceſſitatis; ſi enim infans in periculo mortis ſit conſtitutus, baptizandus eſt etiãm vtroque reclamante; ab eorum tamẽ cura, ſi ſuperuixerit, abſtrahendus eſt, vbi ad vſum rationis peruenerit. Excipe tertiò caſum, quo puer ità ſegregatus *1* ſit à parẽtibus infidelibus, vt nullus iam ſit probabilis timor in eorum conſortium fore vt redeat. Excipe quartò filium ſeruum, ſeu ex ſeruis progenitum, quem ex ſolo conſenſu Domini (quidquid in contrarium obſtrepent parentes) baptizare poteris.

1 Con. Tol. 4 c. 62. cap. Iudæi 28. q. 1.

6 At verò fidelium infantes etiam à fide Apoſtatarũ, inuitis quoque parentibus ſunt purificatione religionis noſtræ luſtrandi. Adultus, qui nunquam vſum rationis habuit, nec habet, etiam, ſi renuat baptizandus eſt; non verò ſi aliquando compos fuit rationis, & non petijt, nec conſtat habuiſſe intentionem ſuſcipiendi baptiſmum.

7 Baptiſmus miniſtrari poteſt, tum paruulis, tum adultis, ideſt annos diſcretionis poſſidentibus; cùm hoc tamen

men diſcrimine, vt ex parte paruulorum nulla prærequiratur diſpoſitio ad eos validè, licitèque è ſacro fonte regenerandos, nam Chriſtus, & Eccleſia eorum voluntatem ſupplet; at triplex ex parte adultorum ad id præhabenda eſt diſpoſitio, ſcilicet intentio ſaltem virtualis ſuſcipiendi baptiſmum, fides vnius Dei, & Trini, atque cōtritio, ſeu attritio de peccatis cōmiſſis; quamobrem ſi aliud graue periculum dictet, adulti, nonniſi ſufficienter in fide inſtructi, atque de noſtra licentia, baptizentur; ſemper autem cauendum eſt, ne ritibus, aut ceremonijs vtantur miniſtri, niſi quæ in Rituali Romano iuſſu Sanctiſſimi D. N. Pauli V. edito præſcribuntur, & noſtra vtitur Cathedralis.

8 In Symbolo vnum baptiſma confiteri docemur; vnde hoc ſacramentum ritè ſuſceptum reiterari, vt S. Auguſtini 1, & Leonis 2 primi verbis vtar, immane ſcelus eſt, & ineſpiabile facinus; quapropter ius ciuile 3 tam rebaptizato, quàm rebaptizanti, capitis pœnam decernit; lex verò Canonica eoſdem 4 irregularitatis damnat; quia tamen, (quod horribile dictum eſt) aliquando eueniſſe reſciuimus aliquem adultum Chriſtianum, ſimulato infidelium nomine, habituque, ad turpem quæſtum, vel diabolicum finem iterum baptiſmum ſuſcepiſſe, id ne vnquam in poſterum accidat, Parochus antequā de noſtra licentia adultos baptizet, omnem diligentiam adhibeat, vt iſtos homines, vel Iudeos, vel Turchas, Moroſue, qui baptiſmum ſibi conferri petierint, planè dignoſcat, & de eorum conditione, & ſtatu, quantum fieri poterit, à probatis viris teſtimonium in ſcriptis accipiat.

1 S. Auguſ. de conſecr. diſt. 4. c. rebaptizari.
2 Leo. p. eadem diſt. c. cum itaque.
3 l. 2. cod. ne ſanct. bapt. reiteretur.
4 c. 1. extr. de apoſt. & cauſa 1. q. 7. c. qui in qualibet.

9 Ad proprium Parochum, præſertim ſpectat adminiſtrare baptiſmum; deindè, eo legitimè impedito, ad eos Sacerdotes, quibus ille, aut nos nominatim eam facul-

tatem conceſſerimus; non Sacerdotibus autem ſine noſtra licentia hoc ſacramentum extra caſum neceſſitatis adminiſtrandi curam, vel ſemel, demandare nequeant Parochi, ſub pœnis noſtræ reſeruatis voluntati; ſub ijſdẽ vetamus Cappellanos ſacramentales, vt vocant, ſeu curatos amouibiles, & Parochorum adiutores cuiquam, excepto caſu neceſſitatis, & ſine noſtra in ſcriptis expreſſa facultate, munus hoc ſubdelegare.

10 Superpelliceo, & ſtola albi coloris vtantur, nec alijs quibuſuis, qui ad ſuam Parochiam non ſpectant, hoc ſacramentum miniſtrent ſine licentia Vicarij, niſi fortè periculum aliud expectare non patiatur, diligenterque inquirant, antequam baptizent, num fuerit per obſtetricem conuenienti materia, & forma puer baptizatus?

11 Cum tamen mortis periculum inſtat, quilibet baptiſmum adminiſtrare poteſt, quin ex charitatis lege tenetur; cauere tamen debet ne præſens, promptuſque Sacerdos Diacono, Diaconus ſubdiacono poſtponatur; minor enim, aut inferior, præſente ſuperiori, laicus dũ adeſt clericus, mulier coram viro, id muneris ſibi arrogare non debet; niſi aliquando pudoris ergo magis deceret eſſe fœminam, quam marem, quando nimirum baptizanda eſt proles, quæ de matris vtero nonniſi ſui partem aliquam abluendam præbet.

12 Vltra tertiam à natiuitate diem infantes ad Eccleſiam deferre ij 1, quorum eſt ea cura ne cunctentur, quod ſi imminens periculum in priuatis ædibus id fieri aliquando cogat, & infans ſuperſtes erit, ante nouam lucem, vel vt primum per valetudinem licuerit, vt ſolẽniter baptiſmi ritus, & præces adhibeantur, in Eccleſia ſiſtatur: in omni autem caſu baptiſmum in libro baptizatorum à Parocho notandum curare debent, declarato,

1 S.Carol. Med.ol.p.c. de bapt.

Pa-

Patrini nomine, tum eius, ſi quis domi ad baptiſmum, tum eius, qui in Eccleſia ad Catechiſmum, & exorciſmum adhibitus eſt, addito baptiſmi die. Quod ſi aliquid horum parentes neglexerint, excommunicationis gladio feriantur.

13 Nemini in noſtris Eccleſijs ante ſolis ortum, aut poſt occaſum baptizare permiſſum ſit, niſi grauis aliqua cauſa vrgeat, quæ tamen nobis, vel noſtro Vicario approbanda eſt; miniſter inobediens, ſuſpenſionem ad ſex menſes incurrat. Quod ſi aliquando ob cauſas vrgentes ad plures dies differendus eſt baptiſmus; puta vt expectetur ſuſceptor, vel eius procuratio; vt magnificus ſupellectilis apparatus perficiatur, poterit infans priuatim baptizari, & opportuno dein tempore ſolemniter deferri, vt cæremoniæ in Eccleſia adhibeantur.

14 In Eccleſia baptizans id ſemper ad Sanctiſſimam Euchariſtiam facie verſa præſtabit; ſi verò plures ſacro lauãdi ſunt fonte, à dignioribus incipiat, & mares femellis præferat; antequam baptizet, inueſtiget num fuerit infans per obſtetricem, & cum qua forma, & materia baptizatus? vbi enim errorem aliquem eſſentialem interceſſiſſe probabiliter dubitat, ſacramentum ſub conditione reiteret.

15 Quoniam autem vſum, ſeu potiùs corruptelam in noſtram diœceſim irrepſiſſe comperimus, vt Etnichorum, aut ea, quæ turpia, vel ridicula ſunt pueris nomina imponantur; Parochus, ſeu is, cui tunc id munus incũbit, nomina duntaxat Sanctorum, & Beatorum ad imitandum, ſemperque præſentem implorandam opem, imponet ſub pœna ſuſpenſionis.

16 Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VII. decreto, & Ritualis Romani Pauli V. & Vrbani VIII. aucto-

ritate promulgati, & Concilij Viennenſis veſtigijs inhærētes diſtrictè præcipimus, vt baptiſmus in Eccleſijs dumtaxat, in quibus ad hoc ſunt lauacra ſpecialiter deputata, conferatur, & in ea, cuius eſt Parochia; in poſterum igitur nemo aliquem in propria, aut aliena domo, aut in templis non parochialibus, niſi mortis periculum inſtaret, aut à nobis facultatem litteris obſignatam obtinuerit, baptizare prçſumat. Miniſter qui ſecus fecerit, & quicumque id in proprijs ædibus præſtari permiſerint, in excommunicationem latæ ſententiæ, aliaſque noſtro iudicio indicendas pœnas incidant.

17 Atque hic ſine piaculo præterire non poſſumus, quòd ſumma, eademque auita noſtrorum Catholicorũ Regum, (quos Deus ad Neſtorios fortunet annos) in ſacramenta religio omnes ſuo exemplo præſtare docet, dũ proprios filios ad Eccleſiam deferri, ibique ſacro fonte abluì pro ſua pietate non renuit; quamuis 1 per citatam apoſtolicam ſanctionem, Regum, magnorumque principum natis, vt vbilibet baptizari queant, expreſsè indulgeri pulchrè calleant. Si verò occurrerit aliquando, vt quis ex noſtra licentia in Eccleſia, in qua fons baptiſmalis non adeſt, baptizandus ſit, ex parochia luſtralis vnda ſumatur. Atque hic recolere non grauabimur, quod olim Baptizati extra Eccleſiam ad eccleſiaſticam militiam non admittebuntur, nec ad Clerum.

1 Clemen. vnic. de baptiſmo.

2 Tom. 1. cõcli. fol. 413.

3 Tom. 6. fol. 129.

18 In baptiſmo vir non teneat 2 mulierem, nec mulier virum, nec parens filium 3, aut filiam.

19 Sacroſancta Tridẽtina Synodus 4 ſtatuit, vt vnus tantum ſiue vir, ſiue mulier iuxtà Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus, & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: caueant igitur Parochi, ne plures duobus ſuſceptores, ſeu vt vocant, Patrinus, & matri-

4 Seſſ 24 c. 2. de refor.

na,

na, vel compater, & commater adhibeantur, neuè hoc munus obeant, quibus per Canones interdicitur; quales proculdubio ſunt regulares 1, excommunicati, interdicti, amentes, concubinarij, meretricium exercentes, aut publica notati infamia, primorum fidei rudimẽtorum prorſus ignari, qui Paſchatis præcepto non obtẽperarunt, exteri non benè cogniti, impuberes, qui decimum quartum ætatis annum non attigerunt; cum enim ſuſceptores baptizatum à ſacro fonte in filium adoptent, & teneãtur ſub graui culpa illum fidei rudimentis, & bonis moribus informare, verique fidei Iuſſores ſint, & inſtitutionem filij adoptati ſpondeant, atque in ſe ſuſcipiãt; iure optimo prædicti ab hoc officio arceantur, cum id vel ob defectum moralem, vel naturalem pro dignitate ſuſtinere non valeant. Qui permiſerint Parochi & ſuſpenſionis ad noſtrum libitum, & quatuor vnciarum pœnas luent.

1 cap. licet, & cap. monachi de cõſecr. diſt. 4. Rit. Rom. de bapt. de patrinis.

20 Tum infans ad baptiſmum, cum ipſe patrinus, & matrina habitu modeſto, & qui nullam vanitatis ſpeciẽ præferat accedere debent; cum minimè deceat in ipſo vitæ chriſtianæ ingreſſu, & in faciem Eccleſiæ tunc maximè exigentis mundi pomparum conſtans, apertiſſimũque repudium ijs ornamentis, & oculorum illecebris ſtudere, quibus potiſſimum ſollemni ſponſione renunciatur: fideles etiam, qui adſunt, admonendi ſunt, vt memoria tacitè, ſtudioſèque repetãt, quæ Deo in ſuo baptiſmo promiſerunt.

21 Nequit quilibet ſua ſponte, & non vocatus ad infantem à ſacro lauacro adoptandum ſe intrudere; debet enim à parentibus 2 deſignari, quod ſi id illi neglexerint, tenetur Parochus ipſe vnum, aut vnam, vel ad ſummum, vt paulò ante diximus, vnum, & vnam ex non legitimè

2 Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 2.

gitimè impeditis eligere; & hi quidem moneātur vt puerum, dum baptizatur, tangant, quod ſi alij vltra deſignatos, baptizatum tetigerint cognationem ſpiritualem nullo pacto 1 contrahunt.

1 Trid. ibi.

22 Edoceantur à Parocho, ſi neſciunt, huiuſmodi ſuſceptores de onere, quod illis filios hos Deo regeneratos incumbit rudimentis fidei Chriſtianæ inſtituendi; itē de cognatione ſpirituali, quam contrahunt cū ipſo baptizato; atque etiam cum Patre, & matre illius. Vnde inter huiuſcemodi matrimonium nequaquam cōtrahi poteſt, & contractum dirimi debet, eadem prorſus cognatio ſpiritualis, idemque matrimonij impedimentum oritur inter miniſtrum, ideſt baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem. Abuſus autem eſt omninò abolendus, & error popularis eos ſibi adſciſcere in compatres, aut commatres, quorum nullum filium è fōte ſuſceperint, aut lauerint, vel eo præcisè quod cum illis amicitiam inierint, aut vittam infantis abluerint.

23 Vittæ, & linteola, quæ ad abſtergendum baptizati caput, vel aliam corporis partem ſacris ablutam aquis, vel oleo adhibentur, ſint omninò noua, & munda, laicis nullo modo tradantur, ſed benè in ſacrario purgata in alium eiuſdem Eccleſiæ ſacrum vſum conuertantur, vel certè comburantur, ſecus facientes, noſtro arbitrio punientur, ſic etiam ſi diligenter ne laici inter hoc miniſterium ſacrum attingerent Chriſma, nō aduerterint.

24 Ad periculum ſuffocationis euitandū, parentibus, & nutricibus ſub lethalis culpæ reatu mandamus, ne per primum ſaltim annum ipſi, vel alij in eodem cum infantibus cubent lecto.

2 ex S.Tho. 3. p. q. 63. art. 11.

25 Conſentiēs Theologoū doctrina eſt 2, quam nos li-

libenter amplectimur, & noſtros ſubditos ſequi iubemus, nimirum ſi mulieri maturo iam fætu grauidæ ſuum diem acciderit obire, & puer in vtero viuus eſſe cognoſcatur, cædatur ſtatim matris venter, & infans uiuus extractus baptizetur; illud autem erit Chirurgi, vel anotomiæ expertium; hoc Parochi, aliorumue, qui tunc preſtò eſſe poterunt: ad Epiſcopum tamen ſpectabit in eos, à quibus hæc neglecta eſt cura, animaduertere.

26 Expoſitorum infantum maximam ſemper rationē, commiſerationemque habuit Eccleſia Dei; vnde cōſuetum eſt, quod in noſtra diœceſi exequutioni mandari iubemus, nimirum ſi facta diligenti inueſtigatione, ad quā omninò adſtringitur curatus, certus non ſit eos fuiſſe baptizatos, dubiterque probabiliter de obſtetricum, vel mulierum, aut laicorum imperitia in materia, vel forma baptiſmi, cum conditione baptizet, non obſtante nominis ſcripto, quod ſecum ligatum in collati baptiſmi teſtimonium miſellus deferret expoſitus, eumque incertis parentibus natum [1] in libro adnotet, iuxtà formulam in Rituali Romano definitam.

27 Celeberrima apud Antiquos Patres fuit baptiſmatis diſtinctio in baptiſmum aquæ, flaminis, & ſanguinis; non quod voluerint tria hæc eſſe propriè ſacramentum baptiſmi, cum baptiſmus aquę, de quo hactenus tractatum eſt, tantummodò ſacramentum haberi debeat; ſed quia duo alia cum iſto quamdam analogiam habent, eo quia aliquādo quo ad gratię iuſtificātis infuſionem, & culpę originarię, & mortalis deletionem baptiſmi vicem ſupplent: Porrò baptiſmus flaminis appellatur vera cordis ad Deum conuerſio in adultis facta per actum perfectiſſimę charitatis, vel contritionis cum propoſito ſuſcipiendi baptiſmum. Baptiſmus ſanguinis ſuſci-

[1] vide conc. gener. to. 1. fo. mihi 734 col p. litt. A, & to 5 fol. 345. & tom. 6. fol. 517. col. p. c.

ſcipitur per martyrij perpeſſionem, de quo profectò generis humani ſeruator filios Zebedei interrogauit *1 poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?*

1 Mar c.10.

Obſtetrices.

28 Ad obſtetricis officium exercendum eæ mulieres eligantur, quę non modo, vt peripateticorum princeps docet, ſint perſpicacis intelligentię ad difficultati partus opportunè, expeditèque ſuccurrendum, ſed in primis, ùt Sacri Canones mandant, ad baptiſmi valorem percipiendum, illumque ritè adminiſtrandũ, & quarum mores ſint probati. Idcircò nulla id munus obeat, quę examine prę miſſo facultatem à nobis, vel ab aliquo ex noſtris Vicarijs inſcriptis obtinuerit, aliter officio priuetur, & in carcerem ad quatuor menſes detrudatur. Volumus pręterea hanc facultatem nullatenus cōcedi, quin priùs obſtetrix iure iurādo ſe obſtrinxerit gratis ſe inopes muliercùlas in partu adiuturam.

29 Tribus poſt huius ſynodi promulgationem menſibus nulla mulier obſtetricandi munus exerceat, ſub pœna publicæ fuſtigationis, niſi per nos, vel per noſtrum Vicarium Generalē ſcripto probata ſit idonea ad ſacramentum baptiſmi, cum neceſsè erit, miniſtrandum.

30 Porrò examinandæ obſtetrices ſunt diſtrictè, an materiam, formam, intentionem, cęteraquè optimè calleant, quæ ad baptiſmi adminiſtrationem neceſſariò requiruntur; præmonendæ inſuper, vt formam potiùs lingua vernacula clarè, & diſtinctè proferant; vt dum partui adſunt, vaſculum aquę benedictę, ſi haberi commodè poteſt, vel cuiuſuis aquæ, dummodo naturalis ſit, propè ſe teneant, quo infantem (ſi opus fuerit) illicò baptizet;

Quod

Quod tamen facere non audeant, niſi cum infantis periculum moras omnes rumpere vrget; & tunc ſi fieri poteſt, adhibitis ad minimum duobus teſtibus; qui postea apud Curatum de ea re fidem facere poſſint, vt in libro baptizatorum referatur baptizatus.

31 Vt pia, ac laudabilis, quæ ſemper in Eccleſia Dei viguit couſuetudo, renouetur, Puerperas omnes hortamur, vt cum primum poſt partum per valetudinem datũ erit, cum infante ad Eccleſiam ſuæ Parochiæ, non verò ad aliam, ſe conferant, Deo debitas acturę gratias, & vt, iuxta Ritualis Romani normam, Sacerdotis benedictionem recipiant.

Baptiſterium.

32 Suum cuique Eccleſiæ Parochiali ad ſacramenta ex cathechiſmi Romani inſtitutione adminiſtranda, ſit idoneum baptiſterium, eiuſque ſacer apparatus, qui cõcham illam adoptionis *matrem omnium fidelium* à S. Dionyſio Areopagita ſalutatam decet. Et quidem à parte ſiniſtra ingreſſus Eccleſiæ conſueuit collocari, atque in ſacello ad id deſtinato, vbi commodè fieri potuit, & aliud Epiſcopus pro ratione loci non iudicauerit.

33 Ex perueruſto igitur vſu à ſacris Concilijs vehementer commendato ad baptiſmum fons comparetur ex marmore, aut ſolido alio, integroque lapide confectus, ne luſtrales aquæ effluant, vel paulatim ebibantur; tantumque ad hoc ſacrum officium ſit ſtabilitus. Interea verò dum huiuſmodi lauacrum non habetur (curari autẽ quamprimum debet modis omnibus) concha non fictilis, ſed ſaltem ærea, ſtanno intrinſecus benè illita, & fabricæ ità coaptata, vt tutè ſacras continere poſſit aquas, & inde ad nullum prorſus alium vſum remoueri, collo-

cetur: Hic autem fons ſuo enixus pedi, & operculo coopertus in medio amplioris fontis item lapidei, vel æneì erigendus eſt, qui ſi haberi nequeat, ad oram illius, in quo luſtrales firmiter ſeruantur vndæ, vas aliud lapideũ, vel ipſum denique ſacrarium, quod propè fontem ſtatuatur, ædificandum eſt; vt in hoc, non verò in eum iterũ fontem, à quo acceptæ ſunt ab infantis capite recurrant aquæ, vel in prophanam peluim effundantur 1. Intus adſit coclear argenteum, aut æneum, vel ſtanneum, quo, non verò manibus ſupra baptizandum luſtrales infundantur aquæ; linea quoque munda ad illorum capita tergenda; atque ad vngendum ſint ſacra olea, quæ in breui loculo propè fontem, (ſi alibi, iuxta ſuperiùs dicta, commodiùs aſſeruari non exiſtimetur) decenter repoſitæ: claue etiam obſerentur; peropportunum quoque eſſet in ipſomet baptiſterio, aut non multum diſtans armariolum conſtructum, quod librum Ritualem, coclearia, mantilia, ac reliqua ad baptiſmi adminiſtrationem neceſſaria clauderet; horum autem omnium, tum ipſius baptiſterij claues, tantum penès Parochum cuſtodiantur.

1 S. Carolus citatus.

34 Aqua baptiſmi totum annum ſeruanda, debet eſſe naturalis, nulli admiſta artificiali liquori, & Sabbato ſancto, vel ſabbato ante feſtum Pentecoſtes conſecrata; quæ ſi ante annum deficiat, aut putreſcat, renouetur: concha benè purgata, & aqua vetere in ſacrarium effuſa; fons ſit lignea piramide concinnè depicta conuestitus; intùs verò ſericò circumornatus: in quo binæ feneſtellæ aperiri poſſint, ex quarum altera Sacerdos munus ſuum commodè obire, & ex altera parte infans ſacris abluendus vndis aptè exhiberi valeat. In Pyramidis cuſpide crucis vexillum, vel S. Ioãnis Baptiſtæ emineat ſimulacrum: circum fontem clatra ex ære, aut ferro,

vel

vel lapide, vel ſaltem ex lignis torno laboratis, figantur ea altitudine, quæ acceſſum adſtantibus impediat. In baptiſterij ſacello nullum ſepulchrum, aut ſepultura mœ extrui licet; ſi quod autẽ baptiſteriũ extra ſacellum ædificatur, ne ſepulchrum proximè fiat, ſed tam longè, vt ab illius ſepimento ſepulchrale os diſtet ſpatio cubitorũ ſaltem trium, ac propterea concauitas ſepulturæ baptiſterij ſepimentum non attingat 1. 1 idem mediol.6.c.quę ad cultum eccleſiarum.

Celebratio Diei Baptiſmalis.

35 Eminentiſſimus non minus ſanctitate, quam purpura Sanctus Cardinalis Carolus 2. Sanctorum Patrum, præſertim verò Nazianzeni, Chriſoſtomi, maiorumque noſtrorum valdè commendat petuetuſtiſſimum inſtitutum, proprij baptiſmi diem quotannis celebrandi; quæ ſanè inſtitutio, cum ad diuini cultus, & pietatis chriſtianæ renouationem non parum adiumenti, adiutrice Dei gratia, afferre poſſit, vt in vſum noſtris tẽporibus reuocetur, omnes Chriſti fideles vehemẽter hortamur, obſecramuſque; itaque Parochus, & Confeſſarius vbi ſeſe dabit occaſio in ſuorum animo ad id promouendum toto pectore incumbant, vt quiſque ardentiori prece, & eleemosynis, ſi per facultates licebit, pijs officijs, atque ſpiritualis gaudij celebritate, eam lucem albis notandam lapillis recolat, qua Chirographo damnationis deleto cæleſtis patrimonij particeps, atque legitimus hæres eſt effectus. 2 in Synod. mediol.6.c. de baptiſmo.

36 Ideò parentum ea præcipua cura ſit, diem, quo eorum infans baptiſmo initiatus eſt notare; quia verò inſignis ille eſt ſolemni illam obrenunciationis ſponſione; non pompis ſæculi, non conuiuiorum apparatu, non

luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis ſit, & ſanctitatis, celebretur; ſed charitatis erga Deum, & proximum officijs 1.

1 vide tô. 6 concil. gen. fol. 326.

DECRETVM QVARTVM
DE CONFIRMATIONE.

1 Alterum à baptiſmo ſacramentum, non ſimpliciter quidem neceſſarium, ſed maximè conducẽs ad ſalutẽ æternã, eſt cõfirmatio; ſic dictum, vt benè notauit Euſebius Emiſſenus 2 à firmitate, viribus, & veluti armis, quibus nos Chriſtianæ religionis milites ad bellũ ſpirituale pro fide, inſtituit, & ad perſecutiones pro ea fortiter tolerandas, excitat, vt quod corde credimus ad iuſtitiam, ore quoque palam confiteamur ad ſalutem; baptiſmo ſiquidem regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum hoc ſacramento confirmamur ad pugnam; in baptiſmo abluimur, hoc roboramur ad agonem, & corda noſtra ad prudentiam, & conſtantiam dilatantur.

2 Homil. de pœnitent.

2 Diligenter etiam populum inſtruat Parochus, cur ab initio hoc ſacramentum ſola manuum impoſitione, mox ex Apoſtolorum traditione cœperit quoque per chriſmatis vnctionem conferri; videlicet cum ad maiorẽ vagientis adhuc fidei commendationem ſignis viſibilibus Spiritus Sanctus in confirmatorum animas deſcenderet, externa vnctione, quæ internam deſignaret, non ei opus erat; at vbi Eccleſia adoleuit, & ſanctæ fidei ætas obfirmata externis ſignis ampliùs non indiguit, nec iam Spiritus Sanctus viſibiliter deſcenderet, mox in locum viſibilis ſigni, vnctio chriſmatis adhiberi cœpta eſt, quæ

his

his, qui confirmarentur, internam, & ſpiritualem repreſentaret vnctionem, vt quod intus agitur per gratiam, foris aliquo viſibili ſigno innoteſcat, & verbi fidem externi elementi ſimilitudo confirmet.

3 Eo quoque contra carnis in ſpiritum, rectæque rationis imperium rebellantis impetus in præcipites mūdi, & toto ſemper cœlo aberrantis æſtus; in doloſas Dæmonum hoſtium nequiſſimorum inſidias inſtruimur, & confirmamur; quapropter quanto religionis ſtudio hoc ſacramentum ſit à fidelibus ſuſcipiendum, Parochi, & concionatores non ſemel populum erudiant, ſed præſertim cum illud Epiſcopus exhibere decernit, non modo id ſuæ parochiæ populos curatus 1, & cunctos illius vniuerſitatis Vicarius per ſe, vel per idoneas perſonas regionem paucos ante dies percurrentes, monitos velint; ſed cum iam iam confirmandos in Eccleſia congregatos videt, huius ſacramenti dignitatem, fructus, efficaciam, qua animi puritate, & corporis modeſtia ſuſcipiendum ſit; quod reiterari ſine ſacrilegio nequeat, declaret; quod ieiunos venire deceret, quod ab Eccleſia non diſcedant, niſi accepta ab Epiſcopo benedictione; & datis libro proprijs, & patrinorū nominibus, eoſque ita diſtribuat, vt mares à fœminis diſtinctum locum obtineāt, atque ad confuſionem vitandam, & vt faciliùs confirmatorū frons tergatur, ac nomē quiſque ſuum libro cōſignet, diuerſa, qua veniunt ad Epiſcopi ſedem illis eſt redeundum via; poſſent quoque ita confirmandi diſponi per girum, vt circumiens Epiſcopus ſtantes ſacro inungat chriſmate.

1 ſancitū eſt in cōc. Vuormatien. & in ſy. 4 à S. Carol. c. de confir.

4 Et quidem illud, non multum, poſtquam annos diſcretionis ſalutarunt, pueris cōferendū eſt, quando ætas docilis ab ipſiuſmet naturæ procliuitate in nequitiam

cœpit abripi, vt per hanc gratiam in baptiſmi promiſſis firmiùs hæreant, & chriſtiani propoſiti tenaces in omne tempus exiſtant. Ijs verò, qui ſeptennium non expleuere, niſi præcox iudicium ætatem præueniſſe manifeſtè videretur, non conferatur, quicumque tamen illi ſint inūgendi chriſmate, fidei documenta didiciſſe debent. Adulti vel doli capaces inſuper, vt hoc recipiant ſacramentum, nullo debent eſſe publico crimine, aut cenſura præpediti; & ne illius tunc gratia priuentur, aut obicem ponant, ad illud non accedant, niſi priùs animi maculas ſacramentaliter confitendo deleuerint, aut cum id legitimè nequiuerint, actu perfectæ contritionis in irati numinis gratiam redire contendant.

5 Moneant etiam ſeriò, qui per negligentiam à ſacramenti huius ſuſceptione ſe ſe abſtinent, in pœnas canonicas incidere 1.

1 Cathech. Rō. de cōfir.

6 Confirmationem recipiant genibus flexis, manibuſque ante pectus iunctis, ſuo quoque ordine diſtincti, piè, ac religiosè orantes; ideoque ab omni ſtrepitu, vociferatione, & inani confabulatione prorſus abſtineant.

7 Huius ſacramenti materia neceſſaria eſt chriſma, ideſt oleum oliuarum balſamo mixtum, & ab Epiſcopo conſecratum, vnde eius dignitas dignoſcitur, quippè cuius nullus alius, niſi ſolus Epiſcopus ſit ordinarius miniſter 2.

2 c. manus de conſecr., diſt. 5. conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. de confirma.

8 Forma neceſſaria eſt, quæ paſſim in Ritualibus ab Eccleſia præſcribitur. *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

3 c. non plures de cōſe. d. 4. & conc. Mogunt.

9 Patrinus 3 vnus, vel vna dumtaxat, atque ſub ijſdem, quas in baptiſmate, recenſuimus conditionibus, adhibeatur, & quidem debent eſſe natu maiores confirman-

mandis;qui verò eoſdē in baptiſmo ſuſceperint, aut non ſint confirmati, ne in Patrini munus admittantur; denique vt mas marem, fœmina fœminam ſuſcipiat, atque primum mares, tum fœminæ obſignentur, quoad fieri poterit, & nobis viſum fuerit, curandum eſt.

10 Inter confirmantem, & confirmatum, atque huius parentes; ſimiliter inter patrinum, aut matrinam, & confirmatum, atque eiuſdem parentes, eadem ſpiritualis cognatio matrimonium impediens, atque eadem reſpectu confirmati obligatio, ac in baptiſmo,oritur;Ideoque nec parentes filios, nec vir vxorem, aut è contra ſuſcipiant, & ne pluribus præſertim in anguſtis locis irretiantur huius ſpiritualis cognationis nexibus, animaduertant diligenter Vicarius, & Parochi, ne vnus, & idē, niſi ſacro ſit ordini adſcriptus, plures quam duos confirmandos offerat.

11 Quocumque in templo, etiam regularium, hoc ſacramentum miniſtratur, Parochi, alijque è Clero Sacerdotes, & in ordinibus ſacris, vel minoribus conſtituti, quos Epiſcopus deſignauerit,cum ſuperpelliceo, cæteriſque propriæ dignitatis inſignibus adſint, aptèque inter ſe diſtributi, adeò vt aliqui cum ſtola ſacra teneant oleorum vaſa, nonnulli ſacerdotes confirmatorum frontem ſacro illitam oleo, primum bambacio, cuius in fine ambuſti cineres in ſacrarium ſunt proijciēdi, abſtergāt; alij deinde Diaconi, vel ſubdiaconi, aut ſaltem minoribus inaugurati ordinibus, ſi commodè fieri poteſt,aqua, quæ in ſacrarium effundatur, ac certè madidis mantilijs lauent. Alij denique ad Eccleſiæ valuas conſidentes accuratè, diſtinctèque confirmatorum, parentum, atque, etiā patrinorum nomina in proprium referant librum adnotato die, & Eccleſia, in qua ſacramentum exhibitum eſt.

Ve-

12 Verum quoniam ſeſe fortè occaſio offerre poterit aliquando, vt puer ſeptem minor annis, & fidei doctrina non eruditus ſacrato obfirmetur chriſmate, parentum poſtea erit in confirmati memoriam ſæpè reducere, ſibi hoc ſacramentum fuiſſe exhibitum, ne illud ex ignorantia repetat grandior factus; atque hic non incongruum erit admonere ne aliquorum animus ſcrupulis moleſtiſſimis angatur, aut imperitorum ad reiterandam ſanctam confirmationem temerè inducatur; nimirum quamquam ipſi aut de ſuſcepto chriſmate dubitent, aut prorſus ignorent, tamen parentum, vel cognatorum, aut eorum, qui fide ſunt digni, teſtimonio acquieſcere debent.

13 In confirmatione mutari poteſt nomen ad ipſius confirmandi, vel ad parentum arbitrium, imò debet omnino, quando in baptiſmate turpe aliquod, vel malè ſonans, aut gentilium nomen impoſitum fuit, & in aliquod ſanctorum commutari.

14 Suſceptores in ſacramento Confirmationis neque ijs, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus quidquã largiantur, ne cuiquam (quod aliquando commiſſum eſt) iterandi hoc ſacramentum, quod nefas eſt, occaſionem præbeant.

15 Parochi, & Vicarij cura ſit paucis ante diebus denunciare, vt qui proximè confirmationem ſuſcepturi sũt pridie illius diei, frontem benè tergant, capillos componant, & veſtium ornatum modeſtè parent.

1 S. Carol. syn. mediol. 5. pag. 617.

16 Ex antiquo ritu 1, hora tertia potiſſimum ſtata eſt, qua adminiſtrandum eſt ſacratum chriſma, id quantum in nobis erit, ſi aliud non occurret, obſeruandum curabimus, & quidem in Cathedrali feſtis Pentecoſtes, in reliquis verò Vrbibus, & pagis, vt primum ad eas viſitandas acceſſerimus.

Quod

17 Quod antiqui moris eſt id ſeruetur diligentiſſimè vt compater dexterā teneat pueri, quem ſuſcipit, & Epiſcopo offerat, ſi verò ſit adulta ætate ſuſceptus pedē ſuum dextrum ſupra dextrum item pedem compatris ponat, quod non ſine myſterij ſignificatione fit; atque coram confirmante ſtent ambo modeſtè.

DECRETVM QVINTVM

DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, *& de Sacrificio Miſſæ.*

1 EA ſēper fuit Euchariſtiæ dignitas, & cultus apud omnes nationes, vt inter omnia, quæ Chriſtus Dominus inſtituit ſacramenta, hoc vnum propriori vocabulo, & venerabilę, atque ſanctiſſimum ſit conſalutatum: Poſt conſecrationem enim in auguſtiſſimo hoc ſacramento, & quidem tantumdem ſub alterutra, atque ſub vtraque ſpecie panis, & vini Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus, & homo ſacramentorum auctor, atque totius ſanctitatis fons continetur; quapropter vero latriæ cultu, qui ſoli Deo debetur, Eccleſia Catholica Euchariſtiam præcipit adorandam.

2 Perficitur autem hoc ſacramentum ex ſubſtantia panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti conuerſis, & ex forma conſecrationis, & miniſtro, ita tamen, vt ex his intrinſecè non componatur, ſiquidem deficiente panis, & vini ſubſtantia, quæ dicitur materia remota, & tranſactis verbis conſecrationis, quæ appellatur forma extrinſeca, & cauſa efficiens, atque ipſa conſecratione finita, quę actio nominatur, qua conficitur, integrū,

perfectumque ſacramentum, perſeuerat; quod ſcilicet intrinſecè conſtat ex ſpeciebus panis, & vini, & ex corpore, & ſanguine Chriſti Domini, & ſic eſt verus cibus animę; vt igitur curam ingentem, induſtriamque omnẽ in ea tractanda, colendaque adhibeamus, ne in medio flore pietatis, & ſanctimonię impij, atq; præſtabiliſſimo in actu Religionis irreligioſi videamur, hæc decreta condere, & inſtitutiones edere, omnibus omninò ſeruanda, ſtatuimus.

3 Atque in primis, vt grato ſemper, ac memori animo ineffabile, & planè diuinum hoc Chriſti beneficium agnoſcamus, recolendum ſemper eſt, quod vnigenitus Dei filius pridie quam pateretur in vltima cœna ſacramentum hoc inſtituit ad alimentum, & refectionem ſpiritualem animarũ, atq; in eo memoriam faciens mirabilium ſuorum, amoris erga nos profuſiſſimi, & ſacratiſſimæ paſſionis monumentum cœlo perennius reliquit. Pignus 1 præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & fęlicitatis æternæ, pacis, & vnitatis chriſtianæ; symbolũ vnicum denique, ſed perpetuum, ſed maximum omnium, quæ Deo religio offerre valeat, ſacrificium.

1 Trid. ſeſſ. 13. decr. de Euchariſt.

Cap. I.

De Templo, & Vaſis, quibus aſſeruari debet Venerabilis Euchariſtia.

2 ibid. c. 6.

4 VEnerabilis vel inde 2 à Concilij Niceni ſęculo floruit conſuetudo in aliquibus Eccleſijs ſingulari religione Sanctam Euchariſtiam aſſeruandi, tamquã ſpiritalem animarum cibum, quo alantur, & confortẽtur fideles, atque è viuis diſceſſuri indeficienti ſubi mor-

tem præmuniantur viatico; vt igitur ſi non ea, quæ par eſt; at certè, quæ noſtrarum virium tenuitati conceditur veneratione, diligentiaquè cuſtodiatur.

5 Vetamus in primis 1 ſub pœna interdicti Eccleſiæ, atque eius Rectoris ſuſpenſionis, alijſque ad noſtrum arbitratum, ne vllis in templis, præterquã in Parochialibus, vel per nos adminiſtrationi ſacramentorum deſignatis, aut in Eccleſijs Regularium tam virorum, quam mulierum, à ſede tamen Apoſtolica minimè ſuppreſſis, vel denique hoſpitalium publicorum ſanctiſſima Euchariſtia aſſeruetur.

1 Sac. cong. Epiſ 15. Iũ. 1619. & ſacra congre. cõcil. 1639.

6 Hic ſuperſubſtantialis panis in ſummo altari, tamquam in digniori loco reponatur, niſi tamen in aliquo inſigni, atque conſpicuo ſacello conſueuerit aſſeruari.

7 In his autem, quibus de iure conceditur habere hoc cœleſte, planèque diuinum depoſitum, opus eſt primũ quod proprium eius ſacellum ferreis, vel ligneis præpolitis cancellis circumſepiatur; vel ſi id nequit, in altare maiore collocetur, vbi ſit ſacrum pegma, quod vulgò Tabernaculum dicitur, ex ligno affabrè elaborato, vel ex polito lapide, aut digniori alia materia ſacris variegata imaginibus, ità firmum, ſtabileque, vt facili negotio nequeat dimoueri, ſacro ſit deforis cõtectum conopęo, quod eum præferat colorem, quo altare illo die ex Eccleſiæ ritu ornari conſueuit; in vertice tabernaculi Crucis, vel Chriſti Domini reſurgentis imago extollatur.

8 In huius tabernaculi medio, eiuſdem, ſeu nobilioris materiæ ſit ædicula albo ſerico, ſeu aureo velo intrinſecus circumornata, in qua Euchariſticum donum ità recondatur, vt indè celebrans commodè, vbi opus eſt, depromere queat, neque ſuper altare eã de cauſa cogatur aſcendere: porrò huius ciborij oſtiolum Chriſti Domini

 ima-

imagine depictum ſit, argenteaque claue, vel ſaltem deaurato ferro, cui victa ſerica ſit obligata, (quam ſolus apud ſe Sacerdos retineat) firmitèr obſeratum, ne quid ſceleris, quod non ſemel accidiſſe deploramus, ſacrilegorum manus nefaria moliri poſſit: ab omni prorſus labe pura intrinſecus hæc ſacra eſſe debet ędicula, ideòque ſingulis ſaltem menſibus à puluerę per ſacerdotem mundetur, in eaque nec ſanctorum reliquiæ, cum Euchariſtia, nec vaſcula ſacrorum oleorum, aut aliud quodcũque contineatur; quod ſi ſecus factum eſſe aliquãdo reſciuerimus, tantę inobedientię reus mulctam dabit ęqualem.

9 Atque hic aduertendum eſt, quod in nonnullis Eccleſijs imprudenter factum obſeruauimus, dum eas viſitaremus, diſtrictèque prohibuimus, ne in medio cuiuſcumque ſit altaris tabernaculo, vel gradibus ad arę ornamenta ſuſtentanda compoſitis, hi ſacramentales, vt ità loquamur, foruli aperiantur, eo tantum fine, vt in illis reliquię diuorum, vel ſacra olea, aut icones ſanctę reponantur; ſic enim facilè in imperitorum animos error irrepere poteſt, vt ſacram Euchariſtiam, quę ibi verè non adeſt, latrię cultu venerentur.

10 Vna ſaltem lampas diù, noctùque ex antiquiſſimo Eccleſię vſu ante hoc venerabile ſacramentum continuò accenſa reſplendeat, cuius ſimbolum fuit ille ignis, quē Deus 1 in altari ſuo voluit ſemper ardere: ſolemnioribus verò diebus, ſi vires Eccleſię ſufficant, plures colluceant; ſacriſtarum igitur erit omnem adhibere diligentiam, ne olei, aut ellycnij defectu, vel ventis, aut pluuijs lumina extinguantur, ſecus eorum incuria carcere ad noſtrum arbitrium plectetur.

1 Exod. 18.

Vaſa Sacra Euchariſtiæ.

11 Ad cæleſtis panis vſum tria vaſorum genera vetuſtiſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more deſtinata ſunt, quæ omnia quodlibet ſacramentale templum habere debet; videlicet vnam ſaltem Pixidem argenteam intus auro litam, in qua ad diuinam Populo communionem in ipſa Eccleſia miniſtrandam ſacrati cibi particulæ aſſeruentur, quæ octauo quoque die ex hoſtijs, quantum fieri poteſt, recens confectis renouandæ ſunt; alterum eſt vas item ex argento deaurato, quod vulgò depoſitũ nuncupatur, eo quia ibi perpetuò deponatur ſacra hoſtia, quæ ſi quãdo neceſſitas vrgeat, quauis hora in prõptu ſit, vt populis adoranda exponatur, ad eamque præſentiſſimam imploraturi opem accurrant, in illa etiam quinque ad minimum conſecratæ particulæ ſemper eſſe debent, vt ſi opus erit ad infirmos ſanctiſſimam deferri in Pixide Euchariſtiam, interim Eccleſia ſine venerabili ſacramento non remaneat, & valeant etiam alijs expoſtulantibus in templo dari cæleſtis dona cõuiuij; ad quod laudabiliter alia pixis, vbi præſertim illam diuini depoſiti hierotecham comparandi facultas deſideratur, conſueuit adhiberi.

12 Sãctiſſimum Chriſti corpus intra chorum, vel ſepta monaſterij ſancta Tridentina Synodus, non obſtante quocumque indulto, aut priuilegio, prohibet conſeruari; id etiam nos præſenti cautione vetamus.

13 Curandum quoque eſt Parochis, vt deficientibus ſacris particulis nouę tẽpori à ſacriſta ſuperpelliceo induto, & non ab alio deferantur ei, qui rem diuinam facit, diſtincta in pixide, vt offerat, conſecretq; nullo enim

mo-

modo morem illum à curatorum inductũ approbamus; magnum ſcilicet particularum numerum ſuper patenam, vel corporale ſacrandi; quin etiam volumus, ſi hi, qui ſacram ſinaxim ſuſcepturi ſunt, denarium numerum excedant, ex pixide, non autem ex patena ſacramentum deſumant; ſi ſecus feciſſe deprehendantur noſtris illicò ſubiacebunt pœnis miniſtrantes.

14 Tertium vas eſt circus argenteus ad inſtar ſtellæ crinitæ extantibus per ambitum radijs cõformatus, quod propterea vulgari nomine (ſphæra Sanctiſſimi appellatur) ex conſimili argento, vel ſaltem ære deaurato prominens pede. In ea ex argento, ſed auro lita lunula adſit, qua hoſtia ſacra ſuſtentetur, pellucidis ex vtraque parte vitris, vel chriſtallis obſerata cum populis adorãda exponitur, ſeu in proceſſionibus per vias, & loca publica ſolemniter circumgeſtatur; non improbamus tamẽ antiquorum turres illas geſtorias argenteas affabrè factas, quæ enim eas habet Eccleſia, ad eumdem finem vti poſſe permittimus, non autem denuò fabricari.

15 Qui hoſtias conficit, non domi, ſed in Eccleſiæ ædibus ex maiorici tritici farina efficiat; capſulas, quibus eas reponi debeat mundas ſerico, vel papiro intrinſecus circumueſtiat.

16 Iam verò huiuſmodi vaſa, quibus ſacra reponitur menſa, nonniſi ſub corporali collocentur.

17 Eccleſiaſtici ſint, non verò laici, qui hoſtias conficiunt; & bis ſaltem in menſe ex puriore tritici farina azimas hoſtias innouent.

De Communione Eucharistica.

18 ET ſi cęleſtem hanc dapem in Paſchate quiſque fidelium adire ex præcepto teneatur, eorum ta-

tamen perutilem conſuetudinem, qui crebrò iuxtà conſilium prudentis Confeſſarij, vel ſingulis ſaltem menſibus, aut ſolemnibus diebus anni ad diuinum ventitant conuiuium laudabiliter, nec ſine ingenti animæ ſuæ, reique familiaris commodo imitabitur; quarè frequentem, atque cum debita reuerentia, & præparatione ſacrę mēſæ vſum, (qui piè, religioſèque in hæc tempora inductus eſt;) promouendum potius noſtri Sacerdotes Confeſſarij, & concionatores, quam damnandum curabunt.

19 Proinde Parochi, & concionatores ſegniter ſtudeant, vt fideles ſacram menſam frequentes adeant, pręmiſſa priùs confeſſione, qua, ſi quæ ſunt, animi mortiferæ ſordes expurgentur; vt ſine faſtu accedant, in ſpiritu humilitatis, & animo contrito; vt mulieres non fucis ad vanitatem illitæ, ſed capite velato, & aſpectu ad verecundiam demiſſo; vt denique omnes omninò in ieiunio naturali, flexis genibus in epulo angelico accumbant: nec ſtatim ab Eccleſia ad ſęcularia negotia, vel ad corporis cibis ſe reficiendos diuertant, ſed aliquod temporis in ipſamet Eccleſia, aut alio in loco pio ſibi, & hoſpiti Chriſto Domino vacantes, & in ſacras preces, atque gratiarum actiones profuſi inſumant.

20 Præſertim verò admoneant, vt antequam aliquod periculoſę alęę plenum opus, aut longum iter quis aggreditur, aut dum aliqua ſpirituali, vel temporali graui ęrumna premitur; mulieres quoque proximè parituręſe hoc fortium pane pręſulciant.

21 Sacerdos, id quod vetuſtiſſimi inſtituti eſt, & magno fieri myſterio, ſcribit S. Ambr. 1 miniſtraturus Euchariſtiam è Tabernaculo deprompta pixide, poſitâque ſuper altare ad populū conuerſus dicat, *miſeriatur, &c. Indulgentiam, &c* cum ſacram panis diuini particulam ma-

1 apud S. Carol. ſ. Syn. mediol. de Euchar.

manu dextera ad eumdem populum conuerſus, retinēs, & oſtendens dicat, *Ecce Agnus Dei, &c.* denique antequam prębeat vnicuique, cui miniſtrabit ſigillatim illa verba pronūciet *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* qui neglexerit pœnas arbitrij incurret.

22 In hoc Angelorum epulo benè valentes in Eccleſijs tantùm, & mane, ſolius ſacerdotis manibus, eius ſcilicet, qui planeta indutus ſummo Deo ſacrificat, vel ante exordium, vel poſt ipſius miſſę finem, aut poſt eius communionem; priuſquam purificationem ſumat; quod antiquiſſimi ritus eſt 1, quod ſi ob populorum multitudinem, vel alia iuſta de cauſa alio ad id ſacerdote opus ſit, ſuperpelliceo, & ſtola coloris illius diei officio conuenientis indutus venerandum Corpus Chriſti cum accedentibus participet albo, mundoque linteamine ante eos extenſo, atque ardentibus in altari ſaltem duobus cereis. Et quoad fieri poteſt, maribus primum, & ſeorſim à fœminis; in ſacris verò, vel in minoribus ordinibus clericis, quos laicis non pręhabeat, ad altare; reliquis autē in loco ab altari, & choro aliquanto remotiori immortale conuiuium porrigat 2.

1 vt inquit S. Carol. mediol. 5. de Euchariſt.

2 ita in cōc. Tolet. 4. & in Brachar. 1. ſancitum eſt. refert S. Carol. med. 4. de euchar.

23 In altari, quo ſacramentum ſeruatur, debet diſtribui communio, non verò in alia ara in miſſis priuatis.

24 In eodem altari, vnde ſacra ſinaxis ſuſcipitur, ſit ad diſpēſantis Pręsbyteri manus purificandas vaſculum argenteum, aut vitreum, non quidem conſecratum, nec ad formam calicis extructum. Ipſius verò altaris ſacelli, vel gradus clathris, ſeu cancellis obſepiatur lapideis, aut ligneis affabrè perpolitis, trium ferè palmorum altitudinis, quę lineo coopertam velamine tabulam ſuſtentent, vt ibi ſacra menſa populi cœtus ſumma cum reuerentia communicetur.

25 Nulli laicorum pręſertim coniugatis ſine noſtra expreſſa licentia quotidie Euchariſtiam quis dare pręſumat ſub pœna ſuſpenſionis annuę.

26 Dum ſacerdos huius cęleſtis conuiuij munera prębet, nullius prorſus confeſſiones excipiat, ſub pœna arbitraria.

27 Sedulo autem, & antequam ad diuinam menſam accedat probare ſe ipſum debet homo, ne iudicium ſibi manducet, & bibat, ac non diiudicans corpus Domini, illius reus euadat; & cogitet etiam, atque etiam, quod S. Auguſt. 1 communicantibus meditandum proponit, nempe ſacramentum hoc ſub ſpecie panis, & vini porrigi, vt præter veritatem corporis, & ſanguinis dominici, quæ in eo continentur, quoddam etiam eximium ſignum mutuæ dilectionis, & charitatis excitandæ in nobis eſſet, quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. 2 Ideoque ab hac cœleſti dape procul ſint, qui odij, vel inuidiæ veneno infecti, aut iracundiæ furore repleti ſunt; eant prius reconciliari proximo ſuo, & tunc venientes ad altare offerant munus ſuum, atque depoſita omni ſimultate epulentur non in fermento malitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis 3.

1 ſer. de dedic. eccl.

2 1. ad Cor. 10.

28 Ne eleemoſyna directè, vel indirectè pro ſanctiſſimo conuiuio exigi videatur, nullo modo permittatur vas aliquod ad pecuniam excipiendam exponi, aut capſulas, vel marſupia, & burſas quæſtuarias tempore communionis per Eccleſiam circumferri.

3 1. Cor. 5.

29 Qui facta ſibi per Sedem Apoſtolicam facultate, erigendi in ædibus priuatis oratorij, ibique diuinis aſſiſtendi, ſciant non ideò licitum eis eſſe eo in loco ſine noſtra licentia, quam nonniſi ob iuſtam, & neceſſariam

K cau-

cauſam dabimus, ſacram miniſtrari Euchariſtiam, quod ſi quis contrarium præſumpſerit, illud oratorium ad ſex menſes interdictum eſto.

30 Noſtri prædeceſſoris ſynodus 1 ſeuerè prohibuit pueros primum communicare ſine proprij Parochi, vel Curati, quorum id munus eſt, facultate, id ipſum noſtra hac præſenti conſtitutione vetamus, poſſunt tamen illi cũ ab eis hæc petitur facultas in hoc acquieſcere prudentis confeſſarij iudicio, qui examinare diligenter debet pueros, & quæ huius ſanctiſſimæ dapis excellentia ſit, & virtus, qua religione, animi pietate, & præparatione ſumenda ſit, ſedulò erudire; approbatos verò in eorum libro, qui Paſchæ tempore cæleſtem dapem adire tenẽtur, ſtatim referre non negligant: non obtemperantes pœnis arbitrarijs corrigentur. Examinandi ſunt, quibus primo participandum eſt ſacrum conuiuium, de præceptis Domini, articulis fidei, oratione Dominica, atque Eccleſiæ ſacramentis, maximè Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ.

1 Syn. Cat. Torres p. 2. c. 4. n. 34.

31 Notorio famoſos ſcelere, vt concubinarios, publicas meretrices, vſurarios, blaſphemos, excommunicatos, interdictos, & id generis; niſi vitam, & mores ad bonam reduxiſſe frugem conſtiterit, & de ſuſcepta abſolutione bonum deferant teſtimonium, modeſtis quidem, ſed tamen modis omnibus ab Euchariſtica menſa per animarum Curatores arcendi ſunt.

32 Amentibus, quos aliquando vſum rationis, ſeu vt aiunt, lucis interualla, habuiſſe compertum eſt, nec poſſe, nec debere extra mortis periculum Euchariſtiam concedi Eccleſiæ conſuetudo, & receptiſſima Theologiæ opinio docet; tanti enim ſacramenti reuerentia iure ſuo optimo exigit, vt extra caſum neceſſitatis extremæ

non

non prębeatur illis, qui ſe ad illius ſuſceptionem actuali deuotione diſponere nequeũt, imò probabilis timor ſit in illud irreuerentiam irrogaturos.

33 At ſi huiuſmodi mente capti cum lucis interuallis in extremo vitæ diſcrimine repeŕiantur, poſſe, & debere eis hoc immortale viaticum tribui, clariſſimè deducitur ex Concilijs 1; quia his amentibus neceſſaria Euchariſtia eſſe poteſt, vt videre eſt apud Theologos: hoc autem intelligendum eſt, caſu quo non conſtat peccato mortali grauatum incidiſſe in amentiam, & nullum ſit periculum irreuerentiæ; vnde conſultum erit prius, (quod etiam in ſimilibus phreneſis, vel impedimenti corporalis caſibus fiat) vnam, vel alteram hoſtiam non conſacratã huiuſmodi infirmis porrigere, vt inde coniectura facilè conſequi poſſit miniſter quid facturus ſit de conſecratâ.

1 Carthag. 4. relato in c. ijs, qui infirm. 26. q. 6. & c. qui recedũt eadẽ cauſ. ex Cõc. Araux. & Tolet.

34 Semifatui, & pleno rationis vſu non gaudentes, ſi facta per viros prudentes diligentia, hunc cœleſtem cibũ à prophano diſcernere non videntur, nullo modo ſunt communicandi; at ſi ſatis diſtinguant, & reuerenter, tãquam animæ ſuæ neceſſarium efflagitare norunt, concedi eis debet non modo in articulo mortis, verum etiam Paſchate, cuius præcepto eos adſtringi credendum eſt; non autem extra hæc tempora 2.

35 Mutis, & ſurdis à natiuitate, ſi ex ſignis, & nutibus conſtat ea mente pollere, vt cęleſtem hanc dapem, à terrenis diſtinguant, & vt ſalutis ęternę remedium recipiant, cum in mortis confinijs, tum in Reſurrectionis Chriſti Domini ſollemnitatibus, illa prębenda erit; piè enim reputamus benigniſſimum ſacrorum miſticorum auctorem hac notitia contentum eſſe in ſuſcipiente, quãdo perfectior haberi non poteſt. At ſi prudẽs Parochus, vel Confeſſarius mutum, & ſurdum non qualicunique

2 lege Caſtropal. de Euchariſt.

diſcretione, ſed matura, & perfecta prēditum eſſe cō-gnoſcat, pluries in anno ſacra illos menſa participare liberè poteſt; ſi quis verò ſimul, & mutus, & ſurdus ſit, & cœcus à natiuitate; Euchariſtia etiā in mortis articulo erit ei deneganda: impoſſibile enim moraliter exiſtimatur conſtare nobis poſſe hūc ſufficienter ſacrum epulum à prophanis diſcernere, illudque vt æternæ ſalutis remedium accipere. Ideòque Claſſici Doctores huiuſmodi cęcum matrimoniū contrahere poſſe pernegant 1.

1 lege Sāch. de matr. l. 1. diſp. 8. à n. 12.

36 Energumenis, ſeu obſeſſis à Dęmone in mortis articulo, ſi nulla probabiliter timeatur irreuerentia, ſubminiſtrandum omninò eſſe diuinum viaticum Cōcilium Elibert. can. 37. definit his verbis, *qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, & fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem. Imò ſi ſui compotes exiſtunt, præbendam eſſe Euchariſtiam in Paſchate; & aliis quoque temporibus, quibus prudens Confeſſarius exiſtimabit congruere*; nam diuini cibi ſuſceptione ſperandum eſt fore vt, vel Dœmon expellatur, vel eum à dirè vexando frenetur, vel denique vt ipſe energumenus ęquo animo, & cum fructu, ſuum ſubſtineat laborem.

37 Pueri, eo ipſo quod vſum rationis habere cōſtat, atque huius ſuperſubſtātialis panis excellentiam aliquo modo percipere, ſi in mortis articulo ſint, præmuniendi omnino ſunt ſacro viatico, non enim ſolum vtile; ſed fortaſsè ad animę ſalutem neceſſarium illi poterit eſſe. Cęterum extra hoc periculum, perfectiorem vſum rationis communiter Doctores cenſent requiri, vt diuini panis participes fiant, quam vt eis ſacramentalis abſolutio impertiatur. Quod arbitrio prudentis Confeſſarij remittere ſatiùs eſt, quam hic certam ætatem præfinire; re-

gula-

gulariter autem neminem ante decimum annum Paſchalis communionis prӕcepto teneri cenſemus.

38 Si quis Sacerdos mala laborans valetudine, vel alia de cauſa ſacrificare nequeat, & ſanctam communionem in Eccleſia petat, ad illam non niſi ſtola ornatus accedat, vti fit in Cœna Domini, quò die omnes Sacerdotes cum Clero in ea Eccleſia, cui addicti ſunt communicabunt per manus eius, ad quem tunc conſuetudine ſpectat ſollemniter celebrare; nullum enim alium prædicto die celebrare debere Sacra Congregatio mandat.

39 Ieiunium naturale, quod ad communionem extra caſum neceſſitatis vrgentis requiritur, excludere debet omnem prorſus extrinſeci cibi, potuſque vitalem ſumptionem, quocumque prætextu aduertenter, ſeu inaduertenter id actum ſit.

Cap. II.

De Pracepto communicandi ſaltem in Paſchate.

40 Longè veriorem exiſtimamus illorum opinionē, qui docent quemlibet fidelem præcepto diuino adſtringi ad communionem percipiendam in articulo mortis 1.

41 Licet nulla ſit à iure ad ſuſceptionem Euchariſtiæ hora determinata. Vſus tamen Eccleſiæ peranriquus eſt, atque adeò omninò à noſtris retinendus, vt Euchariſtia, ſecluſa vrgentis neceſſitatis cauſa, non niſi matutinis adminiſtretur horis.

42 Quotidie ferè omnes primæui Chriſtiani, feruente in eorum corde diuini amoris flamma ad cœleſte cōuiuium accedebant, inde deferueſcente ſacro illo æſtu,

1 S.Th. qu. 80. a. 11. & alij cōmuniter, & colligitur ex pluribus cōcilijs, ſcilicet ex Niceno can. 13. relato c. de his 26. q. 6. Arauxic. A relaten.

rarior

rarior viſa eſt communicantium frequentia; ita tamen, vt qui ſaltem ter in anno ad Angelicam non veniſſent menſam, inter fideles Catholicos non cõnumerarentur; ſed cum ſenſim omnis penè refrixerit charitas, in hoc quoque eccleſiaſtica diſciplina cæpit eſſe remiſſior; quãobrem tandem pientiſſima mater Eccleſia omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicãdum ſtrictiſſimo præcepto obligare coacta eſt, quod Cõcilium Lateranenſe 1 & Trident. 2 alijque ſacri 3 Canones ſub grauiſſimis promulgant pœnis, innouant, confirmantque; nos igitur eorum veſtigia præmentes iubemus Parochos, ſeu Cappellanos Sacramẽtales ſub quadrageſimæ initium ouium ſuarum, ad quas hoc ſpectat præceptum, nomina recenſeant, concionatores etiam in dominicis prima, & quinta quadrageſimæ, atq; ſecundo Paſchatis die ad id ea, quæ decet animi deuotione, & cultu exequendum inſtanter populum hortari, atque accendere ſtudeant; Si quos autem propriæ ſalutis immemores tempus de more in Eccleſia Dei receptiſſimo præfixum, ſcilicet à Dominica palmarum, vſque ad Dominicam in albis incluſiuè elabi permittere aduertit, animarum Curator in Dominica poſt octauã eiuſdem Paſchę eos moneat per generales cedulones nõ tamẽ nominatim, vt intra ſex dies, quem terminum pro prima, ſecunda, & tertia peremptoria monitione valere notificet, vt ſalutaris pœnitẽtiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramenta ritè ſuſcipiant; quod ſi contumaciter neglexerint, ſtatim elapſa tertia poſt paſcha dominica eo ipſo excommunicatos eſſe denunciet, & quo ad fieri poteſt, eorum nomina notet, atque ad nos deferat, vt in tã nefarios homines vltra eas, quæ in conſtitutione Innocentij

1 ſub Innocent. 3. c. 21. 1 ſeſſ. 23. de euch. can. 9. & ſeſſ. 14. de pęn. c. 8. 2 ca. omnis vtriuſq; ſexus de pęn. & remiſs. conc. Tolet. & l. de conſ. & diſtinct. 2. omnis homo.

centij

centij III. & alijs acerbis pœnis, prout iuris eſt, animaduertamus.

34 Declaramus etiam hoc non adimpleri præceptũ, niſi tunc temporis in ſua quiſque parochiali Eccleſia, vel vbi vnica tantum eſt parochia, nimirum Cathedralis, ſeu mater Eccleſia, vt eſt Catanæ, Platiæ, &c. in illa Matrice, vel in ea ſacramentali, intra cuius fines degit, communicauerit: accipiat propterea inde ſchedulam, quæ ſit inibi acceptæ euchariſtię, veluti ſacra teſſera, vt cum exquiretur exhibere valeat.

44 E contra verò ſi quis ad deludendam potiùs animam ſuam, quam Parochum, quod abſit, in Paſchate, ſciens, & volens ſacrilegè, auſuque temerario communicare præſumpſerit, ſit ipſo facto excommunicatus, & alijs pœnis iuxtà canonicas ſanctiones contra non adimplentes præceptum, ſubiaceat.

45 Qui verò extra ſuam propriam Eccleſiam ſacramentalem huic præcepto ſatisfaciendi à nobis, vel à noſtro Generali Vicario in Vrbe, per Diœceſim verò à proprio Parocho, vel Vicario facultatem exorauerint, quã non niſi raro, & ob iuſtam cauſam, & perſonis in ea vniuerſitate conſpicuis impertiri debet, ſtatim ea de re fidẽ adhibendam curabunt Parocho, vel Vicario, vt in libro huic muneri deſtinato deſcribantur. Si qui autem ſunt, qui Paſchali tempore longiùs à Patria peregrinati ſunt, poſt vbi domum ſuam repetierunt, ſi pręſertim homines nec multę fidei ſunt, nec conſcientia valdè timorati, aut exculti, ab ijs requirat Parochus, vel Vicarius autenticum huius adimpleti pręcepti teſtimonium; quod ſi non proferant, moneat vt intra octiduum ſub pœna excommunicationis ſcelera confeſſione expient, & vires pane ſuper ſubſtantiali inſtaurent, quod ſi Parochus, aut

Vica-

Vicarius id neglexerit, ſe à nobis diſtrictè puniendum pro certo habeat.

46 Peregrini, exterique, qui in Vrbe domicilium nõ habent, ad Eccleſiam maiorem remittantur.

47 Si quos huic pręcepto non obtemperaſſe repererit, intra menſem ad nos referat Parochus, vel Vicarius, quo tempore ſi fortè illum, qui non communicauit, vltimum obire diem acciderit, inter Eccleſię, ſeu Cœmeterij ſepta non pręſumat ſine noſtra litteris data licentia ſepelire ſub pœna vnciarum 20.

48 Laici famuli quicunque regularium monaſterijs operã nauant, tametſi in illis habitant, ſtatuto Paſchę tẽpore in ſua quiſque Parochiali Eccleſia euchariſtiam ſumant; ſic etiam ſi ad mortem eos ęgrotari acciderit à Parochiali viaticum, & extremam vnctionem expectare debent. Secus ſuperior loci in ſuſpenſionem à diuinis, & qui miniſtrat in excommunicationem reſeruatam Pontifici ipſo facto incurrat. Vt ſtatuitur *in Clem. Religioſi de priuileg.* quod multò magis dicendum eſt in caſu, quo Laicis, vel Clericis quibuſcunque, qui famuli non ſunt, Viaticum, vel extremam vnctionem miniſtrarent.

49 Studiosè inquirat Parochus, vel Vicarius quos ſuę iuriſdictionis, ſeu aſſignationis ambitus contineat ęgrotos, quorum nulla probabilis affulget ſpes, forè vt breui communionis pręcepto in Eccleſia ſatisfaciant, vt paſchalibus diebus ad eos ritè priùs confeſſos panis auguſtiſſimus deferatur.

50 Parochi, ſeu dignioris animarum curatoris intereſt, vt opportuno condictoque die carcere detentis, atque ſacramentali confeſſione bene diſpoſitis diuinum epulum eo paſchali tempore ad Eccleſię mandatis obtemperandum prębeatur. Quod ſi neglixerit, non leues nobis pœnas dabit.

Ca-

Cap. III.

De Sacra infirmorum Communione.

51 AD hunc vſum inter alios præcipuos ſacrã Euchariſtiam in Eccleſijs diligenter ſeruari decretum eſt, vt ſcilicet ad infirmos, cum opus ſit, deferatur, eaque illorum vires, præſertim ſpirituales roborentur, & immortali veluti viatico ad æternitatis iter immenſũm præmuniantur; pręter quam quod cum ſumma æquitate, & ratione conſtitutum eſt multis in concilijs 1, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more obſeruatum; quapropter vt ea, quæ decet diligentia, religione, atque ſtatis cęremonijs ſalutaris hæc, & vehemẽter neceſſaria conſuetudo omninò retineatur, omnes, & ſingulos animarum curatores, & Vicarios hortamur, eiſque præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt quãdo mortis periculum eſt euidens, petenti, rectèque (quãtum temporis anguſtiæ patiuntur) diſpoſito miniſtrare, quacumque diei, vel noctis hora properent. Vbi verò ea non adurgentur neceſſitate ſanctiſſimum viaticum ijs matutinis horis, & nonniſi ex medici, & Vicarij, quorũ conſcientiam ſummoperè oneramus, ordinatione ſcriptis exarata afferri debet; cæteris verò infirmis, & extra tempus Paſchale, de quo ſuprà diximus, qui ex ſua, & quidem maximè commendabili deuotione, diuina refici dape expoſcũt, id tantum ex noſtra, vel Vicarij loci facultate, & Sacerdotibus faciliùs, quam laicis, debita pręparatione expiatis, quandoque concedendum eſt, quin etiam ſi poſt extremam vnctionem ſuperſtes infirmus cõmunionem expetat, non denegetur, modò durante ea-

1 lege conc. Rhem. Lateran. & alios canon. apud Trid. ſeſſ. 13 cap. 6.

L dem

dem infirmitate pro viatico non præbeatur ſine licentia noſtra, vel Generalis Vicarij; ſic enim à Sanctis Patribus olim fieri conſueuiſſe traditum eſt 1.

1 S. Carol. in ediol. 5. de Euchar.

52 Vt primum ad eius, cuius intereſt, notitiam venit efferendam eſſe ad ægrotos diuinam communionem, nō modo ſolito maioris campanæ ſigno, ſed etiam tintinnabulo per eiuſdem Eccleſiæ viciniam miſſo, admonendos ſtatim curabit Chriſti fideles, vt ad aſſociandam ſanctiſſimam Euchariſtiam reuerenter, & tempeſtiuè congregentur; propterea ſummis ad ſydera laudibus extollendum eſt eorum patrum familias inſtitutum plura, vel ſaltem vnum cereum domi retinendi, ea tantum cauſa, vt quandocumque campanæ ſonus ad ægrotos ex Eccleſia ſuæ Parochiæ deferendam eſſe auguſtiſſimam Euchariſtiam ſignificet, ſtatim ipſi accurrant, vel legitimè impediti, digniorem conſanguineum, aut alium, quem magis expeditum in ſua familia hominē iudicauerint, eo lumine ad venerabile ſacramentum ſociandum mittant.

53 Adſint, qui vmbellam holoſericam albam, ſine qua non eſt vnquam efferendum venerabile ſacramentū, quaternis minimum ſuſpenſam haſtilibus geſtent, & hi quidem, quoad fieri poteſt, ſacerdotio, vel ſacris ordinibus initiati ſint, vel Vrbis Proceres; totidem inſuper parentur laternæ, quæ aduerſus ventorum, imbriumque iniurias colluceant; cerea adiungantur fanalia, ſeu accenſa intortitia quotquot Eccleſiæ vires patiuntur, itaut numerum expleant ſaltem octauum, atque continuus per vias tintinnabuli ſonus populum moneat, vt in genua prouolutus tranſeuntem verum cœli, terrarumque orbis dominatorem, latriæ cultu adoret, ſummaque modeſtia, & reuerentia comitetur.

54 Sacramentum ipſe Porochus, aut Eccleſiæ ſacra-

 men-

mentalis præfectus, ſuæ dignitatis ornamentis, ſi eã præfulget, vel ſuperpelliceo indutus, & ſtola, alboque velamine ſerico humeris ſuperpoſito, quandoque etiam poteſt pluuiali ſuperueſtiri, deferat; nec vllus Sacerdos, qui confitentibus peccata aures admouendi facultatem non habet, ſubrogetur; aliàs vterque prima vice vnius aurei ſolutione mulctabitur; ſecunda, Epiſcopi arbitratu pœnas dabit grauiores. Inter eundum Sacerdos ſacramentum geſtans cum ſuperpelliceo bene mundo veſtitis miniſtris, qui duobus pauciores eſſe non debent, alternatim, & deuotè pſalmos pœnitentiales, aliaque laudũ, & gratiarum actionum cantica, preceſque effundant, vbi verò pro Eccleſiæ, vel oppidi tenuitate, nec bini haberi miniſtri queunt, at certè vnicus non deſideretur.

55 Quicumque ſacramento per vias delato obuiam fiet, pro Chriſtianæ religionis cultu domum vſque eius infirmi, inde ad Eccleſiam pia veneratione proſequi, & comitari omninò ſtudeat, niſi neceſſitate, cauſaue vrgẽti vehementer impediatur, & equo, vel curru, ſi inſidet, deſcendat illicò, humi flexis genibus tamdiù in adoratione permaneat, quòad ſacramentum tranſierit.

56 In pixide, quæ ſemper albo ſit velata peplo, non plures deferendę ſunt particulæ, nec tamen ita paucæ, vt communicatis ægrotis nulla ſuperſit, atque adeo in reditu inanis fiat à populis adoratio. Verumtamen cum ad locum aliquem longè ab Eccleſia remotum eſt eundũ (qui ſanè extra communem habitationem, & in ſiluis, ſeu vineis eſſe non debet) congruentiùs eſſe iudicamus 1 totidem deferri particulas quot erunt infirmi diuina dape paſcendi, ſi enim tunc fragmenta ſuperfuiſſe aduertat Preſbyter, infirmo antequam ablutionem deglutiat, ſumenda curabit, eoque ritè peracto ſine ſuper-

1 S. Carol. mediol. 2. decr. 11.

pelliceo ſine lumine, & ſtrepitu tintinnabuli, ſine vllo proceſſionis ordine pixidem ipſe vacuam, & benè purificatam ſecretò ferens ad Eccleſiam, vel domum regrediatur.

57 Ad famoſos ſceleribus homines, atque ad publicas meretrices, niſi reſipuiſſe teſtentur viri timoratæ conſcientię, ſacrum non deferatur conuiuium, & quidem rogamus, obſecramuſque omnes in viſceribus Ieſu Chriſti, vt ſtatim ac eiuſmodi in mortis periculo conſtitutos cõpererint, nos, vel noſtrum Vicarium Generalem, aut foraneum, ſed in primis proprium Curatum certiores reddant, vt pro ſua quiſque animarum cura, quę in ijs caſibus debet eſſe perquam diligentiſſima, eius animę ſaluti proſpiciat; hoc autem tempore ſi quis ad eas infirmas meretrices ſine iuſta, & rationabili cauſa acceſſerit, pœnis carceris pecuniarias quoque addemus ad arbitratum noſtrum.

58 Ægroti domeſticis ſummoperè curandum eſt, vt ędes, in qua ille iacet pro cuiuſque viribus ornetur, pręſertim menſa, vbi corporali ſubſtracto, ſi opus ſit, poſſit pauliſper ſacratus cibus reponi, ibique crux, & duę ſaltem ſint ardentes faces, vas vitreum cum aqua ad Sacerdotis manus purificandas, aptum pręparetur. Atque dũ propriùs pręexcelſum ſacramentum accedere ſentiunt, quotquot ex ęgri familia, & familiaritate poſſunt cum cereis aliqui ab ipſa Eccleſia illud comitentur, & ad eãdem reducant, alij verò ad domus ianuam obuiàm prodeant.

59 Quod ſi pręditta infirmorum domeſtici pręſtare non valeant, parentur à Societatis Sanctiſſimi Sacramẽti ſodalibus; vbi verò ea inſtituta non dum eſt, Curati hęc omnia pręparent, & exequantur ſine vlla prorſus

aua-

auaritię ſuſpicione; interim quamprimum in qualibet ſacramentali Eccleſia eam ſodalitatem inſtituēdam, cuius præcipuum munus eſt hęc parandi, atque ſacram ſynaxim, cum ad ægrotos defertur deuotè, & accenſis facibus aſſociandi curent.

60 Diſtinctè, dilucidèque Rituale Romanum docet quid Sacerdoti ipſi in ægroti domus ingreſſu obſeruandum ſit, quomodo pax habitantibus in ea præcāda, quomodo benedicta adſtantes aſpergendi ſunt vnda, quæque orationes recitandę; idcirco ijs repetendis nō hic immorabimur; monemus tamen omnes curatos, vt in illis ſeduli ſint, & maximè religioſi, omneſque pulchrè calleant Ritualis prædicti cæremonias.

61 Cæleſte hoc viaticum, quantum fieri poteſt, ieiunis præbendum eſt, nunquam tamen denegandum eis, qui cibum, aut medicamentum paulò antè ſumpſerunt, cum medicus periculum prçuidens id ad aliud tempus protrahendum minimè iudicat, in his, & ſimilibus caſibus Parochorum prudentia ſemper eluceat, ad quam etiam ſpectabit, quibuſnam pueris in periculo mortis conſtitutis ſacrum viaticum exhibendum eſt, decidere: & ſanè illud ijs, qui vſu rationis fruuntur, aut aliàs capaces teſtimonio virorum prudentum exiſtimantur, eſt porrigendum, vt diximus: quod etiam de extremæ vnctionis ſacramento affirmabimus.

62 Ad ægrotum, qui ex nauſea, vomitu, interruptæ tuſſis, vel alio oris, aut gulæ impedimento, aut irreuerentiæ periculo, verè non eſt Angelico reficiendus cibo, ſed tanntummodò exoptat eum adorare, & benedici, nullo modo deferendus eſt, quod ſi id præuideri nequaquam potuit, vbi Parochus infirmum ita malè affectum offendat, vt ritè Euchariſtia miniſtrari nequeat, tunc colloca-

locata pixide ſuper corporale in menſa eò nomine apparata paululũ moretur,dum vtroque flexo poplite vna cũ cæteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſanctè orent, poſtea verò receſſurus, Euchariſtia pixide incluſa,eidem benedicat, aut vehementer efflagitanti ſacram hoſtiam tantum adorandam oſtendat, vt veneretur,& vltima verba faciat; tangere autem, aut particulæ oſcula figere minimè permittat.

63 Perfunctus eo munere Sacerdos,vbi ad Eccleſiam redierit,pixide ſuper altare repoſita quas conſequuti ſint indulgentias in ſacra Euchariſtia comitanda fidelibus denunciet, & perquam paucis, ſed ardentibus verbis eos cohortetur, vt in id pietatis ſummę officium totis viribus incumbant; recitata oratione de Sanctiſſimo, benedictionem cum Pixide impertiatur, & dimittat.

64 Neminem ignorare arbitramur perdiuitem indulgentiarum theſaurum à S. Sede Apoſtolica conceſſum eſſe ijs omnibus, qui Sanctiſſimum hoc Sacramentum ad ægros delatum piè, religioſèque comitantur; vnde etiam, atque etiam Chriſti fideles hortamur, obteſtamurque per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt audito ad id campanæ ſono, poſthabita omni alia cura, ad Eccleſiam conueniant,quo ſacerdoti ad ęgrotantes Euchariſtiam deferenti ſe comites adiungant; quod in primis ad eos ſpectat, qui ſodalitati ad venerandum Chriſti Corpus aſſociandum inſtitutæ nomen dedere; ſi verò hæc alicubi non dum extat, vt quamprimum inſtituatur Vicarius foraneus conatum omnem intendat, indulgẽtiaſque ei conceſſas promulget 1.

1 Vide S. Carol. med 3. pag. 517. & in Theat. vit humanæ ve. Euchar. f. 456. col. 2.

65 Si caſus accidat,quo ęger poſt ſũptũ cœleſte viaticũ alios dies, in vita eadẽ tamen infirmitate perduret, & cõmunicãdi deſiderio flagret;poſt ſeptẽ;ſi verò periculũ

vrgeat poſt tres dies poterit nō quidē per modū viatici, niſi expertis medici, aut prudentū arbitrorū iudicio alia à prima laboraret ęgritudine, communicare; quod tamen abſque conſilio, & approbatione confeſſarij, & medici non facilè concedatur.

Cap. IV.

Quæ ſeruanda ſunt cum exponitur Euchariſtia, præſertim in quadraginta (vt vocant) Horarum oratione.

66 PIè, & religioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem concilia declarant, & experientia ipſa teſtatur, vt ſcilicet admirabile ſacramentum inter argenteę ſpherę criſtalla elucens in altari cuilibet adorandum, tum ad populorum excitandam deuotionem, cum ad communi oratione calamitatem aliquam deprecandam exponeretur. Quamobrem vt id, ſi non qua debet, at certè qua poteſt noſtra tenuitas deuotione, & cultu pręſtet, eniti debemus.

67 Ac primum quidem pręmonendi ſunt omnes noſtrarum Eccleſiarum rectores; licèt ad ſupra memoratos fines ęquiſſimum ſit certis quibuſdam diebus Auguſtiſſimam ſynaxim in conſpectum dare fidelium populorū, nullo tamen prętextu eis hoc licere abſque noſtra licentia, exceptis tamē illis Eccleſijs, in quibus exponitur ad oratinem continuam quadraginta horarum in rollo deſignatis; ſecùs Eccleſia interdicta, & ſuperior ad noſtrū libitum ſuſpenſus eſto.

68 Sacellū, & altare, in quo publicè ſacra proponitur hoſtia ſit decenter ornatum, & nonniſi per ſex circiter palmos ſuper altare exponatur ſub decenti vmbella, ſeu

bal-

baldachino; amotis omninò inſtrumentis, ſeu rotis, & ſimilibus ſuper quibus ſacram ſinaxim aſcendere, & deſcendere coram populo non ſine periculo faciunt, quod expreſsè prohibemus;

69 Nulla pictura, vel ſimulacrum, aulęa, veſteſque prophanę in eo admittantur. In altari ſex ſaltem cerei ardeant, & lampades ſuſpenſę colluceant. Duo, vel ſaltem vnus, ſed diligens, accuratuſque clericus mundo indutus ſuperpelliceo ad altare iugiter aſſiſtat, vt cerea fanalia, lucernaſque ardentes curet; importuna conuenientium colloquia, & ſi quod aliud eo ſacro loco, temporique videat minus conueniens prohibeat, atque remoueat. Pręexcelſi, & venerabilis Sacramenti ſphœra, ita erit conſtituenda, vt ad illam reponendam, remouēdamque neceſsè non ſit in ſacra ara pedes ſacerdotem ponere, veſtigiaque imprimere.

70 Extet ſemper in Templo, quo ſuperſubſtantialis exponitur cibus ad illum nocte, certiſque diei horis cuſtodiendum ciborium claue obfirmatum, quæ penes cappellanum aſſeruetur; Cuius intererit ne vnquam, dū eſt in altari publicè conſtituta Euchariſtia, deſint orātes; quod facilè aſſequētur, ſi tantummodò à tertia vſque ad prandij horam, & poſt veſperas ad vigeſimam tertiam exponat; noctu verò nullo prorſus caſu ſine noſtra licētia id permittant Vicarij, aliàs & ipſi, & qui tēplis pręſident pœnas iuxtà noſtrum arbitratum perſoluent.

71 Singulis quintis anni ferijs ad populorum deuotionem augendam, atque ob tā ineffabile beneficiū gratos animos teſtandos congruum viſum eſt permittere cuilibet ſacramentali Eccleſię ſacrū de Sanctiſſimo hoc Sacramento decantare, illudque iuxtà formam à Romano Miſſali pręſcriptam in conſpectum dare; meminiſſe

tamen

tamen oportet ſi eo die de feſto duplici, & ſollemni recitatur officium, de eodem & miſſam celebrandam eſſe; adhibita tamen huius ſacramenti commemoratione; quod ſi, re diuiua peracta, ſupplicationem inſtituendi vſus peruetuſtus inualuit, tantum intra templi ſepta illam ordinari concedimus, & quamcumque à noſtris prædeceſſoribus, ſiue à Vicarijs Generalibus datam facultatē, vt ijſdem diebus extra templum circumduci queat ſacra ſinaxis, præſentis conſtitutionis vi abolitam eſſe declaramus.

72 Regulares quid in proprijs Eccleſijs circa expoſitionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ facere poſſint, docentur à deciſione ſacræ congregationis ritus, 1 quā omninò obſeruari præcipimus ſub mulcta interdicti Eccleſiæ, & ſuperiorum ſuſpenſionis, nimirum ne ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ priuilegio, quod nobis oſtendere teneantur, illam exponant abſque cauſa, quam approbare ad nos ſpectat, & quidem illa publica eſſe deberet, non verò priuata. Etenim pro cauſa priuata non debet niſi in pixide velata ab oſtiolo tabernaculi, vel ſuper altare, aliquot ardentibus cereis, atque lampadibus, exhiberi adoranda, rogandaque; quare ſuperiores omnes regularium iubemus intra mēſem ab huius Synodi publicatione nobis demonſtrare, quibus temporibus in eorum Eccleſijs ſanctiſſimam ſinaxim in populorum conſpectu dare hactenus conſueuerunt, velintque in poſterum, vt nos cauſas recognoſcamus, & facultatem litteris obſignatā impertiamur; qui negligentes fuerint annuam ſuſpenſionem incurrant à diuinis.

1 edita 19. Maij 1614. & 26. Febr. 1628.

73 Tum in Vrbe, tum in quamplurimis noſtræ Diœceſis locis orationem quadraginta horarum, vt vocāt, coram Sanctiſſima Euchariſtia inſtitutam eſſe non ſine in-

genti animi voluptate reperimus, vt autem ea non modò retineatur, ſed vt maiori in dies pietatis, & reuerentiæ incremento adaugeatur, cæteræque omnes vniuerſitates imitentur, vehementer expetimus; ſtatuimus tamen ne in vlla vnquam Eccleſia hæc oratio peragatur, quæ in indice, ſeu rollo ad id dudum præſcripto, & obſeruato non ſit recenſita, nec aliqua prorſus dierum commutatio in eo admittatur rollo; nam additio, vel diminutio nobis, aut noſtro Vicario Gener. incōſultis ne fiat; ſi contrarium quis auſus fuerit, decem vnciarum ſolutione punietur. Delubra verò, quæ ad hunc finem reponi poſſunt in Indice ſint tantum Cathedralis, & cuiuslibet alterius Parochialis, ſeu Sacramētalis Eccleſia, vel ſint Tēpla regulariū tam virorū, quam mulierum, quæ vrbibus, aut oppidis, vel in eorum pomærijs ſita ſunt, nec non Confraternitatum oratoria, in quibus intereſt populorum numerus; quod ſi accidat has Eccleſias minitari ruinam, vel æris pœnuria grauari, ita vt ad ſtatos ſoles Euchariſtiam in publicum exhibere pro dignitate non valeāt; ſic etiā ſi aliqua ſit ob ſitus aſperitatem, vel loci diſtantiam, vt illic nec mediocrem populorum numerum intereſſe, aliàs potuiſſe compertum ſit, tunc ad Vicarium ſpectare volumus, quænam Eccleſię illarum vices ſupplere debeant, decernere.

74 In Eccleſijs Parochialibus, ſeu ſacramentalibus duo ſemper ante expoſiti ſacramenti altare ſuperpelliceo induti clerici orantes aſſiſtant, eorumque orationis hora expleta, alij ſubinde duo ſuccedant ad tintinnabuli ſonum, & ſic de alijs, qui eius Eccleſiæ famulatui adſcripti ſūt, ſiue in dignitate ſint cōſtituti, ſiue Sacerdotes, aut ſacris, vel minoribus ordinibus, etiam ij, qui tantū prima tonſura initiati ſunt, idcircò, eorum nominum

ta-

tabella in ſacriſtia affigatur cum præſcripta hora, & vt tempori prętò ſint; atque cum ea, qua par eſt pietate, & veneratione orent, Eccleſiæ Rector ſedulo curabit: ita pariter vbi in ſacris ædibus confraternitatis alicuius Venerabilis exponetur hoſtia, Cappellanus, & illius ſuperior, vt ſingulis horis duo ex illa ſaccis induti ante altare iugitèr orantes aſſiſtant.

75 Ante ianuam, quæ expoſitam è fronte angelorũ menſam reſpicit, pannus, vel ſtorea, aut quid ſimile apponatur, vt tranſeuntium irreuerentem proſpectum impediat; ſecus Præsbyter, qui expoſuit ad quatuor menſes à diuinis ſuſpendatur; ſingulis diebus, at certè orationis vltimo die concio, vel ex altari, vel pro ſuggeſtu habenda eſt; quæ graui ſermone populi animos ad debitũ Sanctiſſimo Sacramento cultum accendat; quo autem tempore illa habetur, niſi aliud ratio ſuaſerit, candido, ſericoque velo ſacroſancta Euchariſtia contegatur.

76 Quoad loci, temporiſque dabunt anguſtiæ, quo altari venerabile expoſitum eſt ſacramentum miſſæ non celebrentur etiam ab eo, qui aliàs in illa tenebatur Sanctiſſimum Chriſti Corpus, & ſanguinem immolare, diſpenſamus enim, vt ob eam tantum cauſam, tunc in alio ciuſdem tamen Eccleſiæ altari ſacroſanctã hoſtiam Deo immolari liceat.

77 Capite omnes detecto, poplite flexo, & deuoto corporis ſitu expoſitum ſacramentum reuereantur: ideoque volumus omnia ſcamna, altaſque ſedes ab Eccleſia, dum quadraginta horarum oratio peragitur, remoueri.

78 In quauis Parochiali Eccleſia per integram feſti Corporis Chriſti octauam, tam in miſſa, quam in horis Canonicis Panis angelicus ex ara maiori, aut decenter alio ornato ſacello adorandus exhibeatur, ijs omnibus

ſeruatis, quæ nos ſupra, atque cæteris, quos diſtinctiùs ceremoniale ritus commendat, & mandat: quod nonnullos maiori temeritate, quam deuotione feciſſe audiuimus, omninò in poſterum prohibitum eſſe volentes, ſtatuimus ſub pœnis noſtro arbitratu à nemine ſanctiſſimã Euchariſtiam ante Templi ianuas, vel alium in locum ad procelloſos imbres, fulgura, & quaslibet ſedandas tempeſtates poſſe deferri. Non improbamus tamen ſi tunc temporis ad eum finem tabernaculum, vbi venerabilis aſſeruatur panis, patefaciat Parochus, vel Eccleſiæ ſuperior, tumque in eius conſpectu litanias, aliaſque religioſas preces eius rei cauſa inſtitutas piè, ſanctèque pronunciet.

79 Ab ea laudabili conſuetudine, & maiorum inſtituto noſtras Vrbes recedere nolumus, quo ſancta diuinę paſſionis hebdomada in Principe templo poſt Dominicæ Palmarum veſperas ad feriam quartam ante prandium ſingulis horis ſodalitia, & cõfraternitates ſuis quęque induta ſaccis viciſſim ad expoſitũ venerabile Sacramentum adorandum, atque ad acerbiſſimam noſtri ſoſpitatioris cruciatuum memoriam recolendam accedũt; quapropter ſermone ad omnium animos excitandos, inflammandoſque peracto vnaquęque hominum ſocietas ad has quadraginta horarum ſupplicationes ſumma deuotione habendas ſe diſponant, & in Cathedrali quidẽ nos primam cum noſtris Canonicis horam occupabimus, ponè optimatum, ac deinceps aliorum confraternitates, vt hactenùs obſeruatum eſt; in reliquis verò Diœceſis noſtræ Ciuitatibus, oppidiſque eadem, quoad fieri poterit, methodus ſeruetur, vt ſcilicet primo locò Clerus, ſecundo illuſtriorum perſonarum, alia ſubinde iuxtà fundationis cuiuſque antiquitatem ſocietates aduenient.

Ca-

Cap. VI.

De Sepulchro Christi Domini.

80 VNus idemque dies eſt, nempe maioris hebdomadæ feria quinta, qua ſupremæ Chriſti Cœnæ commemorationem recolimus, & immortali gentis humanæ liberatori parentamus; propterea ſuis viribus quæque Eccleſia Sacramentalis machinam luminibus internitentem ſtruat, adornetque, in quo concinnè, veluti in ſepulchro auguſtiſſima recondatur Euchariſtia; eaque in ſequenti Paraſceue Sacerdos communicet. Duodecim ſaltem cæreæ faces, totidemque ex oleo lichni iugiter ardeant; curentque Eccleſiæ cuſtodes vt illud flebile tempus magno tranſigatur ſilentio, & reuerentia: poſt ſecundam noctis horam ad ſepulchrum inuiſendum alicui ne pateat aditus; ſecus Vicario, ſeu Parocho, qui id permittet hæc tranſgreſſio ſex ſtabit vnceis.

Cap. VII.

De Sacra Euchariſtiæ Proceſſionibus.

81 VT Sanctiſſimum morem inductum approbamus, & præſenti decreto roboramus; finita ſcilicet quadraginta horarum oratione reuerẽter, & honorificè in proceſſione ſacramentum Euchariſticum circumferendi, ità illud ea occaſione per remotiores ab Eccleſia vias, & loca publica, per quæ hactenus non conſueuit circumduci vetamus ſub pœna interdicti Eccleſiæ, & alijs noſtro nutu ei, qui geſtat, infligendis.

De

82 Declaramus præterea nemini Regularium licere extra clauſtra quacumque occaſione, nobis inſcijs, & nō approbantibus, Euchariſtiæ Proceſſionem inſtituere; ſæcularibus verò, & Parochianis nec intra eorum templū ſine noſtra facultate permittatur; contrarium audentes, vt par eſt, punientur; porrò in huiuſmodi proceſſione eæ tantum præces recitandæ ſunt, atque ad vnguem ſeruandæ cœremoniæ, quas Romana Eccleſia, & Rituale præſcribunt.

83 Præcipua inter alias, & ſingulis annis ex peranti-quo orthodoxę Eccleſię vſu, & ſacrorum Conciliorum Decretis, pręſertim verò Tridentini 1. Proceſſio ſtatuta eſt ad peculiari quodam, feſtoque die pręexcelſum hoc, & venerabile ſacramentum ſingulari veneratione, & ſolemnitate colendum; quò igitur Sanctiſſimus hic vſus, qua par eſt religione retineatur, Illud in primis ſtatuimus, vt in ea proceſſione nullę Sanctorum Reliquię circumferantur, vt veteris inſtituti, & Eccleſię Romanę matris cōſuetudinis eſt 2, ſed ad Sanctiſſimi Chriſti Corpus ſolemni pompa, & celebritate venerandum omniū cura, totiuſque Vrbis ſtudium vnicè intendatur.

1 ſeſſ. 13. c. 5

2 S Carol. med. 4. pag. 511.

84 Sacramentum pellucida criſtallo incluſum ab ipſo Epiſcopo in Vrbe ſi adeſt, & legitimè nōn ſit impeditus, aut ab eo, qui abſente Epiſcopo, ſolet; alibi verò à Principaliori Parocho, vt conſuetum eſt, manibus deuotè, & reuerenter geſtetur; qui vmbellę haſtilia ſuſtollēt ſine chirothecis, quod alijs etiam caſibus, quibus ſacra Euchariſtia circumfertur, erit obſeruandum.

85 Omnes confraternitates huic Proceſſioni ſuis diſtinctę inſignibus, quotquot etiam Clericalem tonſurā, vel habitum habent, atque regulares omnes, qui de iure, & more tenentur, eoque inter ſe ordine hactenus cō-

ſue-

ſueto intereſſe debent, ſecus grauiſſimis eorum ſuperiores pœnis ſubiacebunt; quod ſi de loci precedentia inter aliquos regularium ordines, ſeu Confraternitates, aut clericos orta fuerit contentio, tunc ob bonum pacis, ne puſilli ſcandalizentur, atque tàm feſtiua ſolemnitas, & religioſiſſima ſupplicatio vanis contentionibus perturbetur, faciles acquieſcant; nullum enim ob id alterutri parti preiudicium generatum eſſe declaramus; noſtram poſtea magnam curiam adeant, rationeſque proponãt, vt perſpectis omnibus in Domino litem dirimamus, & queſtionem perpetuò terminemus; ſi quis minus obtemperans offendetur; ſue pertinacie pœnas dabit carcere obſtrictus ad noſtrum beneplacitum. Iam verò Regulares primum, deinde Clerus procedant detecto capite, ardentes cereos geſtantes, ſolitoſque pſalmos, & hymnos concinentes; Clerus preſertim vt debito ordine, cõpoſitione, & ſilentio, ſuis quiſque Eccleſiaſticis inſignibus, vt moris eſt, ornatus incedat, Vicarius curet ſolertèr.

86 Nemini ab Eccleſia, in qua ſupplicatio terminatur, niſi ea abſoluta, & ſacra Euchariſtia repoſita, recedere liceat ſine Vicarij facultate; qui ſecus egerit, duos ſoluet aureos.

87 Quiſque fidelium, preſertim Proceres, & Regulares, quorum ante domos tranſibit proceſſio, omni, qua poterunt, induſtria ſuas ędes ornare ſtudeant; viarum puluerem opportuna ocatione cõprimant, eas ab omni ſorde expurgent; folijs, & floribus humum ſpargant; periſtromatibus, aut ſericis pannis parietes conueſtiant; picturis honeſtis diſtinguant, luminibus feneſtras illuſtrent, & qui poterunt regulares, & Parochi omnino ad Sanctiſſimam Euchariſtiam aliquantiſper reponendam

alta-

altare erigere, & omni, quo poterunt, ornamento concinnare debent.

88 Cõſuetudinem laudabiliter introductam ab Eminentiſſimo Cardinali Aſtalli felic. mem. Predeceſſore noſtro, omninò retineri mandamus, nimirum vt in Vrbe per octauam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſingulę Sacramentales Eccleſię ſolemni pompa, & viarum proprię Parochię ornatu maiori quo poteſt, Sacroſancta Euchariſtia circumgeſtetur ſuo cuique Eccleſię aſſignato die; imò vt eumdem morem omnes aliæ Diœceſis Eccleſię ſacramentales imitentur vehementer exoptámus.

89 Omnes, qui eiuſmodi Proceſſioni, vel alteri, quę per octauam fieri conſueuit, pręſentes fuerint, quadraginta dierum Indulgentiam impertimur.

Cap. VIII.

De Sacroſancto Sacrificio Miſſæ.

90 NEmini dubium eſſe poteſt id, per quod principaliter Deum fideles viatores reuerentur, & colunt, eſſe Auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium; quamobrē hic de reuerentia debita Deo, & Sacramentis, præſertim Euchariſtię decreta præſcripturi, de ipſo ſacroſancto ſacrificio dicere debemus, quod quanto Religionis cultu, ac veneratione tractandum ſit Sacerdotes facilè exiſtimare poterunt, ex eo quod, vt affirmat Triden. 1 nullum aliud opus adeò ſanctum, ac diuinum à Chriſti fidelibus in terris peragi poteſt, quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari quotidie per Sacerdotes immolatur, quod ſi maledictus in ſacris litteris 2 is nominatur,

1 ſeſſ 22. de creto de obſer. & vitādis in ſacr. miſſæ.
2 Hier. 48. lege c. cuſtos de off. cuſt.

tur, qui opus Dei facit negligenter; excogitent quæſo, & aſſidua, atque tremebunda ſecum ipſi ponderatione perpendant, quam maledictionem ſubibit ille, qui hoc inter opera Dei hominibus tractanda ſanctiſſimum neglexerit; ſatis igitur apparet omnem operam, & diligẽtiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interna cordis munditie, & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis ſpecie peragatur.

91 Vt autem luculentiùs, & vno veluti proſpectu Præsbyteri hic habeant quidquid de obſeruandis,& euitandis in celebratione miſſæ, aut ſacra concilia, & Canones, aut Bullæ Pontificiæ, & conſtitutiones Synodales noſtræ, & prædeceſſorum ſanctè, inuiolabiliterquè decernunt,per ſubſequentes paragraphos diſtinguemus.

De eo, qui nouam Miſſam celebraturus eſt.

92 Nemo Sacerdotio initiatus ad primam hoſtiam immolandam accedat ſine noſtra ſpeciali,ſcriptiſque cõſignata facultate, quam certò non exorabit, niſi prius circa cæremonias, & rubricas à Magiſtro noſtro cæremoniarum, ſi in Vrbe fuerit, ſi verò in reliqua Diœceſi, ab eo, quem Vicarius loci deſignauerit, cuius conſciẽtiam quo ad hoc etiam, atque etiam oneramus, fuerit examinatus, & approbatus; nec Vicarius loci ſine huiuſmodi litteris illum ſacrificare quouis prætextu permittet; quod ſi inobedientes fuerint, ille ab officio, Sacerdos verò recens ab altari tandiù ſuſpenſi manebunt, quãdiù meritas pœnas pro tanta inobſeruantia datas eſſe iudicauerimus.

93 Sciat præterea, ne ſuperſtitionis locus aliquis detur,diſtrictè omnibus Præsbyteris inhibitum eſſe, prout

nos etiam præſenti edicto iiſdem cauemus, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, ne alijs quam debitis horis celebrent, neue ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili vſu receptæ ſunt, quas in Miſſali Romano Clementis VIII. primum, ac de nouo Vrbani VIII. auctoritate recognito, ac reformato ad amuſſim præſcriptas inuenient.

94 Et ſi pium, & laudabile eſt primum hunc initiorũ diem ſolemniori ritu, & apparatu celebrari, nullo tamẽ pacto ob id ſumptuoſa conuiuia, etiam in priuatis ædibus, neque choreas, vanaſque cantilenas, aliosque abuſus permittere poſſumus, quos vel ſacrilega præsbyterorum auaritia, vel populi temeritas in nouarum miſſarum ſolemnitates inuexit; idcirco ſi prædictorum aliquid reſciuerimus in aliqua Eccleſia factum, & ipſam interdicemus, & Sacerdotem; ſi verò domi priuatæ, ad duarum vnciarum pœnam Sacerdotem, & carcerum pro noſtro libito damnabimus. Quem cum ingenti animi mœrore audiuimus abuſum introductũ eſſe, vt in miſſis nouellis, vt vocant, publicas quaſdam exactiones, ſeu potiùs extorſiones eleemosynarum aliquibus in locis noſtræ Diœceſis, Eccleſiam circumeundo fieri, aut quod peiùs eſt, ipſas incolarum domos, præſenti edicto pœnitùs prohibitum eſſe volumus, ſub pœna excommunicationis; poterit 1 tamen celebrans in medio altaris, ad populum conuerſus poſt offertorium, vel peracto iam ſacrificio, ſtans, vel ſedens manipulum, vel ſanctam Imaginem deoſculandam populo præbere, & oblationes ſponte factas ſuſcipere; patenam autem, aut venerandas reliquias, vel manus tunc nemini deoſculandas tradat.

1 S. Carol. c.32. & ſacra Congr. Conc. in ſeſ. 22. c. 1.

95 Sacris veſtibus in priuatis domibus extra Eccleſiã

mi-

minimè induatur; nec ſub vmbella recipiatur ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs ad noſtrum beneplacitum.

96 Ne quis fruſtrà ad tantum officium deputatus eſſe in Eccleſia Dei videatur, præcipimus, vt quilibet Sacerdos intrà annum à die ſuæ inaugurationis ſacerdotalis rem diuinam faciat, aliàs grauiter à Nobis punietur.

De requiſitis in Altari ad hoc diuinum munus ritè obeundum.

97 Sacroſancta hoſtia non imoletur, niſi in altari, ex proprij Ordinarij licentia, vel recognitione, & approbatione erecto, ſcilicet in Eccleſijs, aut priuatis oratorijs, atque in eo conſecratus lapis, quem *Altaretto* vulgò vocant, cum Reliquijs Sanctorum eſſe omninò debet, adeò integer, vt arbitrio prudentum exiſtimetur priorē non amiſiſſe conſecrationem; aliàs ab hac veneranda functione, tanquam ei pœnitùs inutilis remoueatur. Sit hoc ſacrum altare longitudinis, & latitudinis ad minimū vnius palmi cum dimidio, vt ſupra illud commodè ſacer calix cum hoſtia deponi, & tractari queat.

98 Sitque altare tribus lineis ornatus tobalijs, quibus omninò ſacratū cooperiatur marmor, in medio è Cruce pendentis noſtri Seruatoris Imago collocetur. In ſingulis Altaribus, quibus Deo frequenter eo die litandum eſt, ſint ſuæ ampullæ vitreæ cum ſudariolo ad manus Sacerdotis tergendas, campanula, cerei, & tabella verborum ſecretorum, quas cartas gloriæ dicunt; alioquin Sacerdos è ſacriſtia ad ſacrificandum ne prodeat.

99 Veſtes ſacrificantis, Calix, patena, Corporale, & mappæ omnes, & ſtrophiola ſint munda, & nitida, atque iuxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ morem, forma in-

que; Purificatoria vndequaque palmo anguſtiorā ne ſunto: pallæ ne ſtrictiores ſeſquipalmo, & ex qua parte Calicem tangunt, ſint lineæ amylo linitę, perpolitæ, & leuigatæ.

100 A principio ad finem vſque Miſſæ, duæ minimū candelæ cereæ in altari ardeant, ſed caueant ne certus earum numerus ſuperſtitioſè neceſſarius in aliqua occaſione à quoquam, vt audiuimus, exiſtimetur; cum ventum eſt ad primum memento, cereus accendatur poſt Sacerdotem; qui, quantum fieri poteſt, à miniſtro ne teneatur, ſed candelabro, quod proptèrea in quolibet altari volumus conſtitui, affigatur, & tandiù luceat donec conſumptum ſit ſacrificium: in eleuatione Euchariſtiæ ſignum adorandi per campanulam modeſtè detur.

101 Ad Epiſcopalis dignitatis obſeruauantiam, mādamus, qua in ara Epiſcopus rem diuinam facit, ne eodē die Sacerdos alius celebrare præſumat, niſi ex eiuſdem Epiſcopi conſenſu, nec item alius in eadem Eccleſia ad miſſam celebrandam exeat, dum ille, vel ſollemni pompa, vel priuatim ſacrificat, niſi fortè aliqua de cauſa ipſe permiſerit 1.

1 cap. fin. de conſ. d. 2.

102 In ædium priuatarum altaribus abſque ſanctę ſedis Apoſtolicæ facultate nemo audeat ſacrificare, nec diebus illis ſollemnioribus, qui in huiuſmodi Bullis ex declaratione ſacrę Congregationis Rituum excipiuntur, nimirum diebus Paſchatis reſurrectionis, Pentecoſtes, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Annunciationis, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis; Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & prima Nouembris in feſtiuitate omnium Sanctorum, nec non noſtræ Tutelaris Sponſæ, & Ciuis Catanenſis Virginis, & Martyris Diuæ Agathę.

103 Curati omnes, & Eccleſiarum Rectores omnem impen-

impendant conatum, vt quæ tanto ſacrificio opus ſunt, nitida ſint, ac munda; Calices argentei, veſtes, panni linei, purificatoria, Corporalia, mappæ, cæteraque ornamenta, item vt indumenta non ſint lacera, ſed integra, & concinnè compoſita, eiuſque coloris, vt etiam altarium pallia, quem ſollemnitatum, ac temporum ratio poſtulabit.

104 Exponatur propterea in Sacriſtia tabella, quę miſſas, earumque colores iuxtà dierum varietatem, atque etiam aliam, quę celebrandi ordinem Sacerdotibus pręſcribat. Conſeruandum Eccleſię inſtitutum ſanè iubemus ne veſtimento aliquo ſacris officijs, & miniſterijs deputato quiſquam Pręsbyter ſe induat, niſi prius ab Epiſcopo, vel ab eo qui auctoritate hac benedicendi pollet, fuerit benedictum, vel ſacratum.

105 Spatio ſaltem vnius quadrantis horę antequam Sacerdos celebrat à quouis tabacci genere abſtineat; ſic etiam in choro, ſub poena vnius aurei.

106 Sacra, quę de Roſario, de Carmelo, de ęterno Patre, de quindecim auxiliatoribus, vel de Sancto Gregorio nuncupantur, à nemine in poſterum celebrentur.

107 Prohibemus etiam ne vlli, quamuis ſit dignitate conſpicuus, Euangeliorum liber exoſculandus porrigatur; id enim Epiſcopis, & Pręlatis Superioribus, atque ei, qui ſolemniter ſacrificat ex rubricis conuenit, & conceditur; inobediens ſeuerè punietur.

Quæ obſeruare debet Sacerdos, eiuſque miniſter.

108 Præter illam maximam cordis munditiem, animique deuotionem, de qua ſupra innuimus, vt dignè, &

cum

cum vberrimo ſui, proximorumque fructu rem diuinam faciat Sacerdos in primis pręſtare debet diligentem ſuę conſcientię diſcuſſionem, & maculas, ſi quas deprehenderit, ſacramentalis pœnitentię lauacro detergere, quod bis, vel ter in hebdomada; licet nullius grauis ſceleris reum ſe eſſe cognoſcat, vt exequatur ad vberem gratiam recipiendam, & tanto muneri munditiem ſeruandam, & ad aliorum exemplum hortamur, atque enixè obſecramus.

109 Aduertant tamen vt id preſtent antequam ſacris veſtibus induantur; vnde prohibemus ſub pœna tarenorum duodecim Confeſſarijs omnibus ne horum Sacerdotum ſacris indutorum confeſſiones excipiant, niſi in caſu, quo ille alicuius peccati in paulò ante pręhabita confeſſione obliti, memor eſſet, quod ſi rarus caſus occurret, vt conſcio peccati mortalis celebraturo copia Confeſſarij non ſuppetat, conteratur, & ſacro abſoluto, quamprimum poterit, confiteatur.

110 Deinde, niſi tamen paulò ante fecerit, preces, pſalmos, & orationes, vt in Rubricis Miſſalis extant, pro opportunitate deuotè recitet. Quod vt commodiùs fiat, Rectoris Eccleſię illius erit, vt mandamus, in ſacraſtijs cellulas, ſeu oratoria ad hunc orandi, atque etiam ſacram abſolutionem recipiendi vſum concinnare.

111 Licèt his temporibus non graue piaculum reputetur ſacerdotis, ſi non recitato prius ſaltem matutino, ſacrificet; tamen ita debere facere hortantur omnes doctores, & religioſorum virorum exempla confirmant.

112 Celebraturus Miſſam prelegat, & ſingulas partes ita diſpoſitas teneat, vt in altari ſine ſua perturbatione, & auditorum tędio, & fortaſſe etiam ſcandalo, errare, aut herere non cogatur: lotis manibus calicem cum

hoſtia pręparet, mox ſacerdotàlibus ita ſe induat veſtibus, vt ad ſingulas proprias Eccleſiæ preces ritè, deuotèque proferat, nec ſe veſtire aggrediatur, niſi miniſtrū adiuuantem ſe coram habeat; neque finito ſacro ſe ſolus ſpoliet, ſed ab eodem adiutus; ſic indutus per ſacriſtiam ne diuagetur, neque cum alijs colloquatur; ſi quid illicò occurret neceſſariò dicendum, fiat perpaucis, ſubmiſſiſqe verbis; vbi ſacriſtia deſideratur, non in Cornu altaris, ſed poſt altare, vel propè ipſum ſe induat, eodéque poſtea loco ſacras depoſiturus veſtes expleto ſacrificio; alioquin pœnam ſubeat tarenorum duorum pro ſingulis vicibus.

113. Certior factus in altari præſto iam eſſe omnia ad ſacrificium requiſita, & accenſas candelas, ſe aqua benedicta ſignans, & dato per campanulam ſigno dimiſſis modeſtè oculis, grauique greſſu bireto caput coopertus, neminem ſalutans ad altare progrediatur recitans miſerere; biretum ſuper altare numquam deponat, ſed miniſtro porrigat.

114 In altari ne quempiam præſtoletur, aut alicuius gratia miſſam incohatā interrumpat, vel eius initium repetat; nec in ſacramentali Eccleſia cuiuſuis perſonæ gratificandę ſtudio pręter ſolitum anticipet, aut differat: Inde enim vt plurimum cęteri offenduntur, & muſſant.

115 Quę ab auditoribus percipi debēt diſtincta, & intelligibili; quę verò ſecretò, pręſertim Canonis verba ſecreta, ſed quā ipſemet audiat voce, pronunciet, neque tardiùs, aut celeriùs; quam par eſt. Supra altare ſubbireto, aut pilleolo, quod copulam vocant, minimè vtatur, etiam extra Canonem, nec annulus digitum ornet; quę omnia multis decretis ſacra Rituum Cōgregatio vetauit.

116 Seuerè etiam prohibemus ijs, qui miſſis ſolemnio-

nioribus in Diaconi, & Subdiaconi officio, aut magiſtri cęremoniarum, vel quouis titulo aſſiſtunt, dum ſacrum peragitur tenere caput coopertum quouis ſubbireti, ſeu vt aiunt, copulę genere, quod neque alijs quibuſcumque miſſarum priuatarum miniſtris liceat, ſub pœna carceris ad noſtrum arbitrium, & vnciarum quatuor.

117 Nemo abſque corona,& habitu clericali audeat celebrare, aut cum muſtace, vt aiunt, adeò incondito, & exuberante, vt eius pili in calicem intrent, aliàs carceris mulctam ad noſtri arbitrium ſubibit.

118 Nec ante Auroram, aut poſt meridiem, niſi in caſibus à iure permiſſis ſacra conficiat, nec dum in eadē Eccleſia ad populum ſermo,vel concio habetur.

119 Diebus Dominicis, vel feſtiuis de præcepto,aut duplicibus non alia miſſa dicatur, niſi eiuſdem diei; in qualibet verò miſſa plures tribus, aut ad ſummum quinque orationes,ſeu vt vocant collectas,non adhibeat, nec aliqua vtatur oratione,pręter ſtatutas ab Eccleſia.

120 Tridentini Concilij veſtigijs inhęrentes pręcipimus Pręsbyteris curam animarum habentibus, niſi impedimentum legitimum habeant,omnibus diebus dominicis, & feſtis, vel ter minimum in hebdomada diuinam hoſtiam ſacrificent, alijs verò Sacerdotibus ſemel ſaltem in hebdomada; quod ſi neglexerint, debita caſtigatione non erunt immunes.

121 Cęremonias omnes, quas miſſę ſacrificium expoſcit,genufleſſiones, capitis inclinationes,ad populum conuerſiones, manuum adiunctiones, disiunctiones, extenſiones, crucis ſignum, ſanctę hoſtię eleuationem, tractationem, fractionem, ſumptionemque ita aptè, & moderatè peragat, vt in omnibus pietatem, Religionem, grauitatemque pręſeferat, nec tempore quo vnam actio-

nem

nem præſtat, aliam ſubinde coniungat.

De eo, qui ſacrificanti miniſtrat.

122 Qui ad miſſæ inſeruiendum deputatur, ſciat ſe Angelorum principale munus obire, vnde animi puritatem, exterioremque modeſtiam, & diligentiam, quantam poteſt eximiam, in eo adhibere debet.

123 Is, ſi facilè haberi poteſt, ſit Clericus in hoc miniſterio ritè inſtructus, talari veſte indutus, & ſuperpelliceo, qui in Sacriſtia Præsbyterum ſacris veſtibus induat, & præuideat num candelæ, vrceoli, qui vitrei ſint, aut argentei, nullo modo ſtannei, & ſimilia ad ſacrificium requiſita ſuis in locis rectè diſpoſita ſint, antequam cum Sacerdote ad altare accedat, datoque per campanulam ſigno, & Miſſalem librum geſtans Sacerdotem graui inceſſu præeat, atque ad imum aræ gradum ſiſtens à dexteris biretum illius accipiat, decenti loco, non tamen ſuper ipſum altare, ſeruandum.

124 Adſtantes propiùs, quam par eſt, ad altare accedentes, modeſtè arceat; dum autem rei diuinæ deſeruit nullas preces de libro, aut officio quopiam recitet, nec huc, illucque diuagetur, aut caput vertat.

125 Filios autem Præsbyterorum ijs celebrantibus, ne paternæ incontinentiæ teſtimonium populo ſint, miniſtrare prohibemus 1 ſub pœna carceris. 1 Trid. ſeſſ. 22. de refor. c. 15.

126 Pauperes per Eccleſiam vagantes, & emendicantes, præſertim miſſæ tempore ne permittat, ſed ſtatim ac videt, curet mitibus tamen verbis, vt charitas dictat, ſi velint ad ianuam pro quærendis eleemosynis conſiſtāt, vel abeant 2. 2 ita cōſtit. Pij V. incipit cū primum Kalē. April. 1656.

De Miſſis ſollemnioribus, & earum aſſiſtentibus.

127 Inter ſolemniores miſſas, quæ in Eccleſia habẽtur, principem locum tenet illa, in qua Pontificalia exercet, vel cui pro Trono aſſiſtit Epiſcopus; in ea igitur occaſione maioris ſolemnitatis demõſtrationes fieri decet; unde vt hactenus laudabilitèr obſeruatum eſt; & in nouo Cæremoniali diſponitur 1, dignitates omnes, & Canonici, Secundarijque Eccleſiæ Cathedralis ſuis inſignibus ornati; inſuper cuncti noſtri ſeminarij alumni, cæterique Clerici eiuſdem templi ſeruitio deſtinati talari habitu, tonſura; & ſuperpelliceis decenter veſtiti eumdem Epiſcopum cappa indutum è camera Palatij ad Eccleſiã Cathedralem, inibi ſolemniter celebraturum, aut alia Pontificalia exerciturum progredientem præeuntes comitentur, & deducant, atque integrè functioni ea, qua par eſt, grauitate, & modeſtia 2 adſiſtant, & interueniãt, eademque ratione, vt moris eſt, peracta functione, reducant.

1 lib. 1. c. 15.

2 Trid. ſeſſ. 24. c. 12.

128 Quinam verò alias miſſas ſolemnes ſingulis aſſignatis, & conſuetis feſtiuitatibus, quique aſſiſtentes earũdem Epiſtolam, & Euangelia canere debeant, qui & quot demum cum pluuialibus intereſſe, tabella, quam in calce decreti de Canonicis ſubijciemus, enunciabit; atq; hic monemus, vt quantum fieri poteſt pro earum miſſarum aſſiſtentia, diaconi, & ſubdiaconi, quorum propriũ eſt, exerceantur; quod ſi valdè renitentes inuenerint, nos Vicarij, aut Eccleſiæ Rectores commonefaciant, vt dignis in eos animaduertamus pœnis.

129 Dum in Eccleſia diebus Dominicis, & feſtiuis

maior

maior miſſa celebratur, nemo in eadem ſacrum faciat, niſi publicatis poſt Euangelium à Cappellano, Curato, ſeu ab alio per eum deputato, denunciationibus matrimonialibus, & alijs, quæ publicari oportuerit; cum verò in eadem miſſa Sanctiſſimum Christi Corpus eleuatur, detur campanæ maioris ſignum, quod Sanctus dici conſueuit, vt abſentes quoque mente ad Deum conuerſi genuflectentes, quadraginta dierum indulgentiam, quam eis ob id concedimus, conſequantur.

De Miſſis votiuis, & Defunctorum.

130 Extant grauiſſimæ prohibitiones Sacræ Congregationis Rituum ne huiuſmodi miſſæ diebus, quibus celebratur officium dupplex alicuius Sancti, neque diebus Dominicis fiant: optimè enim ſatiſque ſuæ obligationi, atque in defunctos pietati faciet Sacerdos, ſi ſacrificium illud in cuiusuis Sancti honorem dicati pro defunctis offerat.

131 Pro ijs autem, qui minorem eleemosynam dederunt, habeatur collecta in miſſa, quæ alteri applicatur, vel in memento fiat eorum commemoratio, vel teneantur multæ eleemosynæ paruę, ita ut conſtituant vnum tarenum, & tunc pro illis ſimul integrum offeratur ſacrificium; ità tamen vt eorum omnium ſemper defunctorũ in eadem Eccleſia, & miſſis reductis commemoratio [1] fiat, qui pro ſuarum animarum incolumitate legata ad pios vſus reliquerunt; quod ſi die ſtatuta à Teſtatore celebrari nequeunt, vt ipſe omninò ſe velle declarauit, celebrentur prima die ſequenti non impedita [2].

[1] declarauit ſacr. Congr. vt teſtatur praxis Arch. ep. Neapol. c. 124. n. 5.

[2] S cōg. cit.

De obligatione Miſſarum celebrandarum, & eleemoſyna pro illis acceptanda.

132. Quoniam Diœceſim nuper viſitantes experientia didicimus, & piorum fidelium iuſtę querelę oretenùs confirmarunt, quaſdam Eccleſias nouo in dies miſſarum celebrandarum onere ita opprimi, vt diebus à teſtatoribus olim pręſcriptis, earum celebrationi minimè ſatisfieri poſſit: nos piarum diſpoſitionum executores per Sacrum Concilium Tridentinum conſtituti cupientes vt pię teſtantium voluntates, quantum poteſt, executioni mandentur, diſtrictè pręcipimus, vt quilibet Curatus, ſeu Eccleſiæ cuiuſcunque Rector librum apud ſe habeat, in quo diligenter, diſtinctèque adnotet beneficia, & pia legata, quę à principio ad hęc vſque tempora illa Eccleſia retinet, & deinceps habitura eſt, declaretque onera, ſcilicet dierum, & altarium, quibus facienda ſunt ſacra ex teſtatoris pręſcripto.

133 Item anniuerſariorum, officiorum, eleemoſynarum, atque aliarum quarumcumque ſatisfationum, ad quas tam Eccleſia ipſa, ſeu cappella, tam beneficialis, ſeu cappellanus ſimplex prę ſtandas obſtringitur.

134 Secundò vt harum omnium diſtincta nota in tabellis expreſſa patenti ſacriſtiæ loco omnibus continuè exponatur 1, iuxtà Sacrę Congregationis decretum ex mandato Alexandri Septimi, vt quiſque ſciat quid ſibi, quiduè alteri pręſtandum ſit, munuſque ſuum, probè exequatur, & alter alteri ſuggerat.

1 die 15. decemb. 1663.

135 Tertiò ad perpetuã huius cõſtitutionis memoriã, & benefactorum Eccleſiarum maiorem ſecuritatem mãdamus eiſdem curatis, ſeu Rectoribus, vt eamdem Ta-

bel-

bellam, ſeu notam Magiſtro Notario Vicarij eiuſdem loci quiſque tradat, qui eam in actis redactam in Archiuio ſeruabit.

136 Quartò omnibus, & ſingulis Beneficiarijs, Eccleſiarũ Rectoribus, Cappellanis, alijſq; quibuſcũque, miſſarum legata, vel obligationes quomodolibet obtinentibus præcipimus, vt infra quatuor menſes à die publicationis huius noſtræ Synodi computandos bullás, priuilegia, aliaue inſtrumenta beneficiorum, legatorum huiuſmodi noſtro Vicario Generali oſtẽdant; (ſi id nõ fecerit nuper in Synodo,) quo prædictæ tabellæ, & notæ cõfici queant, quas quidem Magiſter notarius gratis vbi opus fuerit exhibere teneatur; ſi quis verò non paruerit meritam inobedientiæ pœnam non diffugiet.

137 Porrò, qui miſſas aliquas in aliqua Eccleſia, ſeu cappella celebrare obligati ſunt omninò id per ſe ipſos præſtent, vel ſi legitimè impediti, alteri cuipiam id oneris demandent, qui aliam obligationem pro eodem die non habens, poſſit fideliter ſatisfacere ſecundum teſtatoris intentionem; ei tamen integram eleemoſynam à Teſtatore taxatam dare debet, nulla eius vel minima parte retenta, ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, aliarumque pœnarum, de quibus vide decretũ ab Alexandro VII. Pontifice maximo editum 1. 1 die 24. Sept. 1665.

138 Sic etiam alia decreta de Celebratione Miſſarũ ſub Vrb. VIII emanata 2 ab omnibus ſeruanda eſſe diſtrictè iubemus ſub ijſdem ibi contentis, alijſque nobis arbitrarijs pœnis; quapropter nemo duas cappellanias tenere poteſt, ſed ſub pœna excommunicationis per mẽſem à die publicationis huius Synodi alterutram renũtiare obligatur; id multò magis de beneficijs, quæ onera incompatibilia miſſarum cum alio retinent, volumus intelligi. 2 in primis bulla cũ ſæpe. 21. Iunij. 1625.

No-

139 Nouerint qui in quodam certo altari, vel cappella ſacrificium obeundi onus recipiunt, ſi alio loco celebrauerint, ſuæ obligationi non ſatisfeciſſe, niſi fortè Epiſcopi iuſſu, aut conceſſione id præſtiterint, quod ſanè nos rarò, & in caſibus à iure permiſſis, vel vrgentis neceſſitatis permittemus; declaramus tamen vnum ex Sacerdotibus, qui in noſtra Cathedrali Eccleſia eleemoſynis cuſtodiatus quotidiè celebrare tenetur, poſſe in cappella noſtri palatij, quod quidem membrum eiuſdē Cathedralis principale eſt, coram nobis rem diuinam facere, ibique ſuæ obligationi rectè ſatisfacere.

140 Atque vt omnium miſſarum celebrandarum oneribus ex pijs defunctorum diſpoſitionibus, vel quauis alia cauſa ſtabilitis appareat in dies ſatisfieri, ſinguli Sacerdotes, qui eiuſmodi obligationibus adſtringūtur, manu propria 1 totiès quotiès ſuum, & pro qua perſona celebrauerint inſcribant nomen in libro ab Eccleſiarum curatis vbique ad id conficiendo; eos vero, qui non celebrantes ſe ſubſcribere audebunt, aut manu aliena id exequentur eleemosynis conſuetis priuentur in pœnam inobedientiæ. Ipſis verò ſingulis, & omnibus Eccleſiarum Rectoribus, & curatis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt primo die menſis Auguſti cuiuslibet anni notationem eorum, qui proprio oneri in totum, vel in partem minimè ſatisfecerint Epiſcopo tranſmittant, vt omiſſæ ſatisfactioni ſuper fructibus beneficiorum, vel alitèr prouideatur, atque hoc in negotio quanta poſſumus animi contentione ipſorum curatorum conſcientiam oneramus.

1 vt ſac. cōg. ſub Alex. 7. die 16. dec. 1663. mādat

141 Quoniam in Eccleſia Dei ſemper cōſuetum fuit, & iuſtum, vt qui altari inſeruiret de altare viueret, propter temporum anguſtias, & preſſuras, eleemosynam pro

ſin-

ſingulis celebrandis miſſis Sacerdoti largiri ſolitam diebus feriatis Catinæ, & in tota noſtra Diœceſi vnum tarenum, feſtis verò de præcepto tres carolenos, eſſe decernimus; hoc autem decreto illum miſſarum certum numerum comprehendi nequaquam volumus, qui in fundatione cuiuſque beneficij à fundatoribus fuerit conſtitutus, vel conſtituetur. In hoc enim caſu fundati iam beneficij, & ſtabiliti per fundatorem numeri miſſarum ratio obſeruetur: quod ſi legatum ſit adeò tenue, vt nemo ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire pro reductione oneris impoſiti, ij quorum intereſt, ad ſacram congregationem pro reductione miſſarum recurrant.

142 Pacta, & conuentiones, quibus auguſtiſſimum ſacrificium, aut cuiuſuis alterius ſacramenti adminiſtratio venalis videatur, pœnitus, atque pœnitus prohibemus.

143 Pia legata, quæ pro miſſis perpetuò, aut aliquoties celebrandis à fidelibus relicta fuere, vel poſthac relinquentur, aut petentur, auctoritate nobis à Tridentino conceſſa, ad rationem decemetocto vnciarum pro quolibet anno taxamus, ita vt tot ſacra facienda ſint, quot tres caroleni pro ſingulis miſſis diſtribui queant, vltra quã ſummam nemini præsbytero pro vna miſſa liceat exigere ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis. Declaramus tamẽ id intelligi in eo caſu, quo teſtator, aut qui eleemosynas elargitur pro miſſis aliud non taxaret; ſi enim ipſe expreſsè declarat ſe velle tot miſſas, quot tarenorum eleemosynam relinquit, vel tribuit; tunc ita præſtandum eſt à Sacerdotibus, qui eiuſmodi eleemosynas acceptare contenti ſunt.

144 Sub excommunicationis latæ ſententiæ pœna etiam vetamus, ne quis Sacerdos, pro miſſis celebrandis

ſti-

ſtipendia ſumat,niſi verè, & pro certò habeat ſe hic, & nunc idoneum ad ſtatim ſatisfaciendũ eſſe, nec alijs miſſarum obligationibus obnoxium, aut quoquo modo impeditum eſſe.

145 Atque ne prætextu ignorantiæ, vel probabilitatis opinionis ab aliquo olim Doctore traditæ quis Sacerdos auſu temerario, & infideli duo, aut quod peius eſt, plura ſtipendia à diuerſis accipiat, putans cum vna miſſa eis omnibus ſatisfieri, hac præſenti noſtra conſtitutione eum docemus id omnino ſub grauiſſimis cenſuris eſſe prohibitum, & hanc ſententiam ſpeciali primum conſtitutione à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Papa Septimo damnatam; & nouiſſimè in Catalago propoſitionum auctoritate eiuſdem Sanctiſſimi prohibitam 1 in Congregatione ſanctæ, & vniuerſalis Inquiſitionis.

1 die 24. ſept. 1665. & 18. martij 1666.

Reliqua circa Celebrationem Miſſarum obſeruanda.

146 Sanctam hoſtiam imolare in noſtra Diœceſi nullus Sacerdos, ſæcularis, vel regularis, præſumat qui vagus ſit, alienæ Diœceſis, & præſertim peregrinus, niſi prius Ordinarij ſui patentes, & teſtimoniales litteras exhibuerit à nobis, vel noſtro Vicario Generali ſcripto cõprobatas. Rector autem Eccleſiæ, Curatuſue, qui ſine præmiſſis requiſitis eiuſmodi Sacerdotes ad ſacrificandũ admiſerit, ſingulis vicibus vnciarum quatuor pœna mulctetur: non eſt tamen noſtræ mentis hac prohibitione comprehendi eos exteros regulares, quorum probata vita in ſua religione ſatis nota eſt, nec eos ſæculares Sacerdotes, qui dignitate, aut bono nomine præfulgent.

147 Publicè, & notoriè criminoſi, ſiue peregrini ſint, ſiue

ſiue Diœceſani nullo pacto permittantur Deo hoſtiam ſacrificare, aut ſacrificanti miniſtrare, donec ad bonam redierint frugem, & à nobis facultatem impetrauerint.

148 Similiter iuxtà Tridentinæ 1 Synodi decretum ab Eccleſijs quidem omni tempore, ſed eo peculiariùs, quo res diuina fit, eæ muſicæ arceantur omninò, in quibus ſiue organo, ſiue cantu aliquid laſciuum miſcetur, aut quæ aliquid impuri ſapiunt. Item ſeculares omnes actiones, vana, atque adeò prophana colloquia, deâbulationes, ſtrepitus, & clamores quoquo prætextu ne fiāt.

149 Vbi plures miſſæ quotidie celebrari debent; vt populi cõmodo ſeruiatur, prima primo diluculo; vltima quò tardiùs poteſt, peragatur; ita tamen vt illa non ſit ante auroram, neque hæc poſt meridiem. Si verò vnicũ in Eccleſia ſacramentali, præcipuè die feſto, habendum eſt, peragatur hora, quæ ferè omnibus non multum incommoda eſt.

150 Neque etiam omnes miſſæ ſimul celebrentur, aut vna immediatè poſt aliam, ſed cum aliquo temporis interuallo: at ſi neceſſitas, vel aliqua iuſta cauſa plures ſimul Sacerdotes ſacrificare poſtulauerit, in altaribus id fiat, quæ iuſto ſpatio inter ſe diſtent, ita vt ne alter alteri ſit impedimento, atque alius alium celebrantem per immoderatam vocis elationem interturbet; quare ſi fieri poteſt, optandum quoque eſſet, alium ab alio non exaudiri, atque ne in duobus altaribus è regione poſitis eodẽ tempore miſſas celebrare, quantum fieri poteſt, effugiãt, ne præſentes vni ſacrificio, auerſa terga alteri cogantur habere.

151 Abſoluto ſacrificio Sacerdos cum miniſtro eadẽ grauitate in ſacriſtiam redeat, quà diximus illi exeundũ eſſe, ſtatutos in Rituali pſalmos, & orationes in gratiarũ

 actio-

actionem recitabit ſubmiſſa voce, deinde ſacris exutus veſtibus ablutiſque manibus, ſe iterum colligat, atque Deo in eodem oratorio, ſeu cellula, vel in Eccleſia ante Sacram Euchariſtiam, vel aliam imaginem gratias agat pro tanti beneficij munere, opemque imploret, vt Deus ſua gratia confirmet, quod operatus eſt.

152 In Eccleſijs campeſtribus, vel ruralibus, quæ coopertæ commodè non ſint, vel nec valuam, aut ſeras, quibus claudi poſſint, nec altaria decentèr accommodata, & requiſitis veſtita ornamentis habere cõſueuerunt, nemo Sacerdos celebret, nec qui loci curã gerit, celebrare permittat; ſine noſtra expreſſa ſcriptis facultate, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

153 Aræ portatiles, ſeu vt dicunt *Marmoretta ſacra*, ne de vna ad aliam Eccleſiam transferantur, ſine noſtra, vel Vicarij Generalis, aut foranei licentia, ſub pœnis noſtro arbitrio.

154 Sacerdotes ſuſpenſos, vel legitimè à ſacrificando impeditos exhortamur, vt hoc pane cęleſti per venerabilem communionem frequenter reficiantur, præſertim verò diebus feſtiuis.

155 Denique cum miſſa magnam contineat populi eruditionem, fideles in Domino hortamur, & obſecramus, vt in ſua Sacramẽtali Eccleſia iuxtà Tridentini pręſcriptum, vel in ea, quæ ſibi magis opportuna eſſe videbitur, miſſæ, qua par eſt modeſtia, & attentione interſint quotidie, vel ſaltem iuxtà præceptum Eccleſiaſticũ ſingulis quibuſque dominicis, & feſtis de præcepto, flexis genibus.

156 Monialium Cappellanis Miſſas officio ipſarum conuenientes celebrare licitum eſt, dummodò Romano Miſſali vtantur.

157 Porrò in prędictarum monialium Eccleſijs Sacerdotem nullum ſecularem, aut Regularem celebrare à Cappellano, & Vicario loci permittatur in Vrbe ſine Vicarij Generalis, in Diœceſi verò ſine Vicarij foranei facultate conſcripta ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis pro noſtro libito, incurrenda quidem tùm à Cappellano, ſi id ſciens permiſerit, tum ab ipſo celebrante, qui aliàs itidem à nobis infligendas mulctas perſoluet.

158 Mandamus denique omnibus Vicarijs vt bis in anno, videlicèt menſe Nouembri, & Maio, eos omnes, qui in ſacris infra triennium conſtituti ſunt, poſt veſperas ad aliquam, quæ magis congruere ei videbitur, Eccleſiã, congregent, & perlectis ex Miſſali Romano omnibus miſſæ cæremonijs, & defectibus, qui occurrere poſſunt, aduertant quid quis minimè ſeruet, & ſeruandum curet; in Cathedrali verò noſtra omnes ſimiliter ſacris à triennio ad diem illum vſque inaugurati adunentur ad eundẽ effectum diebus eorumdem menſium aſſignandis à deputato Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis, de quare tum Vicarij per Epiſtolam, tùm hic oretenus ſub pœna ſuſpenſionis nos, antequam ille elabatur menſis, commonebit, nec non qui, & quam ob cauſam venire neglexerunt, vt debitam infligamus mulctam.

DECRETVM SEXTVM.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 Salutaris Pœnitentiæ ſacramentum 1 ante mortem 1 Matt. 16. & 18.
promiſſum à Chriſto Domino; poſt ſuam tamen reſurrectionem inſtitutum fuiſſe, cum in diſcipulos inſuf-

flans, illis, eorumque in ſacerdotali ordine legitimis ſucceſſoribus dixit (*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt* 1. Sancta Mater Eccleſia conſtantiſſimè credit; reſtitutor enim ſalutis humanæ Chriſtus Dominus miſericordia diues cognoſcens figmẽtum noſtrũ, qui gratiam Dei in baptiſmo ſemel acceptam per peccata lethalia miſerandum in modum frequenter amittimus, & leuioribus maculis facilè obſcuramus, hoc reconciliationis myſterium, quod ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ 2 tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, ad eam recuperandam, ſeu priſtino candori reſtituendam, inſtituit; vnde poſt baptiſmum lapſis eſt in re, vel ſaltem in voto ad æternam ſalutem neceſſarium, vt eſt non dum 3 regeneratis ipſe baptiſmus.

1 Ioan. 20.

2 Trid. ſeſſ. 6. c. 14.

3 Trid. ſeſſ. 14. c. 2.

De materia remota, & proxima huius Sacramenti Pœnitentiæ.

2 Materiam remotam hic dicimus eam, ad quam tollendam pœnitentiæ ſacramentum ſuaptè natura tendit, & ſunt omnia peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa, cum eo tamen diſcrimine vt ad mortalia eluenda neceſſarium omninò ſit hoc ſacramentum in re, vel in voto ſuſceptum, ideoque dicuntur materia remota neceſſaria, id eſt ad quam remouendam neceſſariò requiritur ſacramentalis pœnitentia.

3 At verò ad venialia ſufficit hoc ſacramentum non verò ſit prorſus neceſſarium, idcirco appellantur venialia eius materia remota ſufficiens; poſſunt enim, vt Theologia, & concilium Tridentinum 4 docet, extra ſacramẽtum confeſſionis multis modis remitti venialia; præſertim

4 ſeſ. 14. c. 5.

tim verò per actum ſupernaturalem interni doloris perfecti, vel imperfecti de illis, quos homo iuſtus elicit. Inde eſt, quod venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequenter labimur, quamquam rectè, & vtiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur; quod piorum hominum vſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſe ſacroſancta Tridentina Synodus 1 docet. 1 Trid. ibi.

Materia proxima.

4 Ad huius Sacramenti 2 integritatem, & ad plenam, perfectamque peccatorum remiſſionem ex diuina diſpoſitione requiruntur tres ipſius pœnitentis actus, nempè contritio de peccatis ab illo commiſſis, eorumdem cõfeſſio, & ſatisfactio, quæ propterea partes, ſeu materia ſacramentalis pœnitentiæ proxima nuncupantur. 2 Trid. ſeſſ. 14. c. 2.

5 Contritio 3 eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, quæ ſi charitate formetur, id eſt ſi præcipuo quodam ſcelerum dolore angatur animus ob offenſam Dei, quem ſuper omnia amare, eiuſque præceptis obedire cupiat, dicetur contritio perfecta, hominemque Deo reconcilians priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiat, ſi verò angor ille ob patrata crimina ex inferiori motiuo, nempè vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vel æternæ gloriæ iactura, aut ipſius peccati turpitudine oriatur, erit imperfecta contritio reputanda, atque attritio communiori voce dicenda, quæ quidem, & ſine actuali ſacramenti ſuſceptione hominem per ſe iuſtificare nequit; nihilominus ſi peccandi voluntatem excludat, veniæque ſpem obtinendę adnexam habeat, illum ad Dei gratiam in 3 ibid. c. 4.

ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit, & quidē diſpoſitione vltima, & proxima; vnde illud vulgare emanauit effatum, *homo ſacramentali confeſſione ex attrito, fit contritus.*

6 Confeſſio altera pars neceſſaria huius ſacramenti recte dicitur à Theologis 1 eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de proprijs peccatis coram Sacerdote facta ad eorum veniam clauium virtute obtinendam; vt autē ea maximè piacularis euadat, conditiones illæ obſeruādæ ſunt, quæ ſubiectis carminibus Diuus Antoninus expreſſit 2.

1 S.Th in 4. diſt.17.q.3.

2 in 3.p. tit. 4.cap. 19.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, quæ ſit parere parata.

7 Tertia ſacramenti pars, non quidem eſſentialis, nam ſine illa adhuc abſolutionis valor perſiſtit, ſed integralis eſt Satisfactio, qua opera à Confeſſario iniuncta nos exequentes temporaneas noſtrorum peccatorum pœnas ex Chriſti inſtitutione perſoluimus: & diuinam quidem clementiam decebat, ne ità nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimitteret 3; ſecùs enim peccatores occaſionem accipere poterant minoris, ac faciunt, pendendi crimina, atque iniurij, & contumelioſi Spiritui Sancto in grauiora labendi, theſaurizantes ſibi iram in die iræ; hinc eos magnopere à peccato reuocari, & quaſi freno quodam coerceri his ſatisfactorijs pœnis, cautioreſque, & vigilantiores in futurum effici videmus: ideoque in ea exequenda pœnitentes prompto animo ſint, & accurati: quid verò Confeſſarij in illa iniungenda præſtare debeāt ex Doctorum libris, & prudentum praxi addiſcent.

3 Trid. ſeſſ. 13. c. 8.

Forma

Forma abſolutionis.

8 Ex Tridentinæ Synodi definitione 1 quibus nam verbis Sacramenti Pœnitentię forma conſtet, & in quo præcipua illius vis ſita eſt, didicimus; vnde eam nec nutibus, nec alijs quibuſcunque ſignis, quam verbis legitimi miniſtri ore prolatis confici poſſe conſtantiſſimè fatẽdum eſt; ſunt autem hæc, *Ego te abſoluo*, reliqua verò, nempè (*à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & ſi formæ eſſentiales non ſint; vnanimis tamen fœre omnium Doctorum ſententia 2 fert non excuſari à graui ſceleris nota miniſtrum, qui ea ſine vrgenti neceſſitate omitteret; cæterum quæ præcedunt preces, videlicet *Miſereatur tui, &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c.* quæque ſubſequuntur, *Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ, &c.* laudabiliter de ſanctæ Eccleſię more adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.

1 ſeſſ. 14 ca. 3.

2 vide quos citat Caſtro pal. de pœn. d. vn. p. 5. n. 3.

9 Laudabilem igitur hunc morem omnibus noſtrę Diœceſis Confeſſarijs, quo ad fieri poterit, & tempus, & pœnitentiũm numerus permittet, ſub arbitrij noſtri pęna retinendum eſſe iubemus.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

10 Licet quicumque Sacerdotio inaugurantur in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, meritò tamen Sacroſancta 3 Tridentina Synodus quamplurimorum Conciliorũm, & Canonum doctrinis inſiſtẽs decreuit neminem etiam regularem poſſe confeſſiones ſecu-

3 Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 15.

ſecularium etiã ſacerdotum audire niſi ei ad id ordinaria, quę habetur per parochialę beneficiũ, aut delegata, quę à loci ordinario tribuitur, acceſſerit iuriſdictio: cũ enim diuina hęc abſoluẽdi à peccatis poteſtas fuerit à Chriſto Domino inſtituta ad modũ iudicij, cuius natura 1, & ratio illud expoſcit, vt ſentẽtia in ſubditos dũtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe cum eadem Tridentina Congregatione declaramus nullius roboris abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert in noſtra diœceſi, in quem ordinariam, ſcilicet ob parochiale beneficium, quod actu poſſidet; aut à nobis ſubdelegatã non habet iuriſdictionem; quã ſanè per noſtros examinatores approbati, vel aliàs à nobis idonei iudicati gratis omninò obtinebunt litteris cõſignatam, & noſtro roboratam ſigillo.

1 Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

11 Quapropter omnes noſtrorum prædeceſſorum ad ſacras percipiendas confeſſiones in ſcriptis, vel oretenus conceſſas facultates abolemus; qui contrarium auſu temerario fecerit, regularis ſiue ſecularis pręsbyter ſe ſtatim ab Eccleſię communione membrum reciſum eſſe, & nulliter abſolutionem dediſſe ſentiat; alijs quoque in bulla Gregorij XV. pęnis corrigendũ 2. Excipimus tamen mortis articulum, in quo vel ſimplex quilibet Sacerdos, quamuis excommunicatus, irregularis, interdictus, atque ſuſpenſus poteſt à quibuslibet peccatis, & cenſuris etiam nobis, & Summo Pontifici reſeruatis, atque etiam ſine bulla Cruciatę abſoluere, id tamen illi ſi pręſens ſit, vel facilè adeſſe poſſit legitimus Confeſſarius, pręſtandum non eſſet.

2 cuius initium eſt inſcrutabili.

12 Pręcipuas ſui muneris partes eſſe cõſiderent Cõfeſſarij omnibus viribus, & induſtria curare vt peccatores à criminum labe eruantur, & remedia prębeant quibus

bus in gratia ad vitę finem perſeuerare queant; & quidem potiùs non deberent audire confeſſiones, quam cũ feſtinatione, & ſine diligenti examine.

12 Vetus illud, atque ſacroſanctum antiquorum Patrum inſtitutum 1 vt retineatur curent omnes Confeſſarij, nimirum vt antequam confitentibus aurem prębeant breui oratione pro ſua, & accedentium ad hoc ſacramentum ſalute Deum deprecentur. 1 Baron. in annotat. ad martyr. die 11. Iunij.

13 Admoneant eos, qui longum tempus confeſſionẽ diſtulerunt, vel peccata afferunt maximi momenti, & lõgioris diſcuſſionis, ne in confertiſſima multitudine pœnitentum eam faciant, ſed multis ante diebus opportuniorem ſeligant locum, & tempus.

14 Quod omnibus Chriſtianis pręcepit Paulus 2 dicẽs, *rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes*, hoc eum, qui à confeſſionibus eſt, maximè decet obſeruare. 2 1.Theſ. 5.

15 Regulares, qui ad hanc facultatem petendam ſe nobis ſiſtunt, nequaquam exorabunt, niſi ad id munus à ſuis ſuperioribus deputatos eſſe, & teſtimonium de probatis moribus, & doctrina attulerint, compertum habuerimus; nec illos, nec alios quoſcunque Sacerdotes confitentibus fœminis aures dare poſſe declaramus, qui quadrageſimum ętatis annum non expleuerint; permittimus verò, vt ex cauſa valde vrgente Vicarius Generalis cum conſilio aliquorum examinatorum in hoc diſpenſare valeat cum ijs approbatę doctrinę, & morum presbyteris, qui trigeſimum ſextum agunt annum; quod ſi pro viris tantum, vel ętatis, vel alio quouis defectu approbatus mulierum confeſſionibus, licet adoleſcentularum, vacare pręſumpſerit, ſit ipſo facto à diuinis ſuſpen-

De obligatione Miſſarum celebrandarum, & eleemoſyna pro illis acceptanda.

132. Quoniam Diœceſim nuper viſitantes experientia didicimus, & piorum fidelium iuſtę querelę oretenùs confirmarunt, quaſdam Eccleſias nouo in dies miſſarum celebrandarum onere ita opprimi, vt diebus à teſtatoribus olim pręſcriptis, earum celebrationi minimè ſatisfieri poſſit: nos piarum diſpoſitionum executores per Sacrum Concilium Tridentinum conſtituti cupientes vt pię teſtantium voluntates, quantum poteſt, executioni mandentur, diſtrictè pręcipimus, vt quilibet Curatus, ſeu Eccleſiæ cuiuſcunque Rector librum apud ſe habeat, in quo diligenter, diſtinctèque adnotet beneficia, & pia legata, quę à principio ad hęc vſque tempora illa Eccleſia retinet, & deinceps habitura eſt, declaretque onera, ſcilicet dierum, & altarium, quibus facienda ſunt ſacra ex teſtatoris pręſcripto.

133 Item anniuerſariorum, officiorum, eleemosynarum, atque aliarum quarumcumque ſatisfationum, ad quas tam Eccleſia ipſa, ſeu cappella, tam beneficialis, ſeu cappellanus ſimplex pręſtandas obſtringitur.

134 Secundò vt harum omnium diſtincta notá in tabellis expreſſa patenti ſacriſtiæ loco omnibus continuè exponatur 1, iuxtà Sacrę Congregationis decretum ex mandato Alexandri Septimi, vt quiſque ſciat quid ſibi, quiduè alteri pręſtandum ſit, munuſque ſuum, probè exequatur, & alter alteri ſuggerat.

1 die 15. decemb. 1663.

135 Tertiò ad perpetuā huius cōſtitutionis memoriā, & benefactorum Eccleſiarum maiorem ſecuritatem mādamus eiſdem curatis, ſeu Rectoribus, vt eamdem Ta-

bel-

bellam,ſeu notam Magiſtro Notario Vicarij eiuſdem loci quiſque tradat, qui eam in actis redactam in Archiuio ſeruabit.

136 Quartò omnibus,& ſingulis Beneficiarijs,Eccleſiarũ Rectoribus, Cappellanis, alijſq;quibuſcũque, miſſarum legata, vel obligationes quomodolibet obtinentibus præcipimus, vt infra quatuor menſes à die publicationis huius noſtræ Synodi computandos bullás,priuilegia, aliaue inſtrumenta beneficiorum, legatorum huiuſmodi noſtro Vicario Generali oſtẽdant; (ſi id nõ fecerit nuper in Synodo,)quo prædictæ tabellæ,& notæ cõfici queant, quas quidem Magiſter notarius gratis vbi opus fuerit exhibere teneatur; ſi quis verò non paruerit meritam inobedientiæ pœnam non diffugiet.

137 Porrò, qui miſſas aliquas in aliqua Eccleſia, ſeu cappella celebrare obligati ſunt omninò id per ſe ipſos præſtent, vel ſi legitimè impediti,alteri cuipiam id oneris demandent, qui aliam obligationem pro eodem die non habens, poſſit fideliter ſatisfacere ſecundum teſtatoris intentionem; ei tamen integram eleemoſynam à Teſtatore taxatam dare debet, nulla eius vel minima parte retenta,ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, aliarumque pœnarum, de quibus vide decretũ ab Alexandro VII. Pontifice maximo editum 1. 1 die 24. Sept. 1665.

138 Sic etiam alia decreta de Celebratione Miſſarũ ſub Vrb. VIII emanata 2 ab omnibus ſeruanda eſſe diſtrictè iubemus ſub ijſdem ibi contentis, alijſque nobis arbitrarijs pœnis; quapropter nemo duas cappellanias tenere poteſt,ſed ſub pœna excommunicationis per mẽſem à die publicationis huius Synodi alterutram renũtiare obligatur; id multò magis de beneficijs, quæ onera incompatibilia miſſarum cum alio retinent, volumus intelligi. 2 in primis bulla cũ ſæpe.21.Iunij. 1625.

No-

139 Nouerint qui in quodam certo altari, vel cappella ſacrificium obeundi onus recipiunt, ſi alio loco celebrauerint, ſuæ obligationi non ſatisfeciſſe, niſi fortè Epiſcopi iuſſu, aut conceſſione id præſtiterint, quod ſanè nos raro, & in caſibus à iure permiſſis, vel vrgentis neceſſitatis permittemus; declaramus tamen vnum ex Sacerdotibus, qui in noſtra Cathedrali Eccleſia eleemoſynis cuſtodiatus quotidiè celebrare tenetur, poſſe in cappella noſtri palatij, quod quidem membrum eiuſdē Cathedralis principale eſt, coram nobis rem diuinam facere, ibique ſuæ obligationi rectè ſatisfacere.

140 Atque vt omnium miſſarum celebrandarum oneribus ex pijs defunctorum diſpoſitionibus, vel quauis alia cauſa ſtabilitis appareat in dies ſatisfieri, ſinguli Sacerdotes, qui eiuſmodi obligationibus adſtringūtur, ma-
1 vt ſac.cōg. nu propria 1 totiès quotiès ſuum, & pro qua perſona ce-
ſub Alex. 7. lebrauerint inſcribant nomen in libro ab Eccleſiarum
die 16. dec. curatis vbique ad id conficiendo; eos vero, qui non ce-
1663. mādat lebrantes ſe ſubſcribere audebunt, aut manu aliena id exequentur eleemoſynis conſuetis priuentur in pœnam inobedientiæ. Ipſis verò ſingulis, & omnibus Eccleſiarum Rectoribus, & curatis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt primo die menſis Auguſti cuiuslibet anni notationem eorum, qui proprio oneri in totum, vel in partem minimè ſatisfecerint Epiſcopo tranſmittant, vt omiſſæ ſatisfactioni ſuper fructibus beneficiorum, vel alitèr prouideatur, atque hoc in negotio quanta poſſumus animi contentione ipſorum curatorum conſcientiam oneramus.

141 Quoniam in Eccleſia Dei ſemper cōſuetum fuit, & iuſtum, vt qui altari inſeruiret de altare viueret, propter temporum anguſtias, & preſſuras, eleemoſynam pro

ſingulis celebrandis miſſis Sacerdoti largiri ſolitam diebus feriatis Catinæ, & in tota noſtra Diœceſi vnum tarenum; feſtis verò de præcepto tres carolenos, eſſe decernimus; hoc autem decreto illum miſſarum certum numerum comprehendi nequaquam volumus, qui in fundatione cuiuſque beneficij à fundatoribus fuerit conſtitutus, vel conſtituetur. In hoc enim caſu fundati iam beneficij, & ſtabiliti per fundatorem numeri miſſarum, ratio obſeruetur: quod ſi legatum ſit adeò tenue, vt nemo ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire pro reductione oneris impoſiti, ij quorum intereſt, ad ſacram congregationem pro reductione miſſarum recurrant.

142 Pacta, & conuentiones, quibus auguſtiſſimum ſacrificium, aut cuiuſuis alterius ſacramenti adminiſtratio venalis videatur, pœnitus, atque pœnitus prohibemus.

143 Pia legata, quæ pro miſſis perpetuò, aut aliquoties celebrandis à fidelibus relictà fuere, vel poſthac relinquentur, aut petentur, auctoritate nobis à Tridentino conceſſa, ad rationem decemetocto vnciarum pro quolibet anno taxamus, ita vt tot ſacra facienda ſint, quot tres caroleni pro ſingulis miſſis diſtribui queant, vltra quã ſummam nemini præsbytero pro vna miſſa liceat exigere ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis. Declaramus tamẽ id intelligi in eo caſu, quo teſtator, aut qui eleemosynas elargitur pro miſſis aliud non taxaret; ſi enim ipſe expreſsè declarat ſe velle tot miſſas, quot tarenorum eleemosynam relinquit, vel tribuit; tunc ita præſtandum eſt à Sacerdotibus, qui eiuſmodi eleemosynas acceptare contenti ſunt.

144 Sub excommunicationis latæ ſententiæ pœna etiam vetamus, ne quis Sacerdos, pro miſſis celebrandis

ſti-

ſtipendia ſumat,niſi verè, & pro certò habeat ſe hic, & nunc idoneum ad ſtatim ſatisfaciendũ eſſe, nec alijs miſſarum obligationibus obnoxium, aut quoquo modo impeditum eſſe.

145 Atque ne prætextu ignorantiæ, vel probabilitatis opinionis ab aliquo olim Doctore traditæ quis Sacerdos auſu temerario, & infideli duo, aut quod peius eſt, plura ſtipendia à diuerſis accipiat, putans cum vna miſſa eis omnibus ſatisfieri, hac præſenti noſtra conſtitutione eum docemus id omnino ſub grauiſſimis cenſuris eſſe prohibitum, & hanc ſententiam ſpeciali primum conſtitutione à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro Papa Septimo damnatam, & nouiſſimè in Catalago propoſitionum auctoritate eiuſdem Sanctiſſimi prohibitam 1 in Congregatione ſanctæ, & vniuerſalis Inquiſitionis.

1 die 24. ſept. 1665. & 18. martij 1666.

Reliqua circa Celebrationem Miſſarum obſeruanda.

146 Sanctam hoſtiam imolare in noſtra Diœceſi nullus Sacerdos, ſæcularis, vel regularis, prçſumat qui vagus ſit, alienç Diœceſis, & prçſertim peregrinus, niſi prius Ordinarij ſui patentes, & teſtimoniales litteras exhibuerit à nobis, vel noſtro Vicario Generali ſcripto cõprobatas. Rector autem Eccleſię, Curatuſue, qui ſiue prçmiſſis requiſitis eiuſmodi Sacerdotes ad ſacrificandũ admiſerit, ſingulis vicibus vnciarum quatuor pœna mulctetur: non eſt tamen noſtrę mentis hac prohibitione comprehendi eos exteros regulares, quorum probata vita in ſua religione ſatis nota eſt, nec eos ſçculares Sacerdotes, qui dignitate, aut bono nomine prçfulgent.

147 Publicè, & notoriè criminoſi, ſiue peregrini ſint,

ſiue

ſiue Diœceſani nullo pacto permittantur Deo hoſtiam ſacrificare, aut ſacrificanti miniſtrare, donec ad bonam redierint frugem, & à nobis facultatem impetrauerint.

148 Similiter iuxtà Tridentinæ Synodi decretum ab Eccleſijs quidem omni tempore, ſed eo peculiariùs, quo res diuina fit, eæ muſicæ arceantur omninò, in quibus ſiue organo, ſiue cantu aliquid laſciuum miſcetur, aut quæ aliquid impuri ſapiunt. Item ſeculares omnes actiones, vana, atque adeò prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, & clamores quoquo prætextu ne fiāt:

149 Vbi plures miſſæ quotidie celebrari debent; vt populi cōmodo ſeruiatur, prima primo diluculo; vltima quò tardiùs poteſt, peragatur; ita tamen vt illa non ſit ante auroram, neque hæc poſt meridiem. Si verò vnicū in Eccleſia ſacramentali, præcipuè die feſto, habendum eſt, peragatur hora, quæ ferè omnibus non multum incommoda eſt.

150 Neque etiam omnes miſſæ ſimul celebrentur, aut vna immediatè poſt aliam, ſed cum aliquo temporis interuallo: at ſi neceſſitas, vel aliqua iuſta cauſa plures ſimul Sacerdotes ſacrificare poſtulauerit, in altaribus id fiat, quæ iuſto ſpatio inter ſe diſtent, ita vt ne alter alteri ſit impedimento, atque alius alium celebrantem per immoderatam vocis elationem interturbet; quare ſi fieri poteſt, optandum quoque eſſet, alium ab alio non exaudiri, atque ne in duobus altaribus è regione poſitis eodē tempore miſſas celebrare, quantum fieri poteſt, effugiāt, ne præſentes vni ſacrificio, auerſa terga alteri cogantur habere.

151 Abſoluto ſacrificio Sacerdos cum miniſtro eadē grauitate in ſacriſtiam redeat, qua diximus illi exeundū eſſe, ſtatutos in Rituali pſalmos, & orationes in gratiarū

actionem recitabit ſubmiſſa voce; deinde ſacris exutus veſtibus ablutiſque manibus, ſe iterum colligat, atque Deo in eodem oratorio, ſeu cellula, vel in Eccleſia ante Sacram Euchariſtiam, vel aliam imaginem gratias agat pro tanti beneficij munere, opemque imploret, vt Deus ſua gratia confirmet, quod operatus eſt.

152 In Eccleſijs campeſtribus, vel ruralibus, quæ coopertæ commodè non ſint, vel nec valuam, aut ſeras, quibus claudi poſſint, nec altaria decenter accommodata, & requiſitis veſtita ornamentis habere cõſueuerunt; nemo Sacerdos celebret, nec qui loci curã gerit, celebrare permittat; ſine noſtra expreſſa ſcriptis facultate, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

153 Aræ portatiles, ſeu vt dicunt *Marmoretta ſacra*, ne de vna ad aliam Eccleſiam transferantur, ſine noſtra, vel Vicarij Generalis, aut foranei licentia, ſub pœnis noſtro arbitrio.

154 Sacerdotes ſuſpenſos, vel legitimè à ſacrificando impeditos exhortamur, vt hoc pane cęleſti per venerabilem communionem frequenter reficiantur, præſertim verò diebus feſtiuis.

155 Denique cum miſſa magnam contineat populi eruditionem, fideles in Domino hortamur, & obſecramus, vt in ſua Sacramẽtali Eccleſia iuxtà Tridentini pręſcriptum, vel in ea, quæ ſibi magis opportuna eſſe videbitur, miſſæ, qua par eſt modeſtia, & attentione interſint quotidie, vel ſaltem iuxtà præceptum Eccleſiaſticũ ſingulis quibuſque dominicis, & feſtis de præcepto, flexis genibus.

156 Monialium Cappellanis Miſſas officio ipſarum conuenientes celebrare licitum eſt; dummodò Romano Miſſali vtantur.

157 Porrò in prædictarum monialium Eccleſijs Sacerdotem nullum ſecularem, aut Regularem celebrare à Cappellano, & Vicario loci permittatur in Vrbe ſine Vicarij Generalis, in Diœceſi verò ſine Vicarij foranei facultate conſcripta ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis pro noſtro libito, incurrenda quidem tùm à Cappellano, ſi id ſciens permiſerit, tum ab ipſo celebrante, qui aliàs itidem à nobis infligendas mulctas perſoluet.

158 Mandamus denique omnibus Vicarijs vt bis in anno, videlicèt menſe Nouembri, & Maio, eos omnes, qui in ſacris infra triennium conſtituti ſunt, poſt veſperas ad aliquam, quæ magis congruere ei videbitur, Eccleſiã, congregent, & perlectis ex Miſſali Romano omnibus miſſæ cæremonijs, & defectibus, qui occurrere poſſunt, aduertant quid quis minimè ſeruet, & ſeruandum curẽt; in Cathedrali verò noſtra omnes ſimiliter ſacris à triennio ad diem illum vſque inaugurati adunentur ad eundẽ effectum diebus eorumdem menſium aſſignandis à deputato Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis, de quare tum Vicarij per Epiſtolam, tùm hic oretenus ſub pœna ſuſpenſionis nos, antequam ille elabatur menſis, commonebit, nec non qui, & quam ob cauſam venire neglexerunt, vt debitam infligamus mulctam.

DECRETVM SEXTVM.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 SAlutaris Pœnitentiæ ſacramentum 1 ante mortem promiſſum à Christo Domino; poſt ſuam tamen reſurrectionem inſtitutum fuiſſe, cum in diſcipulos inſuf- 1 Matt. 16. & 18.

ſtans, illis, eorumque in ſacerdotali ordine legitimis ſucceſſoribus dixit (*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt* 1. Sancta Mater Eccleſia conſtantiſſimè credit; reſtitutor enim ſalutis humanæ Chriſtus Dominus miſericordia diues cognoſcens figmẽtum noſtrũ; qui gratiam Dei in baptiſmo ſemel acceptam per peccata lethalia miſerandum in modum frequenter amittimus, & leuioribus maculis facilè obſcuramus, hoc reconciliationis myſterium, quod ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ 2 tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, ad eam recuperandam, ſeu priſtino candori reſtituendam, inſtituit; vnde poſt baptiſmum lapſis eſt in re, vel ſaltem in voto ad æternam ſalutem neceſſarium, vt eſt non dum 3 regeneratis ipſe baptiſmus.

1 Ioan. 20.
2 Trid. ſeſſ. 6. c. 14.
3 Trid. ſeſſ. 14. c. 2.

De materia remota, & proxima huius Sacramenti Pœnitentiæ.

2 Materiam remotam hic dicimus eam, ad quam tollendam pœnitentiæ ſacramentum ſuaptè natura tendit, & ſunt omnia peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa, cum eo tamen diſcrimine vt ad mortalia eluenda neceſſarium omninò ſit hoc ſacramentum in re, vel in voto ſuſceptum, ideoque dicuntur materia remota neceſſaria, id eſt ad quam remouendam neceſſariò requiritur ſacramentalis pœnitentia.

3 At verò ad venialia ſufficit hoc ſacramentum non verò ſit prorſus neceſſarium, idcircò appellantur venialia eius materia remota ſufficiens; poſſunt enim, vt Theologia, & concilium Tridentinum 4 docet, extra ſacramẽtum confeſſionis multis modis remitti venialia; præſertim

4 ſeſ. 14. c. 5.

tim verò per actum ſupernaturalem interni doloris perfecti, vel imperfecti de illis, quos homo iuſtus elicit. Inde eſt, quod venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequenter labimur, quamquam rectè, & vtiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſe ſacroſancta Tridentina Synodus 1 docet. 1 Trid. ibi.

Materia proxima.

4 Ad huius Sacramenti 2 integritatem, & ad plenam, perfectamque peccatorum remiſſionem ex diuina diſpoſitione requiruntur tres ipſius pœnitentis actus, nempè contritio de peccatis ab illo commiſſis, eorumdem cõfeſſio, & ſatisfactio, quæ propterea partes, ſeu materia ſacramentalis pœnitentiæ proxima nuncupantur. 2 Trid. ſeſſ. 14. c. 2.

5 Contritio 3 eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, quæ ſi charitate formetur, id eſt ſi præcipuo quodam ſcelerum dolore angatur animus ob offenſam Dei, quem ſuper omnia amare, eiuſque præceptis obedire cupiat, dicetur contritio perfecta, hominemque Deo reconciliãs priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiat, ſi verò angor ille ob patrata crimina ex inferiori motiuo, nempè vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vel æternæ gloriæ iactura, aut ipſius peccati turpitudine oriatur, erit imperfecta contritio reputanda, atque attritio communiori voce dicenda, quæ quidem, & ſine actuali ſacramenti ſuſceptione hominem per ſe iuſtificare nequit; nihilominus ſi peccandi voluntatem excludat, veniæque ſpem obtinendę adnexam habeat, illum ad Dei gratiam in ſacra- 3 ibid. c. 4.

ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit, & quidē diſpoſitione vltima; & proxima; vnde illud vulgare emanauit effatum, *homo ſacramentali confeſſione ex attrito, fit contritus.*

6 Confeſſio altera pars neceſſaria huius ſacramenti
1 S.Th in 4. dist.17.q.3. rectè dicitur à Theologis 1 eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de proprijs peccatis coram Sacerdote facta ad eorum veniam clauium virtute obtinendam; vt autē ea maximè piacularis euadat, conditiones illæ obſeruādæ ſunt, quæ ſubiectis carminibus Diuus Antoninus ex-
2 in 3.p. tit. 4.cap. 19. preſſit 2.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, quæ ſit parere parata.

7 Tertia ſacramenti pars, non quidem eſſentialis, nam ſine illa adhuc abſolutionis valor perſiſtit, ſed integralis eſt Satisfactio, qua opera à Confeſſario iniuncta nos exequentes temporaneas noſtrorum peccatorum pœnas ex Chriſti inſtitutione perſoluimus: & diuinam quidem clementiam decebat, ne ità nobis abſque vlla ſatisfactio-
3 Trid. ſeſſ. 13. c.8. ne peccata dimitteret 3; ſecùs enim peccatores occaſionem accipere poterant minoris, ac faciunt, pendendi crimina, atque iniurij, & contumelioſi Spiritui Sancto in grauiora labendi, theſaurizantes ſibi iram in die iræ; hinc eos magnopere à peccato reuocari, & quaſi freno quodam coerceri his ſatisfactorijs pœnis, cautioreſque, & vigilantiores in futurum effici videmus: ideoque in ea exequenda pœnitentes prompto animo ſint, & accurati: quid verò Confeſſarij in illa iniungenda præſtare debeāt ex Doctorum libris, & prudentum praxi addiſcent.

Forma abſolutionis.

8 Ex Tridentinæ Synodi definitione 1 quibus nam verbis Sacramenti Pœnitentię forma conſtet, & in quo præcipua illius vis ſita eſt, didicimus; vnde eam nec nutibus, nec aliſs quibuſcunque ſignis, quam verbis legitimi miniſtri ore prolatis confici poſſe conſtantiſſimè fatẽdum eſt; ſunt autem hæc, *Ego te abſoluo*, reliqua verò, nempè (*à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & ſi formæ eſſentiales non ſint; vnanimis tamen fœre omnium Doctorum ſententia 2 fert non excuſari à graui ſceleris nota miniſtrum, qui ea ſine vrgenti neceſſitate omitteret; cæterum quæ præcedunt preces, videlicet *Miſereatur tui, &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c.* quæque ſubſequuntur; *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ, &c.* laudabiliter de ſanctæ Eccleſię more adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.

1 ſeſſ. 14 ca. 3.

2 vide quos citat Caſtro pal. de pœn. d. vn. p. 5. n. 3.

9 Laudabilem igitur hunc morem omnibus noſtræ Diœceſis Confeſſarijs, quo ad fieri poterit, & tempus, & pœnitentium numerus permittet, ſub arbitrij noſtri pœna retinendum eſſe iubemus.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

10 Licet quicumque Sacerdotio inaugurantur in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, meritò tamen Sacroſancta 3 Tridentina Synodus quamplurimorum Conciliorum, & Canonum doctrinis inſiſtẽs decreuit neminem etiam regularem poſſe confeſſiones

3 Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 15.

ſecu-

ſecularii etiã ſacerdotum audire niſi ei ad id ordinaria, quę habetur per parochialę beneficiũ, aut delegata, quę à loci ordinario tribuitur, acceſſerit iuriſdictio: cũ enim diuina hęc abſoluẽdi à peccatis poteſtas fuerit à Chriſto Domino inſtituta ad modũ iudicij, cuius natura 1, & ratio illud expoſcit, vt ſentẽtia in ſubditos dũtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe cum eadem Tridentina Congregatione declaramus nullius roboris abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert in noſtra diœceſi, in quem ordinariam, ſcilicet ob parochiale beneficium, quod actu poſſidet; aut à nobis ſubdelegatã non habet iuriſdictionem; quã ſanè per noſtros examinatores approbati, vel aliàs à nobis idonei iudicati gratis omninò obtinebunt litteris cõſignatam, & noſtro roboratam ſigillo.

1 Trid. ſeſſ. 14. c. 7.

11 Quapropter omnes noſtrorum prædeceſſorum ad ſacras percipiendas confeſſiones in ſcriptis, vel oretenus conceſſas facultates abolemus; qui contrarium auſu temerario fecerit; regularis ſiue ſecularis presbyter ſe ſtatim ab Eccleſię communione membrum reciſum eſſe, & nulliter abſolutionem dediſſe ſentiat; alijs quoque in bulla Gregorij XV. pęnis corrigendũ 2. Excipimus tamen mortis articulum, in quo vel ſimplex quilibet Sacerdos, quamuis excommunicatus, irregularis, interdictus, atque ſuſpenſus poteſt à quibuslibet peccatis, & cenſuris etiam nobis, & Summo Pontifici reſeruatis, atque etiam ſine bulla Cruciatę abſoluere, id tamen illi ſi pręſens ſit, vel facilè adeſſe poſſit legitimus Confeſſarius, pręſtãndum non eſſet.

2 cuius initium eſt inſcrutabili.

12 Pręcipuas ſui muneris partes eſſe cõſiderent Cõfeſſarij omnibus viribus, & induſtria curare vt peccatores à criminum labe eruantur, & remedia prębeant qui-

bus

bus in gratia ad vitę finem perſeuerare queant; & quidem potiùs non deberent audire confeſſiones, quam cũ feſtinatione, & ſine diligenti examine.

12 Vetus illud, atque ſacroſanctum antiquorum Patrum inſtitutum 1 vt retineatur curent omnes Confeſſarij, nimirum vt antequam confitentibus aurem prębeant breui oratione pro ſua, & accedentium ad hoc ſacramentum ſalute Deum deprecentur. 1 Baron. in annotat. ad martyr. die 11. Iunij.

13 Admoneant eos, qui longum tempus confeſſionẽ diſtulerunt, vel peccata afferunt maximi momenti, & lõgioris diſcuſſionis, ne in confertiſſima multitudine pœnitentum eam faciant, ſed multis ante diebus opportuniorem ſeligant locum, & tempus.

14 Quod omnibus Chriſtianis pręcepit Paulus 2 dicẽs, *rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes*, hoc eum, qui à confeſſionibus eſt, maximè decet obſeruare. 2 1.Theſ. 5.

15 Regulares, qui ad hanc facultatem petendam ſe nobis ſiſtunt, nequaquam exorabunt, niſi ad id munus à ſuis ſuperioribus deputatos eſſe, & teſtimonium de probatis moribus, & doctrina attulerint, compertum habuerimus; nec illos, nec alios quoſcunque Sacerdotes confitentibus fœminis aures dare poſſe declaramus, qui quadrageſimum ętatis annum non expleuerint; permittimus verò, vt ex cauſa valde vrgente Vicarius Generalis cum conſilio aliquorum examinatorum in hoc diſpenſare valeat cum ijs approbatę doctrinę, & morum presbyteris, qui trigeſimum ſextum agunt annum; quod ſi pro viris tantum, vel ętatis, vel alio quouis defectu approbatus mulierum confeſſionibus, licet adoleſcentularum, vacare preſumpſerit, ſit ipſo facto à diuinis ſuſpen-

Q ſus,

ſus, & carceribus detentus, quouſque tantę temeritatis maculam elutam putauerimus.

16 Confeſſarij ſeculares approbati licentiam ſibi impertitam Vicario foraneo deferant, vt eorum nomina in tabella propè ſacriſtiam inſcribat; qui verò in vrbe degunt ſuum nomen Magiſtro Cappellano dent, vt in libro, quem ſecum habebit, reſcribat; inobedientes ad annum à Confeſſarij officio ſuſpenſi maneant.

17 Declaramus etiam facultates à nobis in ſcriptis, vel oretenus datas ad audiendas confeſſiones pro certo quodam temporis ſpatio expirare omninò eo tempore tranſacto.

18 Et quidem pœnitentiæ ſacramentum miniſtrare debet Sacerdos ſecularis in Eccleſia; & diebus feſtiuis ſuperpelliceò, ſtolaque violacea indutus; mulierum verò Confeſſionibus opera danda non eſt ſine vrgenti neceſſitate, aut extra natiuitatis Domini noctē ante ſolis ortum, nec poſt eius occaſum, nec quidem alibi, quam in Eccleſijs, & in ſede, quam confeſſionale vulgus appellat, manifeſto poſita loco, atque conſpicuo: nec denique alio modo, quam per crates perforatas, quæ ſacerdotis aures à confitente ſeiungant niſi breuis fuerit recōciliatio; qui in aliquo prædictorum minus obediēs fuerit Confeſſarius, noſtro iudicio pœnas incurret.

19 In propria, vel aliena domo nullius nec maris, nec fœminæ confeſſiones excipiat, præterquam infirmorum; idque eo in loco, quo ab alijs proſpici, non autem audiri queat; vnde irritas reddimus quaſcunque vel à nobis, vel à prędeceſſoribus huic conſtitutioni contrarias impertitas facultates; aliter audentes Confeſſarij ſeuerè punientur.

20 Non ſtando, ſed tanquam Iudex pro Tribunali ſeden-

ſedendo confeſſiones audiat, & vbi rudes pœnitentes eſſe cognoſcit, antequam eorum peccata excipiat, interroget an fidei articulos neceſſarios percipiant? an quæ ad validam, integramque confeſſionem neceſſaria ſunt, ſciant, & præſtauerint? quod ſi ea ignorare offenderit, abſolutionem, vſque dum benè à ſe, vel à Parocho inſtruantur, differat.

21 Orationem Dominicam, Salutationem Angelicā, ſymbolum fidei, & decalogum ſcire debent, qui abſoluendi ſunt, aliàs Confeſſarius hortetur vt diſcant, atque ad id certum ſpatium temporis præſcribat.

22 Cunctos monitos eſſe volumus tam ſeculares, quā regulares Confeſſarios datas eis ad fidelium vtriuſque ſexus confeſſionem excipiendi facultates non extēdi ad moniales, nec ad eas, quæ intra monaſteriorum ſepta educantur, niſi de ijs expreſſam fecerimus mentionem; qui aliter præſumpſerint Confeſſarij, munere ipſo facto remotos eſſe intelligantur, & alias pœnas noſtro arbitrio luent.

23 Cum ad ægrotantes à patratis ſceleribus abſoluēdos Confeſſarij vocantur, ſi aliunde id illi notum eſſe nō conſtat, certiorem faciendum proprium Parochum ſtatim curent, vt ad reliqua ſacramenta tempori ſubminiſtranda, & quæ ad periculoſiſſimum illum maximi momenti agonem neceſſaria ſunt, paranda, exhibendaque præſto ſit; quod ſi admonere neglexerint, pœnas dabūt emeritas.

24 Regulares quoque, qui confeſſiones infirmorum ea cauſa audient, ſtatim Parochum admonendum curent, & fidem auditæ confeſſionis, vbi medicus requiſiturus eſt, relinquant in ſcriptis [1].

25 Atque ne in negotio omnium, quæ humanæ in-

[1] decr. ſacr. Cong. die 2. Iulij 1587.

duſtriæ dari poſſunt, maximo,ignoratione peccetur, in id ſtudium toto pectore incumbant à ſacris Confeſſionibus præsbyteri, quod caſuũ conſcientiæ nominatur, & nõ niſi probatæ doctrinæ auctores præ manibus habeãt.

26 Cum autẽ hominum genus ſuapte natura in vitia procliue labatur, arctioribus ſemper, quibus cohibeant, opinionibus ſtudeant, ne ipſi moderatores habenas hominibus in omnem perniciem irruẽtibus laxaſſe, (& vtinam etiam ne calcaria admouiſſe) videantur; ſunt enim quos malus vel dolus, vel abſtulit error, qui vt ſuis, vel ſuorum deordinatis animi affectibus blandiantur, ſeu ad Principum aſſentationem, ſeu noua comminiſcentis ingenij oſtentationem à recta Theologia longè, lateque peregrinantes ſententias ad cõmune homiuum commercium reuocant, & auſu planè temerario, vt illis ad rem noſtram Euangelij verbis vtamur, & commutato ſenſu, ſi fas eſt dicere, viam diaboli parant, & rectas faciunt ſemitas eius, vt ſint ad extremam perniciem animarum praua in directa, & aſpera in vias planas.

27 Quamobrem vt accuratiùs Confeſſarij id tam neceſſarium Sacramentum peragendum erudiãtur, vt Clerus noſter vniuerſus in ſacrarum rerum, cauſarumque moralium ſtudijs ſedulò verſetur, præſenti conſtitutione, mandamus vt ſemel ſaltẽ in hebdomada vnuſquiſq; Confeſſarius, & Cappellanus Eccleſiarũ ſacramentalium, nec non monialium, atque etiam confraternitatum, ſodalitiorum, congregationumque tum lectioni præbendæ Theologalis, quæ in Cathedrali, tum caſuum conſcientiæ, quæ in Collegio Soc. Ieſu pluries in hebdomada habetur, interſit; à quibus lectionibus, ſi quindecim continuis diebus ſine noſtra, vel Vicarij Generalis in vrbe licentia aberit, ſit per annum ab officio Confeſſarij ipſo facto ſuſpenſus.

Hoc

28 Hoc idem in locis noſtræ Diœceſis, in quibus eſt Collegium Soc. Ieſu præſtari iubemus ſub eadem pœna: vbi verò illud deſideratur, volumus in Maiori Eccleſia cuiuſcumque loci bis ſaltem in mēſe fieri; quapropter omnes, & ſingulos Sacerdotes, atque etiam Diaconos, & Subdiaconos nobis ſubditos eidem lectioni adeſſe obligamus; quod ſi aliquis abſque licentia Vicarij foranei, quam rarò, & nonniſi ex vrgenti cauſa concedet, bis in anno vna ſcilicet vice immediatè poſt aliam adeſſe contempſerit, ad nos deferatur, vt merita ſuſpenſionis, aliamque ad noſtrum arbitrium pœnam, infligamus.

29 Approbatus pro vno loco, ne extra illius fines, ſeu Territorium pœnitentiæ ſacramentum adminiſtret, pœnam ſuſpenſionis illico incurrendam imponimus; exceptum tamen ſemper volumus caſum neceſſitatis.

30 Iuſtis de cauſis iubemus Confeſſarios omnes non abſoluere pœnitentes eo maculatos mortali peccato, in quo ipſemet Confeſſarius particeps, aut complex fuit; quamobrem ſi fortè aliquem aliter feciſſe deprehendemus, ſex menſes in carcere reſtringemus.

31 Nouerit à ſacris confeſſionibus præsbyter, atque prudenti dexteritate inquirat peccati circumſtantias, ſtatumque pœnitentis, vnde facili negotio eius malis occurrere, & tanquā filium cariſſimum paterna charitate admonere, atque ex iniquitatis ſemitis in viam pacis, & ſalutis æternæ dirigere valeat; caueat tamen ne in interrogando quæ ſcitu ad validitatem confeſſionis neceſſaria minimè ſunt, ad malum potius facem præferre, & patrādorum ſcelerum nouos modos imperitos, & inexpertos docere videatur, & nouæ cupiditatis, aut criminis non ante tentati occaſionem obijciat; imò etiam peccatorum inquiſitione caueant ne inconſulta diligentia puſillorum animæ ſcandalizentur.

Ne

32 Ne quidquam doni etiam exigui quouis prætextu in ipſa confeſſione, aut immediatè ante, vel poſt eius actum, ne quidem eleemosynæ accipi volumus; idque ſeruetur præcipuè in vltimis diſpoſitionibus infirmorum; nec ipſe Confeſſarius ibidem eis aliquid donet; ſecùs à diuinis ſuſpenſionis pœnam incurret.

33 Quod ſi fortè rem aliquam oblatam proprio domino reddendam, à ſolo Confeſſario tradi poſſe, vel debere neceſſitas dictet, id quantocyus exequatur; ſi enim ſex dies negligentia, vel dolo eius reſtitutionis mandatū adimplere diſtulerit, ſit ipſo facto ſuſpenſus. Porrò in huiuſmodi caſibus maximè caueat ne ſacramentalis notitiæ ſigillum minima ex parte perfringat, vel alicui vlla infamiæ nota inuratur; apocam ab eo, cui ſit reſtitutio, pœnitenti illico conſignandam recipiat.

34 Cum miniſtrantem hoc pœnitentiæ, & lachrymarum ſacramentum minimè deceat animus vanitati ſeculari deditus, nec exquiſita veſtium pompa, non ementita odoramentorum fragrantia, non chirothecis, non anulis, neque floribus manus ornatæ; idcirco ſi quem in hoc peccare videant Vicarij, nobis renuncient, vt ab eo officio remoueamus.

35 Si pecuniaria iniungenda ſit pœnitentia, aut pretio æſtimabilis, ne eam ad ſuum, aut ſuæ eccleſiæ lucrū referat Confeſſarius, ſed arbitrio pœnitentis diſtribuendam, cui ipſe velit, permittat, ne pecuniæ potiùs, quam animarum ſaluti ſtudere videatur.

36 Caueant ne infirmorum animos irretiant fraudibus; aut precibus, cohortationibuſque defatigent vt ſibi, vel ſuis Eccleſijs legata relinquant, ſed id ad eorum liberum remittant faciles arbitrium; ſecus eis ad confeſſiones excipiendas ſuſpenditur conceſſa facultas. Solum

enim

enim vt pia exequantur opera, & eleemoſynas pro ſua anima relinquant admonere debent egrotos.

37 Hinc tamen nemini liceat religioſos viros, aut cõfeſſarios, aut notarios per vim, vel fraudem impedire, ne lecto decumbentes, & vita periclitantes adeant, ſub pęna vnciarum quinquagintá, & carcerationis ad noſtrũ beneplacitum.

De abſolutione danda in caſu neceſſitatis, vel ſenſibus deſtitutis, & moribundis.

38 Si ob imminentem ruinam, vicinum naufragium, belli claſſicum datum, incautas hoſtium inſidias, vel quid ſimile, improuiſumque plures abſolutionem efflagitent, nec ſingulorum integras confeſſiones excipiendi tempus ſuppetat, ſi dolorem vitæ malè actę ſimul oſtendant, & aliqua, ſi poſſunt, peccata exponant, Confeſſarius eos omnes ſimul abſoluere ne detrectet, idque etiam ſine pœnitentiæ alicuius iniunctione, quo caſu ea vtatur forma: *ego vos abſoluo ab omnibus peccatis veſtris, & cenſuris in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Nam extra id generis caſus neceſſitatis requirit Tridentinum fieri confeſſionem omnium peccatorum.

39 Si pœnitens eſt ſurdus, & mutus, detque doloris ſigna, & nutibus, ſi quæ poteſt, & aliquod in particulari peccatum exprimat, vel ſaltem in genere ſe peccatorem oſtendat, abſolutioniſque ſacramentalis cupidum, abſoluatur. Quod ſi etiam cæcus ſit, & aliquam huius ſacramenti cognitionem tenere deprehẽdatur, imò etiã ſi nullam; cum tamen abſque abſolutionis conditionatæ beneficio ex hac vita diſcedere non permittendum eſt.

40 Moribundis, ideſt ſenſibus prorſus deſtitutis, & mor-

morti proximis, ſi plures adſint teſtes, quin etiam ſi vnus, quicunque ille ſit, affirmet Confeſſario, licet abſenti, illos petijſſe abſolutionem, vel pœnitentiæ ſigna dediſſe, non eſſe denegandam abſolutionem à communi Theologorum ſententia didicimus 1.

1 item ex Arauxicano 1. & Carthag. cōcil. 1. gener. 4.

41 Quia verò plures eſſe nouimus non infimę notæ Doctores, quorum auctoritas probabilem reddit opinionem exiſtimantium etiam moribundum ſenſibus deſtitutum, dę quo nemo teſtificare queat eum vlla dediſſe pœnitentiæ ſigna abſolui poſſe, & debere, cum ſatis ſuperq; per mores chriſtianos tota vita ſenſibiliter peractos, cōfeſſionem petere præſumatur, nulla dignum reprehenſione declaramus eum ſacerdotem, qui huic opinioni adhęrens ſub conditione eumdem moribūdum abſolueret; per conditionem enim iam cauet iniurię ſacramenti, & conſulit, quantum fieri poteſt, illius æternę ſaluti.

42 Nemo parochorum, aut confeſſariorum confeſſionis, aut communionis atteſtationes faciat eis, qui ſe ijs non munierint ſacramentis; ſecus pœnis aduerſus falſarios à iure decretis ſubiaceat; è contra verò auditæ cōfeſſionis teſtimonium in ſcriptis petentibus nunquam Confeſſarius negare debet.

43 Si quis verò, (quod Deus auertat,) non adhuc ſacerdotali ordine decoratus, ſacramentum pœnitentię adminiſtrare tentabit, iuxtà Clementis VIII. ſanctiones Eccleſiaſticorum priuilegio ſpoliatus, è ſancta reiectus Eccleſia, & degradatus, brachio ſeculari debitis excruciandus ſupplicijs tradatur.

44 Cum quis ab vno confeſſario rationabiliter eiectus ad alium confugit, diligenter hic cauſam perquirat; & ſi id meritò factum eſſe intelligat, non abſoluat, ſed vehementer admoneat, vt ſacramento obicem remoueat.

Si

44 Si quando illis, vel cuicumque pœnitenti iuſta de cauſa abſolutionem Confeſſarius exiſtimauerit in Domino denegandam, vel differendam, id vt ſine circumſtantium ſcandalo fiat diligentiſſimè curet; quapropter manum ſuper caput pœnitentis de hoc iam præmoniti in abſolutionis dandæ ſignum eleuans, taciteque pronuncians precem aliquam, illi benedicat.

45 Et quidem denegari omninò iubemus abſolutionẽ ijs, quorum improbæ vitæ corrigendæ, occaſioniſue publici ſcandali remouẽdæ fallax ſpes eſſe videtur, vel quod iniuſtè detinent renuunt reſtituere, aut ad pias cauſas legata perſoluere, damna quæ rei familiari, vel quod peius eſt, alienæ famæ mendaci illata ſunt teſtimonio reſarcire, vel demum ijs, qui debitam dare ſatisfactionem detrectent; ſi verò huiuſmodi perditiſſimi generis homines in graui vitæ diſcrimine reperiantur, omni eos diligentia hortetur Confeſſarius, vt quam poſſunt in perſonæ leſæ fauorem, publicam faciant, vel relinquant atteſtationẽ; & quoquomodo datum eſt, & decet ſatisfaciant, vel ſi tunc impotentes ſunt, quamprimum poterunt ſeſe ea obligatione ſoluturos promittant, ſicque ante actorum ſcelerum dolore intrinſecùs tactis, & firmo munitis propoſito abſolutionis beneficium liberè impendere valeat; attamen ſi deinde contingat conualeſcere opportunè eis, & dexteritate, qua par eſt, propoſiti exequutionem ſuggerat, promoueatque.

46 Cum aduerſa valetudine laborantium ad confeſſiones vltimas excipiendas Confeſſarij vocantur; eos de re familiari, cæteriſque bonis omnibus, vt rectam diſpoſitionem faciant, teſtamentum condant, aliaſque declarationes ad remouendas lites, ad ſuum vnicuique ſecundum ſanctæ iuſtitiæ leges tradendum, præſtent, hortentur

ſedulò, & omnino curent; ſed caueant ne in hanc, vel illam potiùs partem ſe propenſos oſtendant, aut ſuis precibus ægrotum defatigent, & perturbent hæredes; ſuum enim munus eſſe intelligant, quod iuſtum eſt pœnitenti proponendi; ſi quando interrogatur rectum in domino conſilium dandi; cæterum hanc illi magis, quam alteri hæreditatis portionem tribui, legatum huic Eccleſiæ, ſeu pauperi relinqui potiùs, quam alijs, à ſacro confeſſariorum munere prorſus alienum eſſe ducant.

47 At ſi, (quod non ſine ingenti animi mœrore aliquando eueniſſe audiuimus) hæredes, aut alij, ad quos ægroti cura pertinet, notarios impediant, aut retardent ne ad illum accedant, eiuſque diſpoſitiones exſcribant, eique liberum conficiendi teſtamenti, aut codicilli addendi ius quo pollent impediant; ipſum Confeſſarium horum nefariam impietatem ad Vicarium, vt modis omnibus coerceat, deferre, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda adſtringimus.

De Caſibus Reſeruatis.

48 Extra mortis articulum cum magnoperè ad Chriſtiani populi diſciplinam pertineat vt atrociora quædam, & grauiora crimina in diœceſi noſtra non à quibuſuis, ſed à nobis dumtaxat, vel ab ijs, quibus id nos ſpecialiter demandauerimus, abſoluantur, Confeſſarij pœnitētibus perſuadere nitantur, vt ad nos, vel alios legitimos Iudices pro reſeruatorum abſolutione accedant, aut ſāctiſſimæ Cruciatæ bullam accipiant.

CA-

CASVS RESERVATI Epiſcopo.

49 NE igitur abſolutionis facilitas in deteſtabiliora ſcelera homines procliues reddat, eorum nobis abſolutionem reſeruare decreuimus, quorum hic eſt, qui ſequitur Cathalogus.

1 Homicidium voluntarium committentes, conſulẽtes, vel ad illud fauorem, & auxilium præſtãtes, prolem ſuffocantes, & abortum procurantes.
2 Raptores Virginum, & Virgines deflorantes.
3 Inceſtuoſi in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, tam ex licita, quam ex illicita copula.
4 Sortilegia, magicas artes, & ſuperſtitiones exercẽtes.
5 Parentum percuſſores, ita vt exiſtimetur iniuria grauis.
6 Notarij legata pia fraudulenter occultantes.
7 Coeuntes cum infidelibus; beſtijs abutentes; & nefandum ſodomiæ ſcelus patrantes.
8 Teſtamenta, & legata pia impedientes; occultantes, vel cum poſſunt, & debent, non exequẽtes,
9 Inſtrumenta falſa conficientes, & conficienda mãdantes, conſiliumque præſtantes.
10 Qui litteras noſtras, ſigillum noſtræ Curię, & ſcripturas falſificant, adulterant, occultant, aut furantur.
11 Vſurarij, vſurarumque mediatores, & qui inſtrumenta manifeſtas vſuras continentia conficiunt,

12 Detinentes beneficia Eccleſiaſtica, vel bona Eccleſiaſtica, & noſtrę menſę Epiſcopalis ſine iuſto titulo, quique terminos poſſeſſionum Eccleſię, vel noſtrę menſę Epiſcopalis mutauerint.

13 Decimas, & primitias non ſoluentes.

50 Horum criminum grauiſſimorum abſolutio nobis reſeruata eſt; quapropter pręcipimus ſub excommunicationis latę ſententię, alijſque 1 ad noſtrum arbitrium pœnis, ne quis ſecularis, aut regularis Sacerdos abſque noſtra licentia, vel bullę Cruciatę priuilegio, (quod qua decet animi pietate veneramur, omnique ſtudio illæſum ſemper cuſtodiendum curamus,) ab ijs abſoluere pręſumat, pręterquam in caſibus à iure ſtatutis.

1 de quibus in decret. S Cōg. Epiſc. & regul. die 9. Ian. 1602. de mandato Clē. VIII.

51 Ad maiorem tamen pœnitentium commoditatē, & remedij expeditiorem vſum hęc reſeruata peccata abſoluēdi auctoritatem Catanę Vicario Generali, & noſtro in Eccleſia Cathedrali pœnitentiario deputato, in diœceſi verò Vicarijs foraneis libentiſſimè cōmittimus.

52 Cuiuslibet Eccleſię, in qua pœnitentię ſacramētum adminiſtratur, curatoribus mandamus ſub pœna vnciarum quatuor, vt in ſacriſtia, vel alio loco apto, & publico prędictorum caſuum reſeruatorum tabellam, imò etiam, ſi commodè fieri poteſt, in loco audiendis confeſſionibus deſtinato defigant, vt vehementer exoptamus affigendam, detinendamque, vt ſtudioſè perlegantur. Cæterum in caſibus difficilioribus ne curſim, aut oſcitantèr rem expediant, ſed dubitent, quod & ſapientiſſimos viros facere nouimus, imò ad reſoluendum tempus petant, libros adeant, vel tacito nomine, cæteriſque circumſtantijs, ne in rei notitiam quis venire queat, peritos conſulant.

53 Quoniam eò nonnullorum perditiſſimorum Sacer-

cerdotum proceſſit temeritas, vt vberrimum gratiæ, & ſalutarium lachrymarum fontem, vnde pœnitentes vitã haurire debent, mortiferi veneni labe ad earumdem extremam perniciem inficere pertentet,& quod in mortuorum reſurrectionem ſit poſitum medicamen, in viuentiũ euadat ruinam; ideoque non immeritò nihil antiquiùs Romani Pontifices habuerunt,quam tantum malum modis omnibus ab Eccleſia Dei auertere, atque in Confeſſarios ſacramento pœnitentiæ abutentes ſumma, qua par eſt,ſeueritate animaduertere, ac in primis pœnitentibus abſolutionis beneficium conſtantiſſimè denegãdum ſtatuerũt, niſi eos tanti muneris indigniſſimos Confeſſarios ſollicitantes ordinarijs locorum, vel ſancti officij Inquiſitoribus reuelarent,vt perpetuò ab eo officio eijciantur, & alijs grauiſſimis mulctentur pœnis.

De Pœnitentijs iniungendis.

54 Cum à fide catholica edocti perbene calleamus pœnitentiæ ſacramentum ritè ſuſcipientibus culpas omnes letiferas remitti, non verò vniuerſam ſemper pœnam temporaneam, in quam commutatur æterna, cõdonari; ideoque à Sanctis Patribus 1 populo Chriſtiano perpetuo tempore adeò commendatæ fuerunt ſatisfactoriæ illæ pœnæ, ſeu, vt vocãt, *pœnitentiæ*, quas poſt auditã confeſſionẽ legitimus Iudex fori interni iniungit pœnitenti, vt huius ſacramenti partem præcipuam, ſed integralem conſtituerint.

1 Trid. ſeſſ. 13. c. 4.

55 Debent igitur Sacerdotes Domini, vt ſacroſancta Tridentina 2 Synodus ex S. Chriſoſt. 3 docet, quantũ Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, et conueniẽ-

2 ibidem. 3 S.Chriſoſ. de pœn. & confeſſ.

tes

tes ſatisfactiones iniungere, niſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis imponendo delictis alienorum peccatorum participes efficiantur; habeant autē præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantū ad nouæ vitæ cuſtodiam, imminentium malorum præſeruationem, & præſentis infirmitatis medicamen, verū etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem; nam ſacerdotum claues non ad ſoluendum dumtaxat, ſed ad huiuſmodi pœnis ligandum etiam cōceſſas eſſe, & receptiſſimus Eccleſiæ vſus, & vnanimis Patrum ſententia firmiter tenuit, & docuit.

56 Aduertant tamen Confeſſarij nimiam ſeueritatem in imponendis pœnis facilè puſillanimes à tam ſalutari ſacramento poſſe abſterrere, ita è contra nimiam aliorū facilitatem peccandi licentiam in plurimis fouere.

De ijs, qui confeſſionis præcepto obligantur.

57 Omnes vtriuſque ſexus fideles poſt vbi ad annos diſcretionis peruenerint, annuæ confeſſionis præcepto, quod fidelium vſus tempore Paſchali ſimul cum Euchariſtiæ mandato adimpleri conſueuit, adſtricti ſunt; quare à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis incluſiuè noſtri Sacerdotes approbati, & vnicuique Eccleſiæ ſacramentali deſignati, eam conueniant Cappellanos adiuturi, & quotidie duas minimum horas mane, totidemque poſt veſperas in tam ſalutari, & neceſſario confeſſionum audiendarum munere impendant.

58 Ab initio quadrageſimæ Parochi, vel per ſe, vel per concionatores confeſſionis, & cōmunionis annuæ præcep-

cep-

ceptum ſeriò, ac ſæpè populo inculcent, ſimulque cenſuras contrauenientibus impoſitas comminentur, moneantque eos, qui ab his ſacramentis longum fuere tempus, non ſtatim ad Euchariſtiam debere accedere, ſed priùs per aliquos dies arbitrio Confeſſarij debere ſe iterum, iterumque probare, & ſic de pane illo ſubſtantiali edere.

59 Similiter ad ſua peccata ſacramentaliter confitenda ægrotos obligari ſtatim ac infirmitas ſuomet pondere ad mortem inclinare videtur, apertiſſimè deducitur ex decreto Innocentij Tertij, et motu proprio Pij quinti 1, denique ex iuramento, quod in ſuo doctoratu præſtant in multis vniuerſitatibus Medici, ſcilicet non eos ampliùs viſuros, ſi priùs certò non conſtet infirmum vitæ ante actæ labem pia confeſſione eluiſſe; niſi ob iuſtam cauſam prudenti Confeſſarius aliud medico dictauerit, quo caſu ipſorum Confeſſariorum conſcientiam oneramus; medicis ſecùs facientibus eaſdem confirmamus pœnas omninò repetendas, quas prædictæ bullæ comminantur. 1 ann.1566.

DECRETVM SEPTIMVM.

DE SACRAMENTO *Extremæ Vnctionis*.

1 SAcramentum eſt hoc verum, & proprium inſtitu-
2 tum à Chriſto Domino, & ab Apoſtolo Iacobo promulgatum non modò ad peccata, ſi quę ſuperſunt, expiandà, eorumque reliquias abſtergendas, & firmiſſimo præſidio exeúntium ex hac vita infirmorum animos muniendos, præſertim aduerſus inferni hoſtis conflictus, ſed etiam ad miſericordiæ diuinæ fiduciam meliorem exci-

tan-

tandam, ad morbi labores leuiùs ferendos, atque corporis ſanitatem interdum, vbi ſcilicet animæ expedierit conſequendam; ideoque ad illud recipiendum non vſque eo differri debet, vt ſenſuum, rationiſque vſu deſtitutus æger ſupremum reddere ſpiritum incipiat, ſed quantum fieri poteſt Parochus inungendum curet infirmum eo tẽpore quo ad illud fructuoſiùs habendum vero cordis dolore, & ea qua par eſt religione ſe diſponere queat, ita tamen vt illud nonniſi ſolis infirmis periculosè decumbentibus tribuatur, ſiue vitæ periculum ortum habeat ab humorum inordinatione ſiue à vulnere, à veneno, aut ex ipſo ſenio; ſanis verò nec licitè, nec validè tribuatur.

2 Quia verò ex vſu Eccleſiæ antiquiſſimo cõſtat hoc ſacramentum ſemel ſuſceptum ſufficere pro eodem vitæ periculo, inde eſt, quod illo perſeuerante iterari nec licitè, nec validè poſſit.

3 At ſi poſtquam cõualuit, in aliud ſimile vitæ diſcrimen infirmus incidit, licitum erit eodem illum ſubſidio adiuuare; quando autem dicendum eſt nouum, & alterius diſtinctæ infirmitatis periculum ad prudens, & quidẽ benignum medicorum, ipſiuſque Parochi iudicium ſpectat decidere.

4 Ij autem, quibus hæc ſacroſancta vnctio omninò deneganda eſt, ſunt non baptizati, perpetuò, & à natiuitate amentes, pueri rationis expertes, quales vt plurimum ſunt, qui ſeptennium non expleuerunt; prælium ineuntes, arduam nauigationem aggredientes, mortis ſupplicio addictos: excommunicatos verò vt hoc ſacro oblineat oleo in vitæ, mortiſque confinio conſtitutos, priùs debet Sacerdos cenſuræ vinculo abſolutè, ſeu conditionatè, pro vt res poſtulat, expedire; mulieribus ipſo in partu perdifficili laborantibus dari poſſe piè credi-

Non

5 Non tamē hoc extremo ſubſidio priuādi ſunt adulti, qui periculoſè ægrotantes baptiſmo initiantur; ideoque ſtatim à luſtralis aquæ aſperſione ad olei ſancti inunctionem poterunt tranſire, etiam ſi nondum viatico cœleſti ob legitimum impedimentū præmuniti fuerint 1.

6 Neque ij priuandi ſunt, de quibus liquet nonniſi venialiter peccaſſe, neque phrænetici, qui poſt vſum rationis in phrænesim, aut amentiam inciderunt, vbi tamen in ſacramentum irreuerentia non timetur.

1 Sar. de extrem. vnct. d. 4. ſec. 1.

7 Quamuis hoc ſacramentum requirat ſtatum gratiæ in ſuſcipiente, & libertatem, vnde nonniſi poſt piacularem confeſſionem ſacro inſtructis viatico laudabilis fidelium vſus illud miniſtrandum eſſe docuit: debet nihilominus ijs, qui ſubito, improuiſoque mortis periculo correpti ita ſenſibus deſtituuntur, vt nullo valeant ſigno declarare voluntatem huiuſce vnctionis habendæ; eo enim ipſo, quod de fideli non certè conſtat mori in peccato mortali ſine yllo, vel perexiguo ſpatio eliciendi actum contritionis perfectæ, aut ſupernaturalis attritionis, præſumit Sancta Mater Eccleſia, & Theologorum receptiſſima doctrina huiuſmodi hominem ſaltem in mortis articulo velle ritu chriſtiano decedere, atque adeò munitum ijs, quibus tunc poteſt, ſacramentis; quod ſi fortè de illorum actuali diſpoſitione dubitatur, inungantur ſub conditione, vt de illis, quorum vſus rationis, aut lucis interuallum in dubitationem vocatur dictum volumus 2.

2 Io. Sanch. in ſel. diſp. 17. n. 17 Leand. de ext. vnct. d. 3. q. 5. Diana 3. p. tr. 4. reſol. 169.

Materia.

8 Ad hanc ſanctam vnctionem exhibendam requiritur tanquam materia remota oleum oliuarum ab Epiſcopo benedictum, quod ſingulis annis poſt feriam quintā

cœnæ Domini veteri combuſto renouandum eſt, quod ſi recenti non dum habito huius ſacramenti adminiſtrandi neceſſitas vrgeat, pręcedentis anni oleo vtendum erit; ſi verò intra annum deficiat, & aliundè aliud benedictũ haberi nequeat, modicum non benedicti olei in maiorẽ benedicti quantitatem, quæ ſupereſt infundatur, & reparetur, vt Rituale Romanum docet.

9 Materia verò proxima eſt ipſamet ſacra vnctio, quæ interiorem denotat gratiam, qua ſupernaturaliter ægrotantis anima inungitur.

10 Si minus argẽteo, vt religioſiores Parochi laudabiliter ſolẽt, at certè ſtãneo vaſculo, & in ipſius Eccleſiæ decenti, tutoque loco aſſeruetur, velo ſerico coopertum, & in burſa ſerica deferatur.

Forma.

11 Quia hoc ſacramentũ Chriſtus Dominus inſtituit in orationis modũ, vt habetur Iacobi 5. orent ſuper eũ, &c. Inde eſt vt illius ſolius forma ſint verba deprecatoria, quibus in quinque præſertim ſenſuum corporis vnctione à principio, vti conſueuit Eccleſia ex Apoſtolorum traditione, nempe: *per iſtam ſanctam vnctionem † & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum deliquiſti. Amen.*

Miniſter.

12 Quod attinet ad Miniſtrum huius ſacramenti, vt monet Sacra Syn. 1 haud obſcurè traditum eſt in verbis Iacobi eſſe, ſc. ſolos præsbyteros, & nos quidẽ inter præſbyteros ipſi dumtaxat Parocho, ſeu Curato, ad cuius oui-

1 Trid. ſeſſ. 14. c. 13.

le

le pecus illa inungenda pertinet, hanc curam demandamus, quam non niſi legitimè impeditus alteri ſacerdoti committet, & illi tantum, qui ad hanc adminiſtrationem eſt à nobis approbatus, & confeſſiones audiendi poteſtatem habuerit; ideoque ſi quis alius Sacerdos ſecularis illud adminiſtrare auderet, in excommunicationem incideret, & regulares quidem ob id excommunicati ſciant à nobis renunciari poſſe.

13 Excipimus tamen inſtantis neceſſitatis caſum, in quo ſi tempori adeſſe nequit deputatus miniſter, quilibet Sacerdos inſugat, ſaltē ex interpetratiua proprij Parochi volūtate; itē poteſt vnus vnū, & alter alteram moribundi partem inungere modo, quo inferius declarabitur.

Solemnitas.

14 Ad euitandum effuſionis periculum in vijs ſaxoſis, maximèque præruptis in bambacio ſacrum oleum deferatur intra conſuetum vaſculum benè recluſum, quod nō manu geſtetur, ſed ſerico velo decenter opertum, collo ſerica item cordula aptè appenſum deuotè deferatur.

15 Propè inungēdi ęgroti lectum ponatur menſa, mundaque mappa ſternatur, in qua Sacerdos ſancti olei vas reponat à laico nulla ratione contrectandum, ibibem ſit peluicula cum tot bombicis, aut ſtupę, vel lanę, aut ſimilis materię globulis, quot ad oblitas corporis partes tergēdas ſint ſatis, quod quidē goſſipiū, vel lanā miniſtri adiutor ſecum ad Eccleſiam deferat ſtatim in ſacrario comburenda, item panis medulla ad miniſtrantis digitos detergendos, & aqua ad eiuſdem manus illicò abluendas, cerea quoque candela, quę, ſi opus ſit, ad ritè vngendum lumen exhibeat.

16 Qui ſacrum defert oleum, & miniſtrat cotta debet eſſe indutus, & ſtola violacea, eumque plures, aut ſaltē vnus Clericus comitetur, qui crucē ſine haſta, & aſperſorium aquę benedictę, & lumen in lanterna pręferat, & dum ſacramentum confertur, pſalmos pœnitentiales recitet; poteſt tamen in caſu neceſſitatis ipſe Sacerdos cum laico, aut etiam ſolus miniſtrare; fœminas enim nullo modo ad hoc vnquam officiũ adhiberi volumus 1. partes corporis vngendę ſunt tantum, quas veluti ſenſuum, inſtrumenta natura homini attribuit, vt oculi, renes, nares, os, manus, & pedes; renes quoque, ſeu lumbi virorum, qui commodè moueri poſſunt; curent autem ægrotantis propinqui partes vngēdas, atque illas pręſertim, quę ſordes faciliùs contrahunt ante ſacram vnctionē vt abluantur.

1 Quintan. de extrem. vnct. ſing. 6.

17 Renuum vnctio in mulieribus omittenda omninò eſt, in viris quoque ſi commodè moueri nequeant; & ſi aliqui doceant loco renuũ vngi debere pectus, nos pręde ceſſorum noſtrorum veſtigijs inhęrentes, id prohibemus.

18 Partibus corporis quę geminę ſunt, vt oculi, nares, aures, manus, & pedes ſub vnica verborum forma, & dupplici crucis ſigno vnctio adminiſtretur; itaque ne in altero tantum membro, ſed vtroque vngendo totam formam expleat.

19 Singulis membrorum vnctionibus detergendis nouus adhibeatur bombix, aut lana; quod ſi quis aliquo membro ſit mutilus, vt manu, vel pede, brachij pulſus, aut tibię pars propinquior ſacrum oleum ſub illius forma recipiat.

Quam-

20 Quamuis autem in Rituali Romano diſtinctè omnia doceri ſciamus, quę ad rectam huius ſacramenti adminiſtrationem faciunt, eaque omninò ſeruari iubeamus; nihilominus, vt in hac noſtra Synodo nihil eorum deſiderent Parochi, quibus ſuum rectè munus obire addiſcant, formas etiam, quibus in vnaquaque vnctione, & quo ordine vti debent, hic ſubijciemus.

21 Ad oculos igitur obliniendos hęc ſancta, & deprecatoria verba proferuntur. Per iſtam ſanctam vnctionem † & ſuam pijſſimam miſericordiam † indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti. ℟. Amen.

22 Cęcus etiam à natiuitate vngendus eſt propter concupiſcentiam 1.

23 Ad aures. Per iſtam ſanctam vnctionem † et ſuā pijſſimā miſericordiam † indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti. ℟. Amen.

24 Ad nares. Per iſtam ſanctam, &c. quidquid per odoratum deliquiſti. ℟. Amen.

25 Ad os compreſſis iam labijs. Per iſtam ſanctam, &c. quidquid per guſtum, & locutionem deliquiſti. ℟. Amen.

26 Ad manus. Per iſtam ſanctam, &c. quidquid per tactum deliquiſti. ℟. Amen.

27 Cum adeò mors inſtet, vt ad explendas modo cōſueto diſtinctas vnctiones tempus non ſuppetat, ſi Sacerdos quinque vnctionibus, ſeu quot poterit celeritèr peractis formas omnes in hoc compendium redigat. (Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti:) & intentionem conditionatam habeat, cum pia Theologorūm ſententia non damnat. 2 qui addunt poſſe in tali caſu infirmum ſub

1 Em. Sà v. extr. vnct. n. 13. D. Tho. Val. Sot. Petr. Sot. Viuij apud Sa.

2 Tamb. de extr. vnct. c. 1. § 2. & 3. Caſtrop de extr vnct. pu. 3. nu. 7. Laym. & alij apud Caſtr.

ſub conditione inungi in ſenſu magis obuio; v.g. in capite pronunciante Sacerdote celeritèr formam quinque corporis ſenſus exprimentem. Cæterum in huiuſmodi imminentis mortis caſibus extremis plures adhiberi Sacerdotes, quorum vnuſquiſque ſuas vnctiones peragat, & propriam proferat formam non eſt prohibitum; nullo tamē pacto poteſt alter inungere alio formam proferente 1; quod ſi qui vnctionem cepit Sacerdos ad alias progredi non valeat, ne ſacramentum imperfectum maneat, quod reliquum eſt ab alio ſuppleatur Sacerdote 2.

1 Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 44. ſec. 2. & 3. Conim. diſ. 19. dub. 9. fine. Hur. de extrem. vnct. diſ. 12

28 Si in ipſa vnctione mori infirmum accidat, Presbyter vltra ne procedat; ſi periculum immineat, vt dictū eſt, omiſſis precationibus citò vngat; ſi dubitetur an viuat, ſub conditione id præſtet, formam cum conditione proferendo ſaltem, *ſi es viuus per iſtam ſanctam vnctionem, &c.*

2 S. Tho. & alij quos vt & ſequitur P. Su. de ex trem. vnct. n. 10.

29 A Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano VIII. permiſſum eſt vt in triremibus portu conſiſtentibus ſacrum oleum aſſeruetur; ideoque notum hic omnibus Parochis eſſe nolumus, vt ſi quando occurrit caſus in illis moribūdo non denegent.

30 Niſi aliud imminens periculum dictet, hoc venerandum oleum poſt primam noctis horam, & ante ſolis ortum ad ægrotos non deferatur; at ſi neceſſitas vrgeat quauis diei, noctiſque hora parati inueniantur, nullamque faſtidij ſignificationem vocati dent, ſciantque ſi eorum culpa infirmus ſine hac ſacra vnctione deceſſerit, per menſem ſuſpenſionis pœnam eos incurrere. Quoties infirmus eſt ità morti proximus, vt vehementer dubitetur poſt ſumptā Euchariſtiā temporis anguſtias non daturas locū redeūdi ad Eccleſiam ob ſacrum deferēdum oleū, tunc poterit illud ſecum cum vaſe euchariſtico deferre.

Si

31 Si ſenſuum vſu ægrotum pollere videat Sacerdos cum breuibus, ſed efficaciſſimis verbis ad fidem, ad patientiam, & cum diuina voluntate conformitatem, doloremque peccatorum adhortetur, vtque bono animo ſit, eumque à terrenis ad cœleſtia abducere ſtudeat tranſiturum in domum æternitatis, innuatque præcipuum illius ſacramentalis gratiæ effectum, nempe vnctionem Spiritus Sancti, per quam ſi adhuc expianda remanent peccata venialia, imò etiam mortalia abſterguntur; vnde communis Theologorum ſententia docet: ſi quis bonafide putans ſe eſſe in gratia, cum re vera in mortali ſit, hoc ſacramentum attritus recipiat, eius peccati remiſſionem obtinet, propterea dicitur auferre reliquias peccatorum. Deinde verò vnctione peracta per quam pauciſſimis conſoletur infirmum, ſuamque opem in tam periculoſo agone, & præſentia, & ad Deum precibus non defuturum deſpondeat, interim in Redemptoris noſtri Crucifixi vulneribus eum ad tutamen, & medelam relinquere dicat, eius venerandam imaginem, quam ipſe tulit, ſi aliam eius domeſtici non habuerint, propè moribundi caput reponat, & ibidem continuò ſeruandam curet, & aſſiduè moribundo adeſſe, vt eius animam Deo in extremo periculo conſuetis Eccleſiæ ſupplicationibus commendet.

32 Et quoniam nimia nonnullorum miniſtrorum auiditate non ſæpè accidit, vt candelæ, quæ ſupra menſam ad huius ſacramenti maiorem reuerentiam accendebantur, illis ſpontaneè offerrētur, nunc iure debito requirantur etiam in pauperrimis domibus, ne eas, aut quid aliud ob huius ſacramenti collationem exigere præſumant ſub pœna excommunicationis præcipimus; ſi tamen eis aliquid vltrò, & eleemosynæ titulo tribuatur, accipi poſſe non denegamus.

DE-

DECRETVM OCTAVVM

DE SACRAMENTO Ordinis.

1 ORdinem, ſiue ſacram ordinationem verè, & propriè eſſe vnum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ ſacramentis à Chriſto Domino inſtitutum 1 de fide habemus; atque præter Sacerdotium eſſe alios ordines maiores, & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium, & Epiſcopatum aſcenditur.

1 Trid. de ref. ſeſſ. 23. c. 5.

2 Vt igitur ſacramento hoc ritè inaugurentur ij, qui in ſortem Domini, eiuſque vineæ operarij eliguntur, hæc diligentiſſimè erũt obſeruanda, quæ ex Sac. Canonibus, ſanctorumque Præſulum inſtitutionibus, & huius diœceſis perantiqua cõſuetudine deprompta præſcripſimus.

Cap. I.

De Ordinatione Generali.

3 Præcipuum hoc in Eccleſia Dei negotium, vt, qua par eſt, religione tractetur, atque ijs dumtaxat tantum miniſterium credatur, qui illius dignitatem inconcuſſa morum, & doctrinæ integritate ſuſtineant, die dominico ordinationem generalem præcedente, Parochi, atque ſacramentalium Eccleſiarũ præfecti, curatique ſupplicationes, & litanias habeant ad præſentiſſimam Dei optimi maximi opem exorandam; quod ſi quis eorum id neglexerit à nobis grauiter puniendum eſſe ſciat. Regularibus quoque vt eodem tempore, præſertim in publico choro, ſuas ad Deum preces fundant enixè obteſtamur.

Statim

4 Statim ac generalis ordinationis edictum recipit Vicarius Foraneus, ſeu qui eius ſubit munus eorum, qui ad illam acceſſuri erunt, notitiam habeat, illorumque nomina in Eccleſia ſua quemque Parochum, vel Curatum, vel ad quē ſpectat, inter miſſarum ſolemnia pronunciare iubeat, vt ſi quid habeant auditores aduerſus aliquem eorum, qui in ſacris ordinandi erunt, tum quò ad mores, tum quo ad patrimonij, aliorumque requiſitorum defectus, Vicario, hic vero nobis ſtatim denunciet; quod ſi ſecùs euenerit, fraudis præſumptio in ipſum Vicarium retorqueat, & pœna pro grauitate delicti repetatur; quapropter iuxta Conc. Trid. decretum 1 initiandos omnes ſi Vrbis, aut Villarum adiacentium incolæ fuerint, vno circiter ante ordinationem menſe nobis, aut noſtro Vicario generali ſe ſiſtere iubemus, reliquos verò diœceſanos quindecim circiter ante diebus ſuum Vicarium foraneū, nos autem, aut noſtrum Vicarium Generalem octo ſaltē diebus conuenire præcipimus, vt quæ ad eorum ordinationem neceſſaria ſunt matura diligentia diſquirantur: cū moneat Apoſtolus 2: Nemini citò manum impoſueris.

1 ſeſſ. 23. c. 5.

2 1. d. Timot, Epiſc. c. 5.

5 Nemo ad ordinationem accedere præſumat, qui de poteſtate, & exercitio ordinis, ad quem promouendus eſt, non ſit benè inſtructus, atque morum bonum teſtimonium à ſuo Parocho, & ſufficientis doctrinæ à magiſtro ſcholæ non habeat, & à Vicario fidem, qua illum neque in ſua, neque in ſeculari Curia tunc ob aliquod delictum irretitum eſſe teſtetur, ipſorumque parochi, magiſtri, & Vicarij conſcientiam onerantes, ſeriò præmonemus; quod ſi in re tanti momenti, vel negligenter vel dolosè ſe geſſerint, exemplari pœna in eos animaduersū iri.

6 Ne autem hic deſint quæ ad ordinandorum neceſ-

ſariam eruditionem iudicamus, & in examine percontabimur, de ſingulis ordinum gradibus hæc diſtinctim ſubijcere viſum eſt.

Prima Tonſura.

7 Prima tonſura eſt quædam ſpecialis deputatio ab Epiſcopo facta ad canendum pſalmos in choro, vndè pſalmiſta dicitur, & ad Eccleſiæ inſeruiendum: propriè ordo non eſt, ſed ianua ordinum; idcircò propriam materiam, aut formam non habet, ſed dici poteſt loco materię eſſe Capillorum abſciſſionem, & veluti formam illa verba ab Epiſcopo ſimul cum tonſurato prolata nẽpe: *Dominus pars, &c.*

8 Eſt autem tanti in Eccleſia Dei huiuſmodi deputatio, vt vel ſola prima tonſura initiatus beneficiorum eccleſiaſticorum rectè ſit capax, atque Clericalis fori, canoniſque priuilegio munitus, & ſine ea nemo ad ordines idoneus; quę nec ante ſeptennium & iuxtà Tridentinam ſanctionem 1 conferri nullatenus debet ijs, qui ſacramẽtum confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non ſint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

1 ſeſſ 23. c. 4

9 Atque hic impetrare à nobis non poſſumus, quin vnde ſtatus Clericalis per ſummam Eccleſiæ iniuriam, & dedecus in præceps ruit in dies exponamus, vt pro ſua quiſque virili parte reparare, atque ad priſtinam dignitatem reſtituere incumbat; ſcilicet non vt fidele obſequiũ Deo præſtent ipſi ordinandi clericatum eligunt, ſed eorum potiùs parentes, aut ſanguine coniuncti, vt de ſuorum

rum clericatu ſordidum quæſtum faciant, legitimis vectigalibus Rempublicam defraudent, atque ad ſuorum creditorum ludificandum ius, rem omnem ſuam, ſeu potiorem partem domeſtico Clerico iamdudum conceſſam publico inſtrumento demonſtrent; illumque, etiam puerum, adminiſtratorem, & dominum abſolutum ſine vlla veriſimilitudine habendum eſſe contēdant; quapropter, vt huic grauiſſimo incommodo occurramus, tum etiā è contra illorum reprimamus temeritatem, qui minoribus ordinibus inaugurati cū magno ſtatus clericalis dedecore ad pauperrimam vitam alendam mendicare, aut indignis occupari coguntur officijs, hæc, quæ ſubdūtur, ſanctè, inuiolabiliterque ſeruanda decreuimus.

10 Poſthac prædiuitū primogeniti, de quibus nulla probabilis coniectura eſt eos in ſtatu eccleſiaſtico permanſuros, neue illi, qui ſufficiens beneficium, aut patrimonium ad congruam ſuſtentationem non habent, ad primam tonſuram, aut minores ordines admittantur; nec denique hi, quos ingenium, & ſcientiæ ſpes fore vt ad ſacerdotium gradum faciant non promittit.

11 Secundo eos omnes, & ſingulos in Domino monemus, qui iamdudum prima tonſura, vel etiam minoribus ordinibus initiati ſunt, vt propriæ vocationis memores, vbi ætatis annum vigeſimumquartum expleuerint ad ſubdiaconatus, ſuis deinde ſtatutis tēporibus diaconatus, & Sacerdotij ordinis adſcribendos curent infra annum ab huius Synodi promulgatione computandum; quod ſi renuerint, aut neglexerint, contra ipſos iuxtà ſacrorum Canonum, præſertim Tridentini decreta agemus, atque ſolitis vectigalibus, ſeu, vt dicunt, franchitijs, priuabimus 1.

1 Syn. Pan. 1652. p. 2. n. 95.

De Ordinibus Minoribus.

12 Cæterum ad quatuor minores ordines, nempe ad oſtiariatum, lectoratum, exorciſtatum, & acolytatū ætas maturior, & maior ſcientia requiritur, quam ad ſolam primam tonſuram obtinendam.

13 Et quidem licèt nonnulli Doctores probabiliter teneant requiri pro minoribus annum ætatis decimumquartum, nos tamen mitiorem, probabilioremque ſententiam ſequentes, ad oſtiariatum, & exorciſtatum non promouebimus; niſi quem nonum ætatis annum iam cõpleuiſſe, & in lingua latina mediocriter verſatum eſſe nouerimus; ad exorciſtatum verò, & acolytatum eos ſolos, qui duodecimum ætatis annum explerunt, & latinam linguam intelligunt.

14 Ad minorum igitur ordinum promotionem nemo in poſterum accedere audeat, qui hac ætate, ſcientia, atque ratione viuendi caret; inſuper præter teſtimonium Magiſtri Notarij, & ſcholæ, afferre debet & Parochi, ſeu Vicarij de ſeruitio Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, ſtatutis diebus exhibito, ſuper quo conſcientiam Parochorum, ſeu Vicariorum oneramus; benè enim percepimus perquam pauciſſimos Clericorum ſuę Eccleſię famulatui operam dare, & nihilominus omnes quotquot ad viteriores ordines admittendi accedunt, vel vbi, quoad Canonis, forique priuilegiū, moleſtiā auertere volunt; ampliſſima ſui Parochi teſtimonia de frequenti ſeruitio facillimè obtinent, & demonſtrant.

15 Præmonitum quoque volumus neminem ad examen admittendum eſſe, niſi tempore condicto decēti habitu Clericali, & tonſura compareat, atque teſtimoniales lite-

literas prædictas cum autentica fide ordinum ſuſceptorum exhibeat; quod ſi regulares ſint, ſcriptum teſtimonium ſuorum ſuperiorum, ad quos iuxta vniuſcuiuſque religionis conſuetudinem ſpectat, afferant de profeſſione emiſſa, de ætate, ſcientia, vita, & moribus, in quo dictorum ſuperiorum conſcientiam grauamus, iuxta regulam Clem. VIII. 1. 15 Martij 1596.

16 Qui examinati ſunt, hora veſperarum diei præcedentis generalem ordinationem, adſint in atrio noſtri palatij, aut in Eccleſia Cathedrali, vt recognoſcantur, & certiores fiant de ordine, ad quem approbati præparari debeant. Sequenti verò mane quotquot inagurandi ſunt accedant cum ſuis cereis, ſeu intorticijs ad normam Pontificalis Romani, atque ita diſpoſiti, & ſacramentali confeſſione expiati, vt à nobis diuinum cibum capeſſere queant: quod ſi neglexerint ſuſcepto ordine ſuſpenſi maneant.

De Subdiaconatu, & Diaconatu.

17 Ordini ſubdiaconatus adſcribendi, iuxtà ſacrorum Canonum, præſertim Tridentinæ Synodi decreta, exhibeant titulum eccleſiaſtici beneficij, exprimendo verum eius valorem, & pacificam poſſeſſionem; ſciantque neminem in poſterum ſacris initiãdum fore ad titulum Capellaniæ, niſi ſit pinguis, ideſt, quæ poſſit equiualere patrimonio, & beneficio miſſæ; neque etiam ad titulum patrimonij, niſi de vtilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, cui inſeruiendum eſt, legitimè conſtiterit; ideoque eo præcedenti tempore, quo huiuſmodi promouendos ſe nobis ſiſtere oportet, publica, & authentica inſtrumenta noſtro Magiſtro Notario, vel cui curam hanc ſpecialiter

demandauerimus demõſtrent, ex quibus iuridicè liqueat, & quod patrimonium cum effectu realitèr, & pacificè poſſideant ſine vlla contradictione, obligatione, aut hipoteca, & ſatis ſit ad eius honeſtam ſuſtentationem; atque demum ad fugiendam omnem fictionis, & falſitatis ſuſpicionem, publico comprobent inſtrumento, in quo vtraque pars iuret expreſsè, atque etiam tribus fide dignis teſtibus iuratis confirment donationem illam, ſeu aſſignationem veram eſſe, & realem, eaque bona ad annuos redditus requiſitos ſufficere, etiam in caſu, quo ille Sacerdos miſſas celebrare non poſſet, nec non ibidem conſtare debet ea, quæ pro patrimonio aſſignata eſt ſumma, quotannis deducta, ſupereſſe parentibus, aut eis, qui illud tradiderunt, vnde pro ſuæ conditionis ſtatu viuant.

18 Porrò valorem beneficij, aut patrimonij prædicti pro noſtra diœceſi eſſe declaramus vnciarum ſaltē duodecim, ſeu aureorũ triginta ſingulis annis facillimè exigibilium; circa cuius Patrimonij aſſignationem illud in primis maximè aduertendum eſt, vt nullum pactum, aut contractus inter donantem, ſeu aſſignantem, & ordinãdum ineatur ipſum patrimonium retrouendendi, cedendi, ſeu tantumdem annuatim ſoluendi, niſi cauſa mortis, & de noſtra in ſcriptis licentia; huiuſmodi enim pacta, atque contractus ex nunc pro tunc auctoritate, qua fungimur, & ſacrorũ canonum veſtigijs inhærentes, irritos, nulliuſque valoris eſſe declaramus, & notarios contrahẽtes, qui talia pacta, & contractus confidentiales, vt vocant, ſeu fictitios, inire auſi fuerint, in excommunicationem latæ ſentiæ ipſo facto incurriſſe, aliaſque noſtro arbitratu pœnas daturos, ipſoſque ordinatos à ſuſceptis ſuſpenſos remanſuros, nec ad vlteriores promouendos eſſe monemus.

Non

19 Non modò cum ad ſubdiaconatum quis aſpirat ſcripturas ad patrimoniū prædictum, vel æquiualens beneficium concernentes omninò perfectas proferre debet noſtro deputato quindecim minimum dies, ante ordinum collationem diligenter examinandas; ſed etiam ante ſuſceptionem diaconatus, & ſacerdotij, quo tempore afferendæ ſunt ſchedulæ, aut inſtrumenta indicantia poſſeſſionem iam initam patrimonij, atque vſumfructum ipſius eſſe perceptum.

20 Patrimonia deinceps ſine noſtra licentia alienare, ſubiugare, extinguere, remittere, vel retrodonare nullatenus poteſt Clericus, donec nobis conſtet beneficium eccleſiaſticum ſufficiens eum eſſe adeptum, vel aliunde habere, vnde viuat; qui ſecus fecerit, in pœnam ſuſpenſionis incurrat.

21 Si ante annum à ſuſceptione acolytatus ad ſubdiaconatum promouendus aduenerit, repelletur, niſi fortè aliud expoſcere Eccleſiæ vtilitatem, aut neceſſitatem intelligemus; quod quidem vt rarò contingat quantum in nobis erit conabimur, ſic etiam ſubdiaconos, ad diaconatus gradum aſcendere, niſi per annum ſaltem in eo verſati ſint, & ſimillimas teſtimoniales litteras exhibuerint, non permittemus.

22 Eorum autem, qui ſacris initiandi ſunt ordinibus, examen præſertim erit, vtrum benè percipiant, quæ in Cathechiſmo Romano, Tridentina, & hac noſtra ſynodo, atque in lectionibus tum miſſalis, tum breuiarij continentur, itemque omnia ea, quæ ad ſui officij rectam adminiſtrationem ſpectant, & horarum canonicarum recitationem?

23 Ad præsbyteratus ordinem promouendi eo tempore, modo, atque cum teſtimonialibus litteris, de quibus

bus ſuprà, ſe nobis ſiſtant, nec priuſquam vigeſimum quintum annum attigerint. Examinabuntur circa intelligentiam eorumdem librorum, quibus ſubdiaconi, & diaconi; videndum præterea eſt num rectè nouerint quatenus poteſtas circa corpus, & ſanguinem Chriſti, atque ad abſoluendum peccata, quam in hac conſecratione accipiunt, extendatur? num eas literas habeant, & prudentiam, quibus docere populum valeant; & quæ ad ſalutem ęternam ſunt neceſſaria? ſciantque adminiſtrare ſacramenta, vbi opus fuerit? num denique dubia fortè in celebratione miſſæ occurrentia ſciant reſoluere?

Cap. II.

MONITA GENERALIA

Pro Ordinatis.

24 Quilibet in ſacris conſtitutus interſit ſemel ſaltem in hebdomada lectioni caſuum conſcientiæ, quæ in Cathedrali, vel Parochiali Eccleſia ad id deſtinata, aut alibi habebitur; eiuſque rei ad vlteriores ordines promouendus fidem in ſcriptis afferat, qua ſi Sacerdos caret, nunquam confeſſiones audiendi facultatem, aut huius confirmationem, ſeu prorogationem à nobis exorabit, & ille ab ordinatione repelletur.

25 Ne minorum ordinum ſubdiaconatus, & diaconatus functiones tāquam otioſæ ab Hæreticis detractētur, omnibus promotis ſub pœna priuationis exemptionum à gabellis, alijſque noſtro arbitratui reſeruatis præcipimus, vt in Eccleſijs adſcriptis diebus feſtiuis ſaltem ſolemnibus inſeruiant, atque in officijs ſuorum ordinum

ſanctè

ſanctè ſe exerceant; qui verò certę Eccleſiæ ſeruitio addicti non ſint, aut ſodalitijs Societatis Ieſu diebus dominicis, & feſtis non adſunt ad Cathedralem in Vrbe, ad parochialem verò Eccleſiam, cui ſubſunt, aut ad quam Vicarius foraneus in ſcriptis aſſignauerit, ijſdem diebus accedunt, ſuperpelliceo induti vt mane miſſæ ſolemni; ſerò autem ad veſpertinas horas canendas choro præſto ſint.

26 Ad Præsbyteratus ordinem promoti miſſam nec publicè, nec priuatim celebrabunt, niſi de eius ſeruandis ceremonijs ab eo, quem deputauerimus, perbenè fuerint eruditi, nec ſine noſtra, aut Vicarij generalis facultate in ſcriptis danda; cui mandato ſi quis inobediens extiterit, viginti vnciarum mulctam ad pia opera ſubleuanda ex noſtra deſignatione dabit.

Cap. III.

De Teſtimonialibus literis, quas ſinguli initiandi afferre debent.

27 Prima tonſura initiandus ad examen nõ accedat, niſi ſecum habeat litteras autẽticas noſtro Vicario generali, aut ei cuius diligentiæ, & integritati id munus demandauerimus exhibendas, quibus certò conſtet legitimo matrimonio natum, aut quibus oſtendat ſecum eſſe ſuper natalium impedimento diſpenſatum, itemque cõfirmationis ſacramento munitum eſſe, quæ ſanè omnia teſtari ad Parochum proprium pertinet; quod ſi fortè huiuſmodi fides haberi nequeat, quia vel nota in libro, aut ob Parochi negligentiam, aut aliud infortunium non extat, ſeu quęuis alia neceſſitas expectare non permittat,

tunc tres minimum teſtes idoneos producat, qui iurati affirment ſe initiandum cognoſcere; eiuſque parentes legitimo matrimonio coniunctos, ipſumque pro ſuo legitimo, ac naturali filio habere, idque ab omnibus, qui eos nouerint, puplicè reputari.

28 Secundò: ſcriptis item autenticis comprobandum eſt, niſi aliàs notorium fuerit, eum eſſe diœceſanum, aut ratione originis, aut beneficij, aut denique diuturni domicilij iuxtà ſacrorum Canonum ſanctiones; & quidem beneficium rectè probabitur ſi bullæ exhibeantur, aut prouiſio beneficij, atque inſtrumenta publica, quæ de pacifica illius beneficij poſſeſſione teſtentur, origo conſtabit; quemadmodum ſupradiximus de legitimis; ad probandum autem domicilium litteræ afferantur magiſtratus illius Ciuitatis, vel Oppidi vbi commoratur, quæ expreſſam, atque indubiam fidem faciant de tempore, & occaſione, ob quam initiandus illùc ad habitandum venerit.

29 At noſtri diœceſani ſi longè diſtent, & dimiſſorias à nobis exorare velint, debent ad nos teſtimonium ordinarij loci, vbi diù degerint mittere, qua ſcriptura per teſtes fide dignos, atque per illam Curiam ſpiritualem examinatos, eorum mores, atque vitæ honeſtas probetur, ſecus dimiſſorias literas non obtinebunt.

30 Tertiò: omnes teſtimonium afferant in Eccleſia Parochiali, atque etiam in Eccleſia matrice, ſi ex ea Ciuitate, aut Oppido fuerint, in quo ea ſit, publicationem de ſua futura promotione inter miſſarum ſolemnia, cum populus frequens fuit, factam fuiſſe iuxtà ſuperius decreta, quod ad Parochum, vel loci Vicarium teſtari incumbit.

31 Quartò: bonum à magiſtro ſcholæ, in qua vt plurimum

rimum inſtructus eſt, teſtimonium habeat, nimirum & gymnaſium frequentaſſe, atque in litteris profeciſſe.

32 Quinto: ſi maior ſit annis quatuordecim ſcriptam atteſtationem tum à Magiſtro Notario Curiæ ſecularis, tum Eccleſiaſticæ obtineāt, qua certiores fiamus illum in neutro tribunali criminis alicuius reum eſſe, aut ære alieno grauatum, neque militiæ adſcriptum; neque demum vnquam in iudicium vocatum ob infame aliquod ſcelus.

Pro ordinibus minoribus.

33 Præter ea, quæ hactenus numerauimus, teſtimonia prima tonſura initiandis omninò neceſſaria, hæc etiā in ſcriptis afferre debent ad minores ordines promouendi, nimirum primæ tonſuræ, aliorumque ſuſceptorum ordinum litteras. Secundo Curati, aut Rectoris illius Eccleſiæ cui aſſignati fuere, aut patris illius ſodalitatis Societatis Ieſu, quam frequentarunt; ſpeciatim verò in ijs explicetur quamdiu, quantauè cum religione, & diligentia ſe exercuerint in ijs miniſterijs, quæ ad præhabitos ordines pertinent.

34 Item à Vicario loci autenticam fidem habeant ſe eo habitu, quo decet, & tonſura inceſſiſſe. Tertio ab eodem, vel à Parocho, aut Præceptore ſemel ſaltem, aut iterum in menſe pœnitentiæ, & communionis ſacramēta ſuſcepiſſe ſex preſertim menſes ante ordinationis, quā petunt, diem.

35 Quamuis exorcizādi poteſtas ſingulis in collatione ordinis exorciſtatus tribuatur, abſque noſtra tamen facultate in ſcriptis expreſſa id nemo exercere valeat; ſi quis ſecus fecerit, pœnam excommunicationis ipſo facto nouerint incurriſſe.

Pro Sacris Ordinibus.

36 Ad hos ſuſcipiendos non modò prędictę teſtificationes proferri debent, verum inſuper requirimus iuxtà Tridentini monita 1, vt de Subdiaconis, & Diaconis cōſtet diebus Dominicis, atque ſolemnibus cum altari miniſtrauerint, vel ſaltem bis in mēſe, eos ſacrā communionem percepiſſe, item quod eorum vita talis fuerit, vt caſtitatem fore vt ſeruent probabilis ſit coniectura; nec nō cantui Eccleſiaſtico eos operam dediſſe; quas fides Vicarius, aut Parochus primarius gratis ſcribet.

1 ſeſſ. 23. c. 13.

37 Caueant autem quam diligentiſſimè ij, ad quos has litteras dare actinet, ne falſitati fidem adſtruāt; quod ſi quis temerè id auſus fuerit, præter eas, quæ à Sacris Canonibus contra eiuſmodi miniſtros ſtatutæ ſunt, vnciarum decem pœnam dabunt, valeatque contra tantæ infidelitatis reos ſemper fiſcus principaliter agere.

38 Huiuſmodi teſtimonia, de quibus hactenus locuti ſumus, ideſt de moribus, ſacræ pœnitentię, & communionis frequentatione, functionibus, Eccleſię ſeruitio, ſtudio litterarum, habitu, atque tonſura Clericali à Vicario, à Parocho, vel Curato, & à magiſtro ſcholę, vel à quocūq; ad quē id ſpectauerit, gratis omninò fiant, pręter chartā, & ſcriptionis laborem, ſub pœna vnciarum quatuor Eccleſijs pauperioribus diſtribuendarum; alia verò teſtimonia, videlicet de publicationibus, & baptiſmo, vbi conſuetudo eſt, vt pro his nihil ſoluatur, gratuitò item concedantur; vbi verò aliquid accipiendi cōſuetudo inualuit, tareno pro ſingulis teſtimonijs amplius ne exigatur.

39 Pro examinandis autem teſtibus qualibet prędi-

ctarum

ctarum cauſa Vicarij, aut Curati nihil accipiant. At magiſtris notarijs iuxtà Curię Epiſcopalis pādectas granos quatuor pro ſingulis teſtibus accipere permittimus, qui ſecus fecerit, ſinguli vnciarum ſex, & ſuſpenſionis ab officio, Epiſcopi arbitrio, pœnam incurrant.

40 Præter eos, qui ad primam tonſuram admitti poſtulant, omnes cum bireto, tonſura, talarique tunica decenti ſe ſiſtant examinandos; ſecus excludantur.

41 Demum quotquot ordinibus inaugurādi ſunt monitos etiam atque etiam volumus, ne ea de cauſa ad nos litteras commendatitias dandas curent; aliàs pro ea vice ad illos ordines ſuſcipiendos inhabiles declaramus. Examinatores quoque munus aliquod ab ordinādis ante, vel poſt ordinationem accipere ſub excommunicationis latę ſententię pœna prohibemus.

42 Vt Sacerdotis immortale beneficium perpetua memoria recolatur, ęquum eſt quotānis eo, quo presbyter die inauguratus fuit, in gratiarum actionem ſacrificium Deo offerre, vberemque opem ad illud ſanctè, religioſèque exequendum implorare.

Pro ordinandis Regularibus.

43 Sciant regulares omnes Epiſcopis à Tridentino 1 iniunctum eſſe ne eos ſine diligenti examine; aut in minori ætate, ac pro non regularibus requiritur, ordinent, priuilegijs quibuſcumque, quo ad hoc pœnitus excluſis. 1 ſeſſ 23. de reſor. c. 12.

44 Patentes litteras, cæteraque teſtimonia ad ordinū ſuſceptionem neceſſaria, præſertim emiſſæ iam profeſſionis iuxtà conſtitutionem Clementis VIII. 2 à ſuis ſuperioribus prouincialibus afferant, qui ſi rationabilem cauſam habebunt, cur non ſeruatis temporum interſtitijs 2 die 15. Mart. 1596.

pro-

promoueri poſtulét, expreſſam in ſui facultatibus velint, vt poſſimus, & nos quid ſuper ea diſpenſatione agẽdum ſit, in Domino deliberare.

45 Quod ſi ab aliena diœceſi ad noſtram ordinationem obtinendam aduenerint, autentico comprobandũ eſt teſtimonio in ſua ipſorum diœceſi, & qua de cauſa, tunc temporis ordinationem non haberi.

Cap. IV.

De impedimentis ab Ordinatione.

46 Quamuis paſſim in ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino numerentur impedimenta, quibus nonnullis interdictum eſt ad ordines promotionẽ; ne verò ignorãtia à quoquam per fraudem, dolumuè allegetur, hic ſũmatim canonica impedimenta ſubſcribere iuuat: ea autem præſertim ſunt: ſi minores natu ſunt, quam ad ordinem ſuſcipiendum requiritur, ſi ſacramento chriſmatis non dum inuncti, ſi rudes, & ignari, criminoſi, ſolemniter pœnitentes, neophyti, bigami, ideſt ſi mortua prima vxore alteram duxerint, aut etiam ſi cum vidua, vel ab alio corrupta matrimonium olim inierint, vel cum ſua vxore adultera ſcienter rem habuerint, aut voto ſolemni caſtitatis addictam duxerint; ſi corpore vitiati notabiliter ſint, aut facie multum deformes, ſi homicidio quoquomodo operam dederint, aut membrorum mutilationi, ſi ebrietati, aut gulæ dediti, impudici, periuri, vſurarij manifeſti, apoſtatæ, ſimoniaci, ſi infames, ſi ratiocinijs obligati, illegitimè nati, peregrini, & ignoti, præſertim vltramontani, ideſt qui vltra montes Alpium nati ſunt, quales ſunt Hiſpani, Luſitani, Galli, Germani,

Angli, &c. de quibus Vltramontanis extat bulla Vrbani VIII. 1. per quã hi nequeunt in Italia ad maiores, imò neque ad minores, & primam tonſuram ſine dimiſſorijs ſui ordinarij, quæ debent omninò eſſe recognitæ, probatæ, & ſubſcriptæ à Nuncijs, ſeu Collectoribus apoſtolicis commorantibus in loco, vnde ordinandi profecti ſũt, & inſuper debent eſſe recognitæ à Vicario Generali Vrbis Romanæ, ſub pœnis in eadem bulla inflictis ab Vrbano VIII. Cui quidem conſtitutioni nõ ſubiacere vltramontanos regulares, qui in Italia ordinibus initiari flagitant, tenet communis opinio 2, & addit ita fuiſſe deciſum Florentiæ; quare huiuſmodi Regularibus ad id ſatis eſſe dimiſſorias ſuorum Prælatorum arbitramur.

1 16 4. 11. Decẽb quã p r ext. ſũ aff rt Marc. de ordine.

2 cũ citato March. n. 17 & P. Tamb. lib 7. de ordine c. 8 n. 6

47 Impedimentum quoque eſt ordinationis ſi extra tempora ſine legitima diſpenſatione, aut per ſaltus quis præcedentes ordines ſuſcepit, ſi ſine ſufficienti patrimonio, aut beneficio, vel alio à ſacris Canonibus approbato titulo, ſi aliqua cenſura irretitus eſt, ſi energumenus, aut amens, etiam ſi dilucida, ut aiunt, rationis interualla quandoque videatur habere, ſi morbo caduco, aut aliæ infirmitate laboret à ſacris Canonibus prohibita, quæ ſi eſſet ſecreta tenetur nobis manifeſtare, vt quid magis in Domino expedierit, deliberare poſſimus; ſi militauit in bello, in quo hominum cœdes extiterint, ſi cõiugatus, aut ermofrodita eſt, ſi irregularis quouis alio modo, ſi medicinam fuerit profeſſus, aut Iudicis criminalis in foro laicali officium adminiſtrarit, ſi capitis ſententiam tulerit, aut criminis, cuius nomine quis capite damnatus ſit, acta, teſtificationeſque tanquam notarius ex officio conſcripſerit, vel in eadem cauſa teſtis, procuratoris, & Aduocati fiſcalis, ſeu particularis contra reũ, munus exercuerit; denique non examinatus, & non approbatus.

Si-

48 Si verò regularis ſit ordinandus vltra prædicta, de quibus ſui Superiores Prouinciales ad nos, vt dictum eſt, teſtimonium mittere debent; eorum enim in Domino conſcientiam oneramus; etiam diligenter aduertendum, an in religione, cuius inſignia, & veſtes præferũt, profeſſionem de more emiſerint?

49 Si quis aliquo ex ſupra enumeratis impedimentis ligatus auſu temerario, & fraudulento ad ordines ſuſcipiendos acceſſerit, ab eorum ordinum, ad quos promotus fuerit, functione ipſo iure ſuſpenſum remanere, & ſi adminiſtrare in ijs non ceſſauerit, aliam, nouamque irregularitatem incurrere declaramus.

50 Abbates quoque regulares, alioſque quantumuis exemptos benignè commonemus, vt Tridentinæ Synodi 1 ſanctionem obſeruent, qua cautum eſt non poſſe intra fines noſtræ diœceſis, etiã ſi nullius diœceſis, vel exẽptus eſſe dicatur, cuiquam, qui regularis eiſdem ſubditus non ſit, tonſuram, vel ordines minores conferre, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

1 ſeſſ. 23. c. 10.

51 Ordinationis Cãcellarius qui ferè ſemper erit noſter à ſecretis amanuenſis librum habeat, in quo diligẽter Clericorum omnium tam ſecularium, quam regularium, qui à nobis prima tonſura, aut aliquo ordine initiatus eſt, nomina, cognomina, patriam, diem, locum, & titulum beneficij, vel patrimonij, & ſi alterius ſit diœceſis, etiam illa ponatur, atque horum litteras dimiſſoriales conſeruet; quę omnia ſingulis chalendis Ianuarij Archiuario principali noſtræ curię tradat in archiuio ad perpetuam memoriam ſeruanda.

DE-

DECRETVM NONVM

DE SACRAMENTO Matrimonij.

1 LEgitimum, honeſtumque ab ipſis naſcentis Orbis primordijs matrimonium eſſe, eiuſque nexũ inter virum, & mulierem perpetuum, atque indiſſolubilem primus humani generis parens diuini ſpiritus inſtinctu nunciauit, cum dixit 1. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrẽ ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna* 2.

1 Gen. 2.

2 Inſtitutum quidem à Deo fuit primo in officium naturæ, ideſt in generis humani propagatione, natorumque educatione, poſt verò Adæ peccatum, etiam in remedium contra effrænatam corruptæ naturæ concupiſcentiam conceſſum; ad extremũ verò ipſe Chriſtus Dominus venerabilium ſacramentorum inſtitutor, atque perfector matrimonium ad eam ſacramenti dignitatem aſſumpſit, vt Doctor gentium ad Epheſios ſcribens magnum appellauerit, eoque aptiſſimè ſignificari indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & hypoſtaticam Verbi Diuini cum humana natura coniunctionem; quamobrem illud ſicuti cætera ſacramenta nouæ legis gratiam ab ipſo Chriſto Domino ſua paſſione promeritam fidelibus coniugibus, non ponentibus obicem, conferre ſancta fides docet 3.

2 Trid. ſeſſ. 24. initio de ſacr. matr.

3 Cuius quidem gratiæ illud ſpeciale eſt, quod amorem naturalem inter coniuges perficiat; indiſſolubilem

3 Trid. cit.

vnitatem confirmet, eoſque ſanctificet.

4 Vt ergo magnum hoc ſacramentum ea, qua par eſt, religione tractetur, Parochis, Curatis, eorumque ſubſtitutis Cappellanis omnibus mandamus, ac diſtrictè præcipimus, vt quę Tridentina Synodus 1 hac in re tanti momenti docet, diligenter addiſcant, & ad amuſſim obſeruanda ſedulò curent.

1 ſeſſ. 24.

5 Et primo quidem norint quoque Canonica impedimenta, tum ea quibus illicitè matrimonium contrahitur, quamuis contractum poſtea diſſolui nequeat; tum præſertim dirimentia, quorum vel vno matrimonium contractum nullum eſt, atque diſſoluendum; pulchrè inſuper calleant qui ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis, atque etiam cognationis ſpiritualis, & quas vſque perſonas pro præſenti materia protrahantur, quæ nos in ſubiectis tabellis exponere optimum operæpretium facturos exiſtimamus.

LINEA CONSANGVINITATIS RECTA.

Atauus Atauia *Quartus Gradus*
Abauus Abauia *Tertius Gradus*
Proauus Proauia *Secundus Gradus*
Auus Auia *Primus Gradus*
PRIMI STIPITES Pater
Mater
Filius Filia *Primus Gradus*
Nepos Neptis *Secundus Gradus*
Pronepos Proneptis *Tertius Gradus*
Abnepos Abneptis *Quartus gradus*

LINEA CONSANGVINITATIS
Tranſuerſa, ſeu collateralium.

	Pater Mater	
	Stipites	
Filius	Frater, & Soror	Filia
	Primus Gradus	
Nepos	Conſobrini primi	Neptis
	Secundus Gradus	
Pronepos	Conſobrini ſecundi	Proneptis
	Tertius Gradus	
Abnepos	Conſobrini tertij	Abneptis
	Quartus Gradus	

Ori-

ORIGO AFFINITATIS

Vir *& Femina*

coniuncti

Primus Gradus

Secundus Gradus

Tertius Gradus

Quartus Gradus

Mater, aut ſoror feminæ, neptis feminæ, proneptis feminæ, abneptis feminæ.

Pater, aut frater viri. nepos viri. pronepos viri. abnepos viri.

FIGVRA COGNATIONIS SPIRITVALIS,
per quam contrahunt tale impedimentum.

Tum	Tum
Perſona confirmata, eiuſque Pater, ac Mater cum confirmante, & ſuſceptore in confirmatione.	Perſona baptizata, eiuſque Pater, ac Mater cum baptizante, & ſuſceptoribus in baptiſmo.

FIGVRA COGNATIONIS LEGALIS,
per quam contrahunt tale impedimentum.

Tum	Tum
Perſona adoptans cum adoptato, huiuſque vxore, ac filijs, aut nepotibus vſq; ad quartum gradum.	Perſona adoptata cum adoptante, huiuſque vxore, ac filijs carnalibus.

FIGVRA PVBLICÆ HONESTATIS,
per quam contrahunt tale impedimentum.

Tum	Tum
Sponſa de præſenti cũ cõſanguineis ſponſi vſq; ad quartũ gradũ; & ſpõſus pariter de præſenti cũ conſãguineis ſpõſæ, quãuis demortuæ, vſque ad quartum item gradum.	Sponſa de futuro cum cõsãguineo in primo gradu ſponſi quamuis demortui; & ſpõſus adhuc de futuro cum conſanguinea in primo gradu ſpõſę, ſiue viuẽtis, ſiue item mortuæ.

CA-

Cap. I.

De Denunciationibus.

6 AD tollendas omnes fraudes, diſſentiones, & pericula, quæ à clandeſtinis matrimonijs ortum habebant, Tridentinum Conc. 1 Lateranenſis Synodi ſub Innocentio III. celebratæ veſtigijs inhærendo, ſeriò præcepit, vt prius quam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendũ; quia verò etiam in his denunciationibus faciẽdis humanam malitiam, ſeu ignorantiam quandoque peccare nobis renunciatum eſt; ideoque ad accuratam Tridentini præcepti exequutionem, praximque faciliorem, vbique retinenda hæc mandare in Domino ſtatuimus.

1. ſeſſ. 24 de refor. matr. cap. 1.

7 Et in primis iubemus Catanæ fieri denunciationes à Magiſtro Cappellano in Eccleſia Cathedrali, qui ſicut etiam alius Parochus Diœceſis, ſeu Curatus priuſquam eas faciat, de hominibus præſertim humilibus, vtriuſque volũtatẽ diligẽter exploret, an ſcilicet matrimonij denũciationes fieri placeat, & clariſſimè declaret, ſe non de conſenſu in matrimonio, ſed tantum hic, & nunc de denunciationibus faciendis perquirere, & ſanè mulierem interroget in conſpectu propinquorum, ita tamen, vt hi audire nequeant interrogatæ reſponſum; inueſtiget inſuper, an coactè, aut ignorantèr, vel impetu alicuius effrenatæ paſſionis, & an ante ætatem debitam, ſcilicet quatuordecim annorum in mare, & duodecim in fœmina ad matrimonium illud deueniant; & niſi euidenter pateat eam ætatem longè ſuperare, fidẽ anni ſuſcepti baptiſmi exigat, ante quam denunciationes exordiatur,

ſic

ſic etiam,ſi in huiuſmodi inueſtigationibus quid occurrat conſideratione dignum,non denunciet,niſi noſtrum exploret, habeatque ſenſum.

8 Deinde hic quoque ſecretò, & perpaucis, ac maiori,qua poteſt,dexteritate videat, an aliquo præſertim affinitatis, vel conſanguinitatis, aut cognationis ſpiritualis impedimento ſint ſponſi ligati; vtrum votum caſtitatis perpetuæ, vel religionis emiſerint? nũ alteri promiſerint? Doceatque ſi cum aliquo impedimento præcipuè dirimente fraudulenter contrahere auſi fuerint, ſpe diſpenſationis conſequendæ omninò carere, vt cõminatur,& decernit Trid. 1, & in excõmunicationem latæ ſẽtentiæ ipſo facto incidere; meminerit quoq; matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in poteſtate raptoris manſerit irrita eſſe, & inualida ex Tridentino.

1 ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 5.

9 Tum etiam edoceat ſponſos excommunicationem latam eſſe contra eos, qui in gradu prohibito iunguntur, atque aduerſus illos viros,vel mulieres ſceleſtiſſimas, qui vel ad conciliandam alterutrius beneuolentiam, aut extorquendum conſenſum, vel ad alium quemuis finem ſuperſtitione aliqua vtuntur; eademque pœna feriri qui ad eadem venefícia ſoluenda aliquid item ſuperſtitioſum adhibeant, vel ad id conſilium, auxiliumque præbent.

10 Denique moneat vt in negotio tam graui, & nonniſi morte finiendo,ad Deum, Tobiæ exemplo, precibus confugiant, & dum dies contrahendi per verba de præſenti expectatur, ne ſe ſponſi certis peccandi periculis exponant, ſceleribus contaminaturi initia matrimonij ſacroſancti, cui non niſi à Dei gratia fauſta auguria facere debent fideles.

11 Qui verò temerario animo ante contractum per verba de præſenti matrimonium in facie Eccleſiæ cohabita-

bitare auſi fuerint, pœna vnciarum quinque mulctentur; quod ſi etiam copulam carnalem habuiſſe comperti fuerint, dum denunciationes, vt moris eſt, fiunt, excommunicentur, & mulcta vnciarum decem, pœnaque carceris, arbitrio Epiſcopi, plectantur; in quam etiam carceris pœnam incurrent parentes, vel conſanguinei, aut quicumque ſponſæ, & domus, in qua id accidit, curam gerunt, ſi conſtitutionis huiuſce fractioni conſenſerint.

12 Si verò in gradu prohibito prędictam copulam habuiſſe deprehenſi fuerint, duplicata pœna mulctentur præter excommunicationem maiorem, qua ſtatim ex ſacris Canonibus innodantur; quorum omnium tùm peccatorum, tum cenſurarum nobis abſolutionem reſeruamus; Sponſos iterum, iterumque in viſceribus Ieſu Chriſti obſecramus, & hortamur vt ſanctas nuptias horum ſcelerum immunditie ne pręmaculent, ſciantque eiuſmodi fędè contracta matrimonia vt plurimum rixarum, perturbationum, infirmitatum, ſterilitatis, indigentiæ, cæterarumque miſeriarum, quibus familiæ obruuntur, ſed præſertim natorum infœlicis infortunij vberem originē eſſe ſolere. Monemus etiam mulieres ne ſpe matrimonij decipi patiantur, & peccent; præter enim quod iratum habebunt Deum, & prædictorum malorum congeriem iuſtè timere debent, nos vehementer difficiles experiētur ad earum partes in hoc tuendas.

13 Vbi vtrumque, vel alterutrum ad ſuam curam nō pertinere curatus perſpexerit, denunciationes non incipiat, niſi ab eius, cuius intereſt aſſenſum obtineat, & certior fiat de qualitate, & conſenſu eius perſonæ, quæ illius curæ ſubiecta eſt.

14 Poſtea verò ad matrimonij celebrationem ne deueniatur, niſi alter Parochus, aut Curatus de trina fa-

ĉta item in ſua Eccleſia denunciatione teſtimonium in ſcriptis ferat in archiuio eius Eccleſię, in qua matrimonium contrahitur, ſeruandum; in his autem caſibus par eſt vt mutuus conſenſus detur in ea Eccleſia, & coram eo Parocho, ſeu Curato, cuius intereſt.

15 Si in Vrbe Catanenſi degunt ſponſi, ad denunciationes non progrediatur Cappellanus, ſeu Curatus priuſquam noſtram, vel Vicarij Generalis, in diœceſi verò Vicarij loci ad id expreſsè facultatem in ſcriptis habeat, quæ in archiuio eiuſdem Eccleſiæ perpetuò conſeruetur.

16 Contrahere volentibus iniungat Vicarius ſub pęna ignobilibus quidem vnciarum decē, nobilibus quinquaginta, ne ante ratum matrimonium in faciem Eccleſiæ cohabitare præſumant; imò etiam ex præſcripto Tridentini hortetur ne id faciant ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam à proprio Parocho.

17 Si autem Vicarij contrahere petentes peregrinos, exteros, vagoſque, aut ſibi prorſus incognitos eſſe comperint, nonniſi de Epiſcopi, aut Vicarij generalis licentia id eis permittant, ad quem teſtes cùm eorum pręſentia omninò recipiendos, ſuper libertate contrahentium, tranſmittere curabunt.

18 His itaque ritè peractis, vtroque ſponſo conſentiēte, & petente, denunciationes fiant diſtinctè, intelligibili voce, atque publicè in Eccleſia parochiali tribus cōtinuis diebus feſtiuis ex præcepto inter miſſarum ſollemnia, vt ſupra dictum eſt, vel in ea miſſa cui adeſſe frequētior populus conſueuit, nec publicati matrimonij fidem faciat Curatus, aut Vicarius niſi tribus prædicto modo denunciationibus expletis.

19 Si denunciationibus inceptis aliquod reueletur etiam ab vno teſte, impedimentum, ad alias non procedatur,

datur, ſub pœna ſuſpenſionis Cappellani, aliarumque pro noſtro arbitratu; ſed conſulatur Epiſcopus, quid factu opus ſit 1. Animaduertant tamen omnes perquam ſtudioſè, quod ſi quis malitioſè falſum aliquod impedimentum oppoſuerit ne matrimonium contrahatur, excommunicationis maioris gladio ipſo facto ferietur.

20 Item quod teſtes deponentes de impedimento debent computare gradus à ſtipite, ideſt à parentibus, vel ſaltem à germanis 2, & debent ipſi teſtes habere requiſita iuris 3.

21 Præmoneat ſedulò Curatus ſponſos omnes, cuiuſcumque ſint conditionis, peractis denunciationibus, vt ſupra ſtatutum eſt, niſi infra duos menſes celebretur matrimonium, repetendas eis iterum eſſe publicè denunciationes, ſi tamen aliud in Domino non iudicauerimus 4.

22 Inſuper aduertant ſponſalia de futuro mutuo partium conſenſu contracta non aliter, quam per ſententiã in Magna noſtra Curia latam diſſolui debere, quod ſi ea non expectata ſponſi cum alijs contraxerint anathemate feriantur.

23 Quamuis à Trid. Synodo 5 doceamur matrimonia à filijs familias ſine conſenſu parentum (contracta tamen iuxtà eiuſdem ſacroſancti Concilij formam) valida eſſe, nec in poteſtate parentum eſſe rata, vel irrita facere filiorũ matrimonia; nihilominus ex iuſtiſſimis cauſis, & vt fraudibus occurramus, quæ ſæpè numero euenire conſueuerunt, Parochis, & Curatis mandamus, vt huiuſmodi filios hortentur, & moneant, ne inſcijs parẽtibus, aut etiam inuitis, denunciationes haberi, aut matrimonio iungi velint, quod ſi à propoſito dimouere eos nequeant, denunciationes ne incipiant priuſquam noſtrum ſenſum intelligant; in re enim tanti ponderis hanc

1 cap. cum inhibitc.

2 c. tua nos de conſang. & affinit. & Gloſ. in c. de parent. verſ. diuerſ. 35. q. 5.

3 in cap. licet ex quadam de teſtibus.

4 Ric. Rõ. Paul. 5.

5 c. 1. de reform. matr. ſeſſ. 24.

Y 2 quo-

quoque ſatisfactionem paternæ obedientiæ, & reuerentiæ dandam eſſe iudicamus.

24 Matrimonium in Eccleſia ſolemni ritu ne celebretur eo die, quo fit vltima denunciatio, niſi fortè incideret pridie illius diei, à quo celebrari nuptiæ prohibentur, Aduentus videlicet, & quadrageſimę, aut eſſet expreſſa Epiſcopi licentia, quod ipſum die feſto proximè precedente aduertat Parochus, vel Curatus, & populũ commonefaciat.

25 Si iuſta de cauſa, & expreſſa noſtra in ſcriptis licentia caſus rariſſimus euenerit, vt marimonium celebretur abſque eo quod ad illud vlla præceſſerit denunciatio, prématurè Parochus, vel Curatus ſponſos moneat prohibitam illis omninò eſſe cohabitationem, & matrimonij conſumationem, vſque dum poſtea trina facta denunciatione, nullum impedimentum canonicum reuelatum eſſe conſtiterit.

26 In exterorum, aut viduorum matrimonijs maxima eſt adhibenda diligentia, vt moralis certitudo habeatur eos eſſe liberos, & alio matrimonio ſolutos; quapropter cauendum eſt ne eorum ſponſalia feſtinatò fiant, & ſine matura conſideratione, &c conſiderandũ in primis eſt an qui teſtes afferuntur, ſint fide digni? an pretio, & pollicitationibus ſubornati?

27 Porrò ad maiorem tanti negotij firmitatem, teſtibus, & ei pro quo teſtificantur non modo iuſiurandum imponatur ſub pœna excommunicatis latę ſententię, verum etiam grauiſſimę enuncientur carcerum, exilij, alięque pro noſtro arbitrio mulctę infligendę, nempè ſi pro viſo, & ſcito id quod neque viderint, neque ſciuerint falsò dixerint. Pręterea ſponſa, & ſponſus, imò & ipſi teſtes fideiuſſorem prębere debent ciuem aliquem cogni-

cognitum grauem, & locupletem, ſub pœna vnciarum viginti.

Cap. II.

De Celebratione Matrimonij.

28 DEnunciationibus ex præſcripto cõpletis, ſi nullum apponatur legitimum impedimentum, ad matrimonij celebrationem in faciem Eccleſiæ procedatur; at verò nullo alio in loco præterquã in Eccleſia, quæ ipſi curæ eſt, Parochus, ſeu Cappellanus ſpõſos iũgat, niſi ob iuſtã cauſam in alia Eccleſia, vel propriæ alterutrius ſponſi domi, obtenta prius à nobis in ſcriptis licentia, id præſtari debeat; numquam tamen in Eccleſia monialiũ noſtræ mentis erit celebrari matrimonia, nec ſponſos benedici; ſi autem aliquibus domi matrimonio conſociari conceſſum fuerit à nobis, id quam honeſtiori loco, & coram ſacra imagine agatur.

29 Et quidem matrimonia celebranda erunt iuxtà formam præſcriptam Ritualis Romani matutinis horis, vt miſſa peracta Sacerdotis benedictionem accipiãt ſpõſi. Hic breui ſed efficaci adhortatione Curatus animabit ſponſos ad mutuam beneuolentiam, & concordiam; ad æquo animo matrimonij onus ferendum; ad ſanctè familiam inſtruendam; ad pietatis denique, religioniſq; officia pro virili parte, & aſſiduè exequenda; poſtea miſſam, quæ habetur pro ſponſa, & ſpõſo celebrabit. Quod ſi veſpertinis horis, vel alio in loco de noſtra permiſſum eſt licentia mutuum accipi cõſenſum, Parochus, ſeu Curatus illicò ſponſis intimabit, vt quantocyus Eccleſiam adeant benedictionem nuptiarum accepturi, adeò vt ſi

intra

intra dies quindecim ab eo, quo contrahunt numerandos, id ex equuti non fuerint excommunicationis pœnam ſubituros eſſe declaret; ſi verò intra tempora, quibus nuptiæ prohibentur, contraxerint (quod ſine noſtra inſcriptis conceſſa facultate minimè fieri poteſt), intra octo dies ab apertis nuptijs ad ſuam Eccleſiam parochialem, ſeu ſacramentalem ſub eadem pœna accedere teneātur: hæc autem nuptiarum benedictio nunquam ſub vmbella, ſub qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferri ſolet, donetur.

30 In ſponſorum reditu ad proprias domos, benedictione præhabita, ſuperſtitioſas panis, frumenti, ordei, aliarumque rerum proiectiones ad ſponſos fieri, ſimiliter in Eccleſiæ primo ingreſſu eiſdem mel dari ſub eadem pœna vetamus.

31 Singuli Parochi, vel primarius Curatus habeant, atque apud ſe librum cuſtodiant, in quo coniugum, teſtiumque nomina, diem, menſem, annum, & locum contracti matrimonij, nec non feſtiuos dies, in quibus denunciationes præhabitæ ſunt, ipſius denique Sacerdotis nomen, qui eos matrimonio coniunxit, adnotet ſecūdum modum à Romano Rituali præſcriptum.

32 Nulli Sacerdoti Parochus aſſiſtendi matrimonio licentiam concedat, niſi ei, cui adminiſtrare ſacramenta per nos licet; Cappellani verò qui in hac Vrbe Catanenſi ad ſacramenta fidelibus impertienda in noſtris Eccleſijs ſacramentalibus deſtinati ſunt, nec ipſi ſine noſtra, aut Vicarij Generalis facultate in ſcriptis data cuiquam matrimonio aſſiſtere poſſunt, & multò minus hanc eamdem curam, neque pro vna tantum vice, alteri ſacerdoti propria auctoritate demandare valeant: ſi ſecus fecerint Sacerdotes ipſo facto ſuſpenſos Epiſcopi arbitratu declaramus.

33 Cappellanis verò Curatis, qui in Pagis, ſeu Caſtanæ adiacentibus villis degunt, atque in reliquis noſtræ dioeceſis Ciuitatibus, & Terris hanc aſſiſtendi matrimonijs facultatem ita concedimus, vt mutuum conſenſum nequeant accipere ſine Vicarij foranei licentia, neque eamdem alteri Sacerdoti ad id à nobis peculiariter, & in ſcriptis non deſignato, vel ſine noſtra, aut Vicarij Generalis licentia, item in ſcriptis cõſignata, neque pro vna vice demandare valeant: quod ſi contrarium fecerint, & matrimonia irrita eſſe ob defectum aſſiſtentiæ legitimi Parochi declaramus, & ipſos ſuſpenſos.

34 Atque hic omnes Parochos, Curatoſque præmonendos eſſe exiſtimamus, vt caueant eos adoleſcentes in matrimonium coniungere ſine fide anni ſuſcepti baptiſmi, de quorum minore ætate, quam ſacri Canones exigunt probabilis oriri poteſt dubitatio, nec ſui officij eſt decernere num malitia ſuppleat ætatem? huius enim dubij deciſionem à noſtro tribunali immediatè expectare debent. Item vt non ſinãt contrahere, antequam fidei ſacroſanctæ principaliora rudimenta, orationem dominicam, angelicam ſalutationem, Apoſtolorum Symbolũ, & decalogi, Eccleſiæque præcepta, mediocritèr ſaltem percipiant, & memoria retineant; & ſanè de his antequam denunciationes incipiant ſatius eſt examinare. Tertiò vt non cum minore duorum teſtium numero cuiuſcumque perſonæ matrimonio aſſiſtere poſſint alias irritum eſt, ſicuti etiam inualidum foret ſi ſine Parocho, aut Curato, vel legitimo eorum ſubſtituto coram quibuslibet teſtibus ſuum ſponſi præberent conſenſum.

35 Poſtremò meminerint à Dominica prima aduentus vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vſque ad octauã Paſchæ reſurrectionis dominicæ incluſiuè,

ſiuè, ſolemnitates nuptiarum probibitas eſſe; quapropter ſi quando fortaſſe occurret (id quod ſine vrgenti, & rationabili cauſa non præſtabimus) vt his prohibitis têporibus aliquod matrimonium in Eccleſia, vel domi celebretur, nonniſi priuatim, & ſina vlla prorſus pompa edicimus eſſe faciendum, ſub pœna noſtro arbitratu taxanda.

36 Illud etiam aduertant Parochi, ſeu Curati, vt à nouis ſuæ parochiæ habitatoribus vxoratis incognitis fidem eorum matrimonij exigant, aliâs tanquam ſuſpectos de concubinatu Vicario denuncient.

37 Matrimonio neminẽ iungant, qui cum coniugatus aliquando fuerit ob diuturnam coniugij abſentiam nouũ contrahere expoſcit matrimonium, niſi priùs ex Epiſcopi auctoritate explorauerint diligenter, atque habuerint certitudinem ſaltem moralem de morte alterius 1, quæ autem debent eſſe argumenta, teſtimonia, atque indicia hanc certitudinem moralem probantia docent Theologi 2.

1 ca. ſi quis renunc. 34. q. vlt.

2 in primis Sanch. de matri. l. 2. 2. diſp. 46

38 Sæpè ſępiùs prædicent, & maxima qua poſſunt, Curati contentione inculcent, matrimonia ritè contracta ſancta eſſe; quamobrem adulteria, concubinatus, & ſimilia facinora matrimonialem honeſtatem, & pacem violantia, aut impedientia acerrimè à nobis eſſe plectenda, tum pœnis à iure præſcriptis, cum etiam alijs ad opportuniora remedia excogitandis.

39 Denique ſub excommunicatione latæ ſententiæ interdicimus coniugibus ne ſeparentur, aut diuortium faciant ſine noſtra expreſſa litteris facultate; ſi qui autẽ ſunt disiuncti domibus ob aliquam diſſentionem, vel inimicitiam infra menſem à publicatione huius conſtitutionis ad vnam eamdemque domum cohabitandum redeãt,

alias

aliàs ſupradictam pœnam ſubibunt.

40 Omnes, ſed præcipuè dominos temporales commonemus, ne quem directè quouis quæſito colore, minis, aut factis, ſubdoliſque modis cogant, quo minùs matrimonium liberè contrahat, alioquin excommunicationi latæ ſententiæ, vt in Trid. 1 conſtitutum eſt ſe nouerint ſubiacere: ſub eadem inſuper cenſura prohibemus ne quis malitiosè, & fraudulenter impedimenta ſubtexat ad matrimonium impediendum, vel irritandũ.

1 ſeſſ.24. c. 9. de refor. matrim.

FINIS

Seſſionis Primæ.

SESSIO
SECVNDA.

DE VENERATIONE SANCTORVM, & Cultu Eccleſiarum.

1 DIVINA, & Inacceſſa Maieſtas mirificè colitur, & laudatur in Sanctis ſuis; vndè ad diuinum cultum promouendũ, Sanctorum quoque venerationem debemus omni ſtudio curare; quia verò eorum nũc cum Chriſto in cęlo regnãtium præter reliquias, & imagines in terris nihil habemus; de Reliquiarum, & Imaginum ſacrarum cultu, qui Duliæ appellatur, ſequentes conſtitutiones ſubijciemus.

DECRETVM DECIMVM

DE SANCTIS RELIQVIIS.

2 ET primò Tridentinæ Synodi 1 veſtigia præmentes ſub anatematis in terminatione ipſo facto incurrendi, prohibemus ne vllo in loco, vel Eccleſia quomodolibet exempta, nouas reliquias, aut inſolitas imagines quis exponat, vel exponendas curet, eiſque venerationem aliquam à fidelibus dandam obtentet, niſi ab Epiſcopo recognitæ, & in ſcriptis approbatæ fuerint ſer-

1 ſeſſ.25.de inuocat.&c.

uatis, quæ ſacri Canones, & Bullæ Pontificiæ ſeruanda in negotio tanti momenti mandant.

3 Eæ igitur dumtaxat in poſterum populis adorandæ reliquiæ, exponantur etiam à Regularibus cuiuſcumque ſint ordinis, quæ per nos, vel per prædeceſſores noſtros approbatæ reperiuntur, atque de earum veritate Regulares à nobis, vel à prædeceſſoribus noſtris litteras teſtimoniales obtinent, vel quæ aliàs ex antiqua conſuetudine coli conſueuere.

4 Deinde ne veræ recognitæ, & ab Epiſcopo approbatæ reliquiæ aſſeruentur in Tabernaculo Euchariſtico, ſed præcipua cum diligentia cuſtodiantur in alio decenti, & proprio loco alicuius cappellę, vel ſacriſtię, qui claue ſemper obſeratus exiſtat, & vndique religionem redoleat, atque adorantibus ſacram concilie deuotionem; vbi thecę argenteę, aut alterius materię decore ornata vaſcula plurium ſanctorum reliquias continent, diſtinctę in ſciunctis loculis cuiuſque ſancti reliquię cum ſuo inſcripto nomine collocentur, vt faciliùs ſingulę inſpici, & à fidelibus dignoſci poſſint.

5 Nomina Sanctorum, quorum reliquijs illa Eccleſia condecoratur eleganti charactere ſeorſim referantur in tabella, quę in ſacriſtia publicè appenſa permaneat.

6 Nullius laycorum, quacumque is dignitate pręmineat, manibus tractanda dentur huiuſmodi ſacra pignora, quę diebus tantum ſolemnibus, & aſſignatis exponantur debito lampadarum, accenſorumque cereorum, & thuris redolentis honore tributo. Idem de ſacris, & apud populum in ſumma veneratione habitis imaginibus, dictum volumus, quę de cuſtodia, & publicè exhibendo reliquijs ſanctis honore, docuimus.

7 Omnis ſuperſtitio in ſanctorum inuocatione, reli-

reliquiarum veneratione,& imaginum ſacrarum vſu tollatur, omnis turpis quęſtus eliminetur, quem ſacrilega nonnullorum cupido habendi ex reliquiarum ſacrarum, imaginumque oſtenſione, vel contactu conſueuit extorquere, omnis denique vanitas vitetur; ideoque procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur; ſanctarum celebratione imaginum, quę pręſertim in campeſtribus templis exiſtunt; atque reliquiarum venerabilium viſitatione homines ad comeſſationes, & ebrietates non abutantur; quaſi feſti dies, & peregrinationes in honorem ſanctorum per luxum,atque vanitates agantur.

8 Si quando reliquiam aliquam, obtenta priùs ab ijs, ad quos ſpectat,licentia,oſtendere contigerit,id à Sacerdote ſuperpellicio induto, duobus ſaltem accenſis intorticijs fiat.

9 Ab Eccleſijs, in quibus reliquię aſſeruantur, pręſertim inſignes ad alium locum nullo modo ſine Epiſcopi licentia transferantur, non inſignes verò, ſeu particulę ad ęgros facili negotio non aſportentur, & multò minus in eorum domibus pernoctare, aut diutiùs immorari permittatur, niſi priùs à nobis, vel à noſtro Vicario Generali in vrbe, in diœceſi verò à foraneis venia obtineatur, quam raró concedent.

10 Cuiuſcumque Eccleſię noſtræ præſertim Cathedralis reliquiam aliquam, vel particulas illarum dantes, accipientes, mutilantes, ſurripientes, aut quoquomodo furantes, & grauis ſacrilegij reos ſe eſſe nouerint, & in excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto incurriſſe, à qua abſolutionem nunquam impetrabunt, niſi eas proprio loco reddiderint.In proceſſionibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reliquiæ nullæ deferantur, neque in ſepulchralibus machinis feriæ quintæ in Cœna Domini exponantur.

Per-

11 Perſepè Parochi, vel Curati populum erudiant de Sanctorum inuocatione, ſacriſque reliquijs honore præſtando, docentes reliquias ſanctorum meritò à Sancta Nicena Synodo ſalutares fontes à Chriſto Domino relictos nominari; namque per ipſas multa beneficia Dei ad nos deriuantur, vt perſępe Vrbs hæc experta eſt, quę ab imminentibus ſummis malis, vltimiſque periculis liberata eſt precibus Virginis, & Martyris Catanenſis Glorioſiſſimę Agathę, cuius corpus in hac Cathedrali diuinę in Patriam miſericordię promiſſæ futurum monumentum eſt ęre perennius, & tutiſſimum perfugium.

12 Reliquiarum omnium inuentarium ad Archiuium noſtrum ab Eccleſiarum Rectoribus, ſeu curatis infra duos menſes tranſmittatur ſub pœna vnciarum ſex.

13 Quoniam experientia didicimus in deoſculatione ſanctarum reliquiarum Diuę Agathę, quę fieri conſueuit in noſtra Cathedrali menſe Februario, & Auguſto, ob vndique confluentium multitudinem, eorum pręſertim, qui maiori curioſitate, quam deuotione accedunt, inconditas fieri vociferationes, & maximas turbas; adeo vt per plures ſine hac deoſculationis cõſolatione, & dulci tam inſignium reliquiarum intuitione, quam vehemẽter exoptabant, diſcedere cogantur; re maturè ad incõueniens tollendum diſcuſſa, deliberauimus, prout præſenti edicto iubemus, in poſterum ſanctas has reliquias ſtatutis diebus ad altaris maioris gradus, ſeu cãcellos oſculandas exhiberi, itaut ſucceſſiuè alij alijs locum vltimi, & ſupremi gradus ſemper relinquant, quod vt cum debita modeſtia, & pietate, omniumque ſatisfactione fiat, curabit Theſaurarius.

DE-

DECRETVM VNDECIMVM.

DE SACRIS IMAGINIBVS, & ſigno Sanctæ Crucis.

1 INſtruant inſuper Parochi, ſeu Curati eumdem populum omnibus imaginibus Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, debitum honorem, & venerationem eſſe impertiendam.

2 Imagines, vel ſtatuæ Sanctorum in Eccleſijs, vel domibus ſemper decenter, honeſtiſſimèque collocentur, & inde omninò remoueantur, vbi ob loci vitium, animalium, vel temporum iniurias aliquid deformitatis, corroſionis, vel corruptionis pati poſſunt, neque vbi claui figendi ſunt, depingantur.

3 Pretioſiſſimæ Crucis ſignum, aut Sanctorum imagines in loco vllo ſordido, aut luculento deſignari, aut reponi omninò prohibemus, mandamus tamen Parochis eiuſdem Sanctæ Crucis vexillum triumphale in ſuarum Eccleſiarum cæmeterijs, vt quamprimum erigendum curent, quod etiam faciant in plateis dirutarum, vel ad prophanos vſus conuerſarum Eccleſiarum iuxta Sanctæ Tridentinæ 1 Synodi conſtitutionem, ne ea quæ ſemel ſacris myſterijs dicata fuerunt, temporum iniuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant. 1 ſeſſ. 21. cap. 7.

4 Et vt nimia pictoribus 2, Sculptoribuſque licentia reformetur, eiſdem ſub pœna vnciarum quatuor expreſsè vetamus, ne in ſacris imaginibus ſculpendis, aut depingendis, vel imprimendis aliquid incertum, ſuperſtitioſum, apocriphum, aut inſolitum adhibeant, penituſque

2 quæ incipit Sacroſ. Tridentina.

que

que caueant, ne intermiſceant obſcena, vel quæ procacitatem obſtentẽt, & ſpectantium honeſtatem, aut ipsã pietatem offendant; ideoque eas antequam venales exponant ad noſtrum Vicarium in Vrbe, ad foraneos in dioeceſi recognoſcendas, & inſpiciendas deferant.

5 Volumus etiam vt veteres imagines ijdem Rectores recognoſcant, & ſi quæ in ijs offendant minus decorum, vel contra Patrum traditiones corrigendum curent, neque vllo modo exponi in foro, aut in vijs permittãt, donec corrigantur: imò in Eccleſijs exornãdis prophanas hiſtorias redolentes picturæ non debent admitti, inhoneſtas verò à celebratione feſtorum penitus interdicimus.

6 Deformes ob vetuſtatem imagines deuotioni nullo modo inſeruientes, aut penitus deleantur, aut ad priſtinum decorem redigantur.

7 Imagines eorum, qui è vita migrarunt cum ſanctitatis odore nemo vt ſacras exponat, aut adorare præſumat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

DECRETVM DVODECIMVM.

DE PROCESSIONIBVS Eccleſiaſticis.

1 ANtiquiſſima eſt, & ab ipſis naſcentis chriſtianæ Religionis primordijs deriuata conſuetudo 1 ſacrarum proceſſionum, quæ inſtitutę ſunt, vel ad maiorem feſtorum dierum celebritatem, vel ad Dei opem implorandam, vel ad gratias eidem publicas pro collatis beneficijs agendas, vel ad ſanctas reliquias ſolemniori pompa omnium ciuium, ipſiuſquemet Vrbis veneratio-

1 S. Dion. Areop. de cœl. hier. l. 4. & Cõc. Laodicenſe c. 43.

ni

exhibendas; vel denique (quod Concilium Tridentinum 1 aduertit) vt ſingulis annis peculiari quodam, & feſto die præexcelſa, atque venerabilis hoſtia ſingulari veneratione, ac ſollemnitate coleretur illam reuerenter, & honorificè per vias, & loca publica circumferendo.

2 Aequiſſimum igitur eſt vt nos eumdem laudabilem morem maiori, qua poſſumus, obſeruantia retineamus, & promoueamus; ideoque illud in primis ſtatuimus, vt ſiue ad diuinum numen placandum, ſeu ad agendas Deo gratias proceſſio aliqua fiat, nullæ aliæ preces, ritus, aut cęremoniæ adhibeantur, præter eas, quæ in Rituali Romano præſcribuntur.

3 Proceſſiones ſolemnes à noſtra Cathedrali Eccleſia in Vrbe ſemper exordiantur; & ad eamdem redeant, niſi aliud pro rerum occurrentium ratione iudicauerimus.

4 Deinde Vicarijs foraneis mandamus ſub pœna vnciarum viginti, ne eas quouis prætextu fieri permittant vltra quingentos paſſus extra Ciuitates, & oppida.

5 Clerici omnes cum habitu talari, ſuperpelliceo, tonſura, atque bireto clericali induti, omnes item Regulares, qui cum ſua Cruce proceſſionibus intereſſe cõſueuerunt, hora condicta ad Eccleſiam, vnde proceſſio incipienda eſt, conueniant, vt bini, congruentique interuallo diſtantes cum ea, qua par eſt, oris, & oculorum modeſtia, ordine, & loco illis aſſignato, procedant, nec ordinem proceſſionis interrumpant, aut deſerant, neque in via ab aliis diſcedant, ſed omnes ſimul eodemque ordine ad illud, vnde cepta eſt proceſſio, regrediantur tẽplũ, ſecus faciẽtes pro defectus grauitate ad noſtri arbitrium punientur.

6 Idem præceptum eſto omnibus, & ſingulis laicorum confraternitatibus, quarum Confratres ſacco indu-

ti modeſtè, grauiterque, vt decet, incedant, ſuorum moderatorum regimen ſequentes.

7 Exceptis ijs, qui ſtatuam aliquam, vel reliquiarum thecam geſtantes, ne offendant cum illius periculo, debent vbi pedes figant, præuidere, cæteros omnes cuiuſcumque ſint confraternitatis, aut ſocietatis, iubemus incedere in proceſſionibus velata per ſuum ſaccum facie; contrauenientibus vnius vnciæ pœnam propriæ Eccleſiæ ſoluendam iniungimus.

8 Crucis vexillum cum duobus ſaltem accẽſis cereis, vel aliud de more ſericum ſignum anteire debet cuicumque confraternitati. Crucis autem vnicum, ſeu plura ſigna, quæ clerum, vt moris eſt, præcedunt, nonniſi à clericis talari habitu, & ſuperpellicio indutis deferantur; duobus minimum candelabris cum ſuis luminibus Clerus, & Regulares ſuam crucem comitentur.

9 In qualibet proceſſione aliquas Sanctorũ reliquias, vel venerandam imaginem deferri fas eſt, præterquam in ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſolemnitate, in qua (vt diximus) imagines quidem, & ſtatuæ, non verò vllæ ſanctorum reliquiæ circumferri poſſunt.

10 In proceſſionibus Diui Marci Vicarius, aut cuius de more intereſt, indutus pluuiali reliquias manibus deferat, vel ſacram Iconem, cum quibus poſt vbi litaniarũ recitatio, miſſaque ſolemnis eſt peracta, in æde, ad quam iuxta loci cuiuſque conſuetudinem proceſſio dirigetur, agros benedicat aſpergens aqua benedicta, eaſque preces intelligibili voce fundens, quas Rituale decernit.

11 Sed cum inter proceſſiones principem locum obtineat, qua ſingulis annis feria V. poſt Dominicam ſanctiſſimæ Trinitatis præ excelſum, & venerabile Euchariſtiæ Sacramẽtum ſolemni celebritate per vrbem deferſ-

tur,

tur, congruum eſt vt quotquot ei intereſſe adſtringuntur id cum ſpeciali pietate, & modeſtia præſtent, videlicet aperto capite, cereos ardentes manibus ſuis geſtantes; pſalmos, ac hymnos deuotè concinentes, quando Viarum parietes, per quas ſacratiſſima hoſtia tranſire debet, omni quiſque conatu periſtromatibus, alijſque ſericis ornamentis conueſtiendos curabit, & folijs, floribuſque benè priùs mundatum ſolum ſpargendum.

12 Deputentur in Vrbe à noſtro Vicario Generali; in diœceſi verò à foraneis Vicarijs, tum in primis ab vnius cuiuſque confraternitatis, aut ſodalitatis Gubernatore, officiales, qui procedentium ſeriem ita diſponãt, & tueantur, vt nulla ratione eam interrumpi, vel turbari patiantur à pretereuntibus laicis, ab equis, vel curribus, & vt mulieres à viris ſeparatim incedant.

13 Confratrum eodem die indecoras comeſſationes, & ebrietates ab eiſdem officialibus penitus impediantur.

14 Solemnioribus Vrbis Proceſſionibus nimirum diei prædictæ, & octauæ Corporis Chriſti Domini, & Diuæ, atque tutelaris Ciuis Catanenſis Agathæ; atque ijs omnibus, quibus nos intereſſe contigerit, etiam Canonici, atque dignitates omnes adſint, nemine excepto, ſub pœnis noſtro arbitratu irrogandis.

15 Inſuetas, nouaſque Proceſſiones, niſi fortè intra parietes Eccleſiæ, nemo inducere præſumat ſine noſtra facultate ſcriptis comprobata ſub pęna perſonis ſingulis, qui illarum auctores fuerint, excommunicationis latę ſẽtentię, atque interdicti Eccleſiarum, Sacellorum, & cõgregationum ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda.

16 Quę verò hactenus fieri conſueuerunt nullo modo poſt ſolis occaſum a Vicarijs abſque eo quod per nos di-

ſpenſatum fuerit permittatur; quod ſi aliquando impro-uiſa rerum contingentia id tulerit, teneantur ijdem Vicarij ſub pœna vnciarum decem, nos ſtatim commonere.

17. Ad euitandas controuerſias omnes de pręcedē-tia, quę per ſępe cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares, quam regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in ijs, quę fiunt in tumulā-dis defunctorum corporibus, & in deferēda vmbella, & alijs ſimilibus, Concilij Tridentini iuſſa exequentes, mā-damus omnibus, & ſingulis cuiuſcumque ordinis regularis, confraternitatis, ſeu ſodalitatis, aut congregationis moderatoribus, vt infra quatuor menſes à die publicationis pręſentis Synodi computandos, ſi quas cum alio ordine regulari, vel confraternitate, aut Societate eiuſmodi lites, aut contra illam pretenſionem habeant, nos adeant, rationeſque ſuas teſtibus, & autenticis inſtrumentis confirmatas proponant, vt quid in domino expedire iudicauerimus, reſoluamus: pręmonemus tamē eoſdem, quod ſi intra pręſcriptum hunc terminum comparere ante noſtrum tribunal, vel renuerint, vel neglexerint, contra ipſas, ſi fortè poſtea lis illa excitetur, nos fore vt decidamus.

18 At ſi caſu inter ipſam proceſſionem ſuboriatur controuerſia, Vicarius Generalis in Vrbe, in alijs verò locis Vicarius foraneus, qua poteſt meliori ratione componat nullo alterutri parti pro ea vice pręiudicio generato, interea nos commonefaciat, ad noſtram ſedem partes remittendo, vt per ſententiam cauſę cognitio ſecundum ęquitatis, & iurium pręſcriptum terminetur.

19 Compoſitis igitur omnibus per nos modo prędicto de pręcedentia, aut alia qualibet cauſa altercationibus, ſi quis turbulentus, & ſeditioſus nouas ſine legiti-

ma

ma cauſa à nobis probanda excitare, aut tentare audebit, vel noſtris hac de re deciſionibus aduerſari, annum integrum in noſtrum conijcietur carcerem, & à proceſſione etiam tunc eiciatur.

20 Nullæ dum procedit ſupplicatio, præſertim Corporis Chriſti, fiant repræſentationes, nec ludi ignei, vel ſclopi, aut fulgura, ſeu mortariola in eadem via, vel platea, aut in loco illis valdè propinquo, explodantur; experiẽtia enim docuit per ea ſequentium ordinem turbari, & moleſtia affici; plura præſentibus pericula creari, & deuotionem omnem cum ipſa proceſſione diſpergi: contrauenientes pœna carceris caſtigentur.

21 Non liceat Regularibus ſine noſtra licentia extra ſua clauſtra proceſſiones facere ſub pœna interdicti.

22 Quamuis hebdomada illa ſancta, qua Redemptori noſtro parentatur, præſertim verò feria quinta, & paraſceue, pia, atque laudabilis ſemper fuit proceſſio, quæ ob oculos poneret miſeram perpeſſionis Chriſti, flebilemque ſpeciem ad intuentium animos incitandos efficaciſſimam; quia tamen perſæpe occurrit vt nonnullorũ temeritas, & imprudentia tam luctuoſam commemorationem indecoris, & ſacrilegum riſum extorquentibus actionibus prophanare non expaueſcant; ideò nobis in Domino viſum eſt præcipere omnibus, & ſingulis, cuiuſcumque Confraternitatis, aut Congregationis, vel Eccleſiæ Rectoribus, vt cum harum proceſſionem à nobis licentiam exoraturi ſint, exponant quæ myſteria, & quomodo repræſentanda ſunt, vt quid magis expedierit, decernamus.

23 Item ſeriò prohibemus, & ſub pœna carceris ad noſtrum arbitrium, ne quis in eiuſmodi proceſſionibus perſonam Chriſti Domini, Angeli, Demonis, Iudeorũ,

aut

aut cuiuſuis alterius agens huc, illucque per vias, aut domos, ante, vel poſt ipſam proceſſionem, diuagetur, vt non rarò cum multo ſcandalo, & functionis præſtandæ contemptu aliquos ſolitos eſſe audiuimus; Vicarijs igitur, eorumque fiſcalibus iniungimus vt hac in re ſedulò inuigilent, aliàs ſeuerè & ipſorum negligentia, ſeu conniuentia punietur.

24 Quia nobis quoque renunciatum eſt iiſdem proceſſionibus conſueuiſſe nonnullos commiſceri, qui ad vanam potius obſtentationem, quam ad cruciatuũ Chriſti Domini compaſſionem, ſcelerumque expiationem, venalem ſui ſanguinis effuſionem, corporiſque dolores facientes, ſanguinis mercedem accipiunt, interdicimus Rectoribus ſub pœna vnciarum quatuor pro horum ſingulis ſoluendarum ne quemquam ſe cruentis flagellis verberantem pretio conducant, neue alio modo cogant; nec ipſi flagelliferi ſine carceris mulcta remanebunt.

25 Proceſſio vſque adhuc Catinæ fieri ſolita de Chriſti paſſione, quam vulgus *la Caſazza* vocat, die Iouis ſancti, quia ſepulchralem ~~denuntias~~ Chriſti Domini deuotionem poſt veſperas impedire iudicatur, tum etiam ne dies paraſceue in eadem vrbe ſine vlla publica ſacratiſſimæ mortis commemoratione remaneat, decernimus in poſterum fieri poſt veſperas eiuſdem feriæ ſextæ; quod ſi tunc pluuiales aquæ illum prohibuerint, eo anno ſatius eſt omitti.

26 Quod hactenus laudabiliter, & antiquitus conſuetum eſt, maiori quo poteſt deuotionis augmento, retineri iubemus, nimirũ vt in Eccleſia Parochiali tertia Dominica cuiuſque menſis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Proceſſio fiat; imò in ijs Eccleſijs Parochialibus, in quibus nondum ea proceſſio inſtituta eſt, vt inſtituatur hortamur, at-

que

que iјs, qui præſentes fuerint quadraginta dierum indulgentiam impertimur: præcipimus quoque clericis omnibus eidem Eccleſiæ adſcriptis, vt ei proceſſioni cum ſuperpellicio, & candela accenſa interſint ſub pœna vnius aurei eiuſdem Sanctiſſimi Sacramẽti altari in eadem Eccleſia applicandi.

DECRETVM DECIMVMTERTIVM.

DE SCÆNICIS Repreſentationibus.

1 ET ſi pia ſit, & peruetuſta, in Eccleſijs, vel alibi conſuetudo repreſentandi populo ſacratiſſimam noſtri Seruatoris paſſionem, & glorioſos martyrum triũphos, aliorumque Sanctorum res geſtas, quia tamen ob deprauatam horum temporum conditionem ſacra omnia vel minus decorè tractantem, vel prophanis apochriphis, & ab hiſtorica veritate prorſus alienis rebus cõmiſcentem eò res deuenit, vt multis offenſioni, multis etiam riſui ſint, & deſpectui; ideò ſtatuimus ne vlla vnquam actio ſcęnica ſuper his deinceps fiat ſine noſtra approbatione, & licentia in ſcriptis danda ſub pœna vnciarum quadraginta, ſoluenda à principalibus operis promotoribus, & vnciarum ſex à ſingulis actoribus.

2 Inhibemus etiam ſub eadem pœna vnciarum ſex, ne quis Clericus ſcęnæ ſacræ, vel prophanæ actor ſit, ſine noſtra licentia, quam ſacris initiati minimè obtinebunt, pro comedijs amores turpes continentibus, multoque minus, vt ipſi mulierum perſonam agant.

3 Comędis venalibus vetamus etiam ſub eadem pœ-

na

na ſingulis ſoluenda, & carceris ad noſtrum arbitratum ne ſacras, vel prophanas recitationes publicè, vel priuatim habeant vllo in loco noſtræ diœceſis, niſi à nobis, vel noſtro Vicario Generali ſcriptam facultatem (accuratè priùs ijs, quæ repreſentanda ſunt, cognitis, & circumſtantijs loci perſonarum, & temporis ſedulò perpenſis,) obtinuerint, de qua in primis Vicarij foranei debent eos interrogare; quod ſi ſecus permiſerint, ab ipſis Vicarijs etiam nos grauiſſimas pœnas exigemus.

4 His Comædis ſub ijſdem pœnis interdicimus, ne permittant in plateis, vijs, aut locis publicis fœminas ſaltatrices, cantatrices, aut quoquomodo actrices in ſcęnas, ſeu ſcamna prodire, quod Vicarijs omni rigore curandum eſt, aliàs ab officio deponentur.

DECRETVM DECIMVM QVARTVM.

DE MIRACVLIS, VOTIS, VOTIVIS donarijs, & ſacra paſſione recolenda.

Cap. I.

De miraculis.

1 QVantam adhibeat Sancta Mater Eccleſia diligentiam in ſanctorum nouis miraculis dignoſcendis, & approbandis, nouit quiſque exquiſitiſſimas illas inueſtigationes, quæ in efformandis proceſſionibus pro canonizatione, vel eorumdem beatificatione perpendit; quoniam nouitatis amator vulgus, pronuſque ad læuia quæ-

quæque credenda, diuulgandaque tum maximè Dæmonũ verſutia diuinum cultum ficta ſacri ſpecie, & abuſibus perturbare tentans in dies, hac via incautas quamplurium mentes in periculoſos induxit errores, quos noſtris ouibus euitandos eſſe ſummoperè exoptantes præcipimus, vt ſi quod in poſterum ab hominibus pietate inſignibus, vel ab eorum reliquijs, aut à ſacris imaginibus, aut quoquomodo recens, nouumque miraculum fieri, aut factum eſſe videatur, quin etiam ſi à communiore populi voce acclametur, ſtatim quorum curæ eſt ea Eccleſia, aut locus, in quo id contingit, ſed in primis ipſe Vicarius foraneus nos, vel Vicarium noſtrum Generalem certiores faciant, vt rem omnem per quam ſtudioſè recognoſcamus, & diſcutiamus, & quod pietati, ac veritati conſonũ erit, decernamus; interim verò, & priuſquam à nobis de miraculi veritate ſtatuatur, nemo concionator, aut quiuis alius etiam exemptus illud audeat vt miraculum publicare; inobedientes pœnam pro grauitate delicti luent, iuxtà Pontificium Bullarũ præſcriptum.

Cap. II.

De votis, denarijſque votiuis.

2. SI contingat argenteas figuras, vel cereas, tabellas votiuas, aut alias cuiuſcumque generis ſigna in ſuſcepti voti gratiam ſacris imaginibus offerri: Vicario loci priùs notificentur; ordinatim deinde parieti illis vicino affigantur, nec abſque noſtra licentia inde extrahãtur, aut auellantur ſub pœna vnciarum ſex.

Cap. III.

De Sacra Paſſione recolenda.

3 SAcram illam, & peruetuſtam alicuius alienæ diœceſis, & fortaſſe etiam aliquorum locorum noſtræ, vt ſingulis ſextis ferijs totius anni circa meridiem lugubri campanarum ſono recolatur Chriſti Domini noſtri mors omnium ſeculorum fletibus commiſeranda, maximopere commendamus; ea vt per totam noſtram diœceſim inducatur vehementer optamus, obſecramuſque Eccleſiarum Rectores, in primis regulares; vt ſicubi hic laudabilis viget mos, perſeueret immobilis, & vbi hæc deuotio non habetur, introducatur, vt ſcilicet in ſingulis quibuſque ſextis ferijs totius anni poſt meridiem audito Matricis Eccleſiæ ſonitu, reliquæ funebri modo reſponſent, vt fideles eo admoniti ſigno ante mentis oculos ad cõmiſerandũ acerbiſſimã Chriſti Domini pro nobis patientis ſpeciem ponant, agantque, ſi non pares, quas tamen poſſunt, gratias grata commemoratione.

4 Illud tamen omnibus diœceſis noſtræ Eccleſijs omninò obſeruandum iubemus, vt ſaltem in ſexta quaque menſis martij feria ad eumdem finem ad modum funeris campanæ ſonent ſpatio ſaltem vnius miſerere, quem pſalmum, vel ter pater, & aue quicunque tunc in genua prouolutus recitauerit, quadraginta dierum indulgentiam conſequetur.

DE-

DECRETVM DECIMVMQVINTVM.

DE PRIMITIIS, ET DECIMIS ſoluendis.

1 DEcimarum, primitiarumque ſolutio de iure diuino eſt adeò Deo rerum omniũ largitori grata, vt experientia nos doceat 1 in dies nemini terram copioſiùs fructificare, quam ijs, qui liberiori animo illas miniſtris Eccleſiæ ad illorum dignitatem tuendam ſpontè, atque integrè perſoluunt; è contra verò ferendos nullo pacto eſſe, imò excommunicari mandat Sacra Tridentina 2 Synodus eos, qui varijs artibus decimas Eccleſijs, earumque miniſtris obuenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab alijs ſoluendas temerè occupant, & in rem ſuã vertunt; idcircò omnibus Confeſſarijs præcipimus, ne ſuos pœnitentes, cuiuſcumque ſint gradus, & conditionis, ab hoc crimine abſoluant, nec in Paſchate ad ſacrã communionem accedere permittant, niſi prius plena reſtitutione facta ijs, ad quos de iure decimæ, ſeu primitiæ illæ ſpectant.

1 c. reuertimini 16. q. 1

2 ſeſſ. 25. de refor. c. 12.

2 Idem præceptum eſto de ſolutione cæterorum prouentuum, qui beneficiarijs, Seminario, Cuſtodiatui, vt vocant, & Canonicis iure debentur.

3 Curati omnes prima Dominica menſium maij, & ſeptembris poſt miſſam ſolemnem Populo annuntient Tridentini 3 Concilij decretum vulgari ſermone vt ſequitur.

3 ſeſſ. 25. cap. 12.

4 *Non ſi deuono ſopportare, quelli, che con varie arti, & inganni cercano di ritenere, ò non pagar*

le decime, che ſi deuono alle Chieſe, ò che temerariamente; ò ſenza ragione occupano, ouero vſurpano quello, che deue pagarſi da altri, e le conuertono in vſo proprio, eſſendo che la ſolutione, ò pagamento delle decime ſia douuto à Dio, e perciò quelli, che non vogliono pagarle, ò impediſcono, che altri nō le paghino, ſono ſtimati ingiuſti vſurpatori di l'altrui. Comāda dūque il Santo Concilio à tutti di qualſiuoglia grado, ò conditione, che ſono obligati à pagar le decime, che per l'auuenire paghino intieramente quelle, alle quali ſono tenute di ragione à quella Cathedrale, ò à qualſiuoglia altra Chieſa, ò perſona, alle quali legitimamente ſi debbano, e che quelli, ò che le ritengono, ò le vſurpano, ouero impediſcano chi l'hà da pagare, ſi debbino ſcommunicare, ne s'aſſoluino da queſto peccato, ò delitto, ſe non dopò che hauranno intieramente reſtituito, & ſodisfatto.

5 *In oltre il medeſimo Concilio nell'iſteſſo capitolo eſſorta ciaſcuno, che per carità Chriſtiana, e per obligo, che deue tenere, & hauere con i ſuoi Paſtori, e Curati non le paia graue, ſouuenir largamente di quelli beni, che Dio li hà dato à laude, & honore di Sua Diuina Maeſtà quelli Rettori, Curati, e Cappellani Sacramentali, che con le poche entrate loro nō poſſono conſeruare, e mātenere conuenientemente ſe ſteſſi, e le Chieſe loro.*

6 Oblationes, quæ Matrici Eccleſiæ, aut Collegiatæ, vel parochiali feſtis ſolemnibus fieri ſolent, & debent, vt omninò ſoluantur, & fiant mandamus 1.

1 c. omnis chriſt. de conſ. diſt. 1. c. ſtatuim. 16 q. 1.

DE-

DECRETVM DECIMVM SEXTVM.

DE TEMPLIS, ET ALTARIBVS.

1 Ecclesiaſticorum cura præcipua eſſe debet in Eccleſiarum veneratione, nitore, & immunitate tuenda, promouendaque, vtpote quæ domus, & aula Dei, & porta cœli, cuius cuſtodiæ & ſi omnes, ſed inprimis Rectores, Curati, & Vicarij præficiuntur, vt sãctitudo domum Dei decens, & decor in ijs auguſtè ſeruetur, & in omnium conſpectu ſicut ſponſæ ornatæ viro ſuo ſemper appareant; mente enim quiſque verſare debet, propterea locus iſte terribilis eſſe in ſacris litteris, dici, quia nimirum innumeræ calamitates eos manent, qui templorum cultum curare neglexerunt, aut violarunt; nos igitur pro paſtorali noſtri muneris ſollicitudine domus Dei venerationem, & decorem ſuper omnia diligentes, illum meliori, qua poteſt, ratione inſtaurandum, augendumque iuxta ſacrorum Canonum, atque Sanctorum Epiſcoporum normam curamus; Vnde ſubſequentes præſcribimus regulas omnibus omninò tenendas.

Cap. I.

De ijs, quæ ad interiorem Eccleſiarum ſtructuram pertinent.

2 IN nouis templis erigendis, vel ſacrandis, obtenta priùs à nobis facultate, Architectus, alijque in cõſilium

ſilium adhibendi ſunt hac arte, & ingenio pollentes, qui illud in primis aduertant, vt locus ſit confluentibus pietatis, orationiſque cauſa opportunus, ab omni ſtrepitus occaſione remotus, imò quantum fieri poteſt ſit inſulæ inſtar, nimirum à reliquis quibuſcumque ædificijs ſecularium ſeiunctus; idcircò laicorum hominum ædes in poſterum, quæ templi parietes aliqua ex parte contingant fabricari minimè patiantur Vicarij ſub pœna vnciarum quatuor fabricæ Eccleſiæ illius ab ipſis Vicarijs ſoluendarum, alijſque grauioribus ex noſtra ſententia infligendis tum fabricatoribus, tum ijs, quorum mandato conducti ſunt.

3 Quamuis verò ſacrarum ædium figura multiplex eſſe poſſit, illa potior videtur ab apoſtolicis ferè temporibus inducta, quæ Crucis formam exhibet; Ara maxima pro Eccleſiæ magnitudinis proportione loco eminētiori erigatur, e cuius regione ianua primaria aditum faciat; in parte autem huius portæ ſuperiori extrinſecus illius Sancti imago depingatur, aut ſtatua collocetur, qui Eccleſiæ nomen facit.

4 Parietes firmi ſint, & ex omni latere intus bene definiti, ac dealbati, nullumque in eorum interna præſertim facie foramen relinquatur, nihilque procax inhoneſtum, falſum, aut apochryphum depingi, aut ſculpi permittatur; imagines verò carie, ſitu, aut ſordibus ſquallentes eradantur, & dealbatione à conſpectu amoueātur.

5 Tectum ſiue laqueatum, ſiue fornicatum fuerit, ita omni ex parte integrum ſit, vt totum ædificium commodè contegat, nec imbrium modo vim arceat, ſed ſtillicidia etiam prohibeat, quæ inter alia incommoda illud maximum afferunt, vt contignationi detrimento ſint nō contemnendo; ad eum denique modum compactum ſit,

vt

vt ne lacertis quidem, cæteriſque eiuſmodi animantibus, aditus ad Eccleſiam pateat.

6 Lignum ſine fixuris feneſtras, noctis tempore, vel hyemis, aut ſolis æſtuantis claudat, vel vitrum, aut ceratæ telæ, quæ etiam auibus in ſacras ædes, quo adfieri poteſt, ingreſſum impediant.

7 Pauimentum, aut lapide, aut laterculis, vel opere teſtaceo, vel alia quauis æqua, ſolidaque materia conſtratum ſit, ne ad illud incedentes offendant, idque ſemel minimum ſingulis verratur hebdomadis, ne ſitus puluere, ſeu quoquomodo ſordeſcat, atquè ne ſanctæ religionis myſteria pedibus terantur, crucis, aut ſancti alicuius imago in ſolo pingi, ſculpiue, nequidem in ſepulchralibus lapidibus permittatur.

8 Ærea, aut marmorea monumenta in pauimento deinceps collocanda illi omninò coæquentur, ne per Eccleſiam ambulantibus, præcipuè ſacram hoſtiam, aut ſanctorum Reliquias, vel ſacrum oleum deferentibus ſint offendiculo.

Sacriſtia.

9 Sua cuique templo adhæreat ſacriſtia illius amplitudinis, quam & templi magnitudo, & miniſtrorum numerus, quibus eſt frequentanda, requirit; ibi ad Sacerdotis manus abluendas è marmore, aliauè perpolita materia, vas pura ſemper aqua repletum, & muro adhærēs ponatur; non longè etiam adſint ad abſterſionem mūda, integraque mantilia è tornatili ligno cadentia, aliaque ad miſſę præparationem, & gratiarum actiones in oratorijs neceſſaria, vt de ſacrificio miſſę agentes adnotauimus.

Inſu-

10 Inſuper armarijs affabrè factis, claueque obſeratis, in quibus ſacræ veſtes, & Reliqua Eccleſiæ ſuppellex aſſeruetur, inſtrutam eſſe oportet ſacriſtiam.

11 In ſacriſtia ſit tabella miſſarum ex obligatione perpetuò celebrandarum, dierum feſtorum, & vigiliarum de præcepto. Item Bulla in cœna Domini, & catalogus caſuum nobis reſeruatorum. Inſuper ſint deſcripti dies anniuerſarij in eadem Eccleſia celebrandi, atque liber in quo ſua propria manu ſubſcribat quiſq; Sacerdos miſſam, quam eo die, & pro quo obtulit; quorum quidem onerum, & ſatisfactionum punctator in qualibet Eccleſia à nobis deſignandus curam habeat.

12 Propè ſacriſtiæ portam cāpanula muro affigatur, quæ Sacerdotis ad ſacrificandum è ſacriſtia prodeuntis ſignum ſit volentibus illi intereſſe. Sacriſtiæ cura, vel ſacriſtæ officium mulieribus nequaquam committatur, aut committi permittatur ſub pœna ad noſtrum arbitrium. Imò mulieres nè in ſacriſtiam aliquam ingrediantur ſub pœna excommunicationis prohibemus; arceantur inſuper tumultus, vaniloquia, circuli, & quidquid orationi vacantibus impedimento eſſe poteſt.

Fons Aquæ ſanctæ.

13 Ad vnumquodque oſtium intra Eccleſiam, & à latere ingredientium dextro, fons aquæ benedictæ erigatur, vel parieti decenter affigatur, qui ſingulis ſabbatis mundetur, & nouis limphis repleatur.

Cathedra Epiſcopi.

14 Si quando, vel viſitationis gratia, aut alia de cauſa ad

la ad aliquam Eccleſiam venturus ſit Epiſcopus, eius Cathedram in ſublimi loco collocatam eſſe addecet, ad eum prorſus modum, quo in Cathedrali ſita eſt, & vnde cōmedè omnes intueri, & ab ijs viciſſim conſpici poſſit, itē concionem habere, ſi velit, aut audire, atque populo benedictionem impertiri queat.

Chorus.

15 Eccleſię, quas Canonici, vel Clerus quotidie ad Deo pſallendum adire debent, chorum habeant poſt, vel circa maius altare, in quo lignea ſubſellia ita diſponātur, vt in ſuperiori ordine digniores, minus dignos in ſecundo, & vbi opus eſt in tertio commodè capere valeāt.

16 Cancellis ſeptus ſit, vel ab eius Rectore ità ſanctè cuſtodiatur Chorus; vt eo magis tempore, quo diuinæ recitantur laudes, ad illum nemini laicorum aditus permittatur, quod ſi qui ſæcularium hominum tunc chori ſubſellia occupantes ab Eccleſiæ ſuperiori admoniti, egredi nihilominus è choro recuſauerint, ſint ipſo facto excommunicati.

17 Non propterea grauibus viris negamus quin ſi plura ſint ſubſellia, quam Clericorum numerus poſtulat, ea tunc modeſtè occupare poſſint, dummodò Clericis non intermiſceantur.

Organum.

18 In eo ſublimi loco decorè conueſtitum reponatur organum, quo facilè à Choro videri, & obaudiri poſſit, quæ autem in organo canuntur, ſint ſacra, & grauia, atque vbi cum choro alternatim miſcendus eſt cantus, vtrique parti debita præſtetur attentio; ſymbolum verò fidei totum à choro, vel ab organi muſicis, non autem viciſſim canatur.

19 Organi præfectus venientem Epiſcopum diebus

feſtiuis graui modulamine excipiat, itemque abeuntem proſequatur, quod dum ſacras ille veſtes induit, aut diuina dape populum paſcit exequetur.

Suggeſtus Concionatoris.

20 In Eccleſijs Parochialibus, vel ſacramentalibus ſuggeſtus decenti opere, & forma ab Euangelij latere, eo loci reponatur, vnde ad populum omnem commodè concio haberi poſſit, atquè à ſolemne ſacrificium faciéte in altari maximo exaudiri, & videri.

21 Ad ſuggeſtus latus, quod altari maximo viciniùs eſt, noſtri Seruatoris è cruce pendentis ſignum ſuggeſto ipſi benè, decenterque coaptatum, adeò vt facilè moueri à concionante queat, erigatur; Pridie autem eius diei, quo concio habenda eſt, ſuggeſtum ſacriſta ab omni ſordè mundabit, & ſua propria veſte, quæ neque altaris pallium ſit, neque pluuiale, exornetur; ſugeſtus item, & organa altaribus ne immineant; ſi quæ autem tali ſitu extructa ſunt, interdicuntur.

Sacrarium.

22 In ſingulis Eccleſijs, in quibus res diuina, etiam ſi ſemel in anno, peragitur ſacrariùm omninò ſit, aut propè altare maius, aut in ſacriſtia, illudque claue obſeretur.

De Baptiſterio, Tabernaculo, & Confeſſionale.

23 Cum ageremus de ſacramentis in genere dictum eſt de baptiſterio, & Tabernaculo; de confeſſionalibus autem addimus illa debere patenti loco, atque conſpicuo collocari, quæ ferream laminam paruis foraminibus interiectis vtrinque habeant ad audiendas mulierum cōfeſſiones.

Ca-

Cap. II.

De Altaribus.

24 NVllum nouum Altare, aut Cappella in Eccleſijs noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis erigatur inconſulto Epiſcopo, aut Vicario Generali, ad quos illius etiam formam præſcribere ſpectat; qui inobediens erit pœnas vnciarum decem Eccleſię fabricę, quam nos deputabimus dependet.

25 Iuxtà Eccleſiæ magnitudinem loco ſublimiori collocetur Ara maxima, et ita, quò ad fieri poteſt, vt ſacrificantis facies Orientalem plagam aſpiciat; altaris autem ſtructura, ſupra quo ſacroſanctum, & incruentum ſalutis noſtrę ſacrificium imolatur, affabrè concinnata eſſe debet, vt tantum addecet munus, ex perpolyto igitur lapide, aut ſaltem lateritium ſit, non autem ligneum, ſine ſpeciali noſtra licentia in ſcriptis; nullum in eo foramen, aut feneſtella relinquatur, niſi fortè in Epiſtolę cornu ad pateram cum vrceolis aſſeruandam; nihilque pœnitus ſub eo reponatur, præter reliquias, aut res ad vſum ſacrũ deputatas. Columnis, pilisque ne adhæreant, nec ad Arę maximę regionẽ, nec eidem aræ maximę, aut ianuis admodum propinqua ſint altaria, aut in locis nimis anguſtis.

26 Aræ maximę ſeptem minimum ſit, reliquarum autem ſex ſaltem palmorum longitudo; ſed omnium altitudo in quatuor tantum palmos, aut quartę cum dimidio, latitudo in tres circiter palmos protendatur. Vnũquodq; altariũ ſi non ligneum, vt par eſt, at certè lapideum, aut lateritium ſcabellũ habeat, quatuor ſal-

tem palmorum latitudinis, vt Sacerdos in eo commodè genuflectere queat; longitudinis verò eiuſdem, ac ipſum extenditur altare;ſupra ſcabellũ ſolus ipſe ſacrificans, non verò miniſter, aut quiuis alius ſtet, vel genuflectat.

27 Quodlibet altare,ſi fieri commodè poteſt,at ſaltẽ maximum cuiuſcumque Eccleſię, præſertim in quo Auguſtiſſima ſeruatur Euchariſtia, cãcellis lapideis, vel ferreis, aut ligneis arte elaboratis ſępiatur, qui tanto ſpatio à ſcabello diſtent, quod diaconis, Clericiſque ad rei diuinę miniſtrandum ſatis eſſe poſſit; porrò intra hos cancellos nemo à miniſtris dum miſſę ſacrificium peragitur morari permittatur.

28 Altaria omnia, quę tota ſacrata non fuerint, arulam habeant ex lapide ſacrato iuxtà Pontificalis Romani leges, quam vulgò *Altaretto* appellant, de qua ſupra cum de ſacrificio miſſę aliquid innuimus; quapropter arulas, quę ſunt anguſtiores prędicta menſura 1, vel fractis ſigillis deturpantur, vel carent ſanctorũ reliquijs, velut ad ſacrificium ineptas interdicimus; quare ſi quis in his audactèr miſſam celebrauit,quatuor vnciarum pęnas perſoluat; & ſanè ſua debet hęc ſingulis altaribus ſtabilis eſſe arula, quod ſi iuſta de cauſa, & cum legitima facultate aliquando portatilis transferenda ſit, hęc ita fixo altari aptetur, & ſtabiliatur tempore ſacrificij, vt vel altari ęqualis ſit, vel parùm illi emineat.

1 ſcilicet longitud. vnius palmi cũ dimidio. latitud. vnius palmi.

29 Triplici quodlibet Altare lineo velamine, dum in eo ſacroſancta immolatur hoſtia, veſtiatur, quorum extimum ad terram vſquè ex vtroque altaris cornu fluat; reliqua verò duo, ſi ara tota ſacrata fuerit, & ipſam totam ſupernè contegant, ſin minus, totam ſaltem arulã cooperiant.

Dup-

30 Dupplex, vel vnicum adſit puluinar, cui miſſarũ liber inhæreat.

31 Tela viridi, alteriuſue coloris peracto miſſæ ſacrificio, mantilia altaris deſuper cooperiat ad puluerẽ arcendum.

32 Tabella artificioſè expolita coloribus, auro, argentoque depicta, quæque ſuis gradibus aſſurgant ad Crucem, ſacras ſtatuas, vaſa florum, candelabra, cæteraque ornamenta ſuſtinenda altaribus apponantur; chartulas quoque, in quibus expreſſa ſint, quæ à ſacrificante ſecretis proferenda ſunt vocibus.

33 Anterius pretioſiori, quo poteſt, iuxta Eccleſiæ vires, diebus præſertim feſtiuis, altare præfulgeat periſtromate, ſeu pallio, eiuſque coloris, quem Rubrica præſcribit, quod item diebus feriatis ſeruetur; ſimplici ſerico, aut decore depicta tela, aut ex corio auro illito pallia altaribus adhibenda ſunt.

34 Altaria ſi quæ ſunt ſub organo, vel ſuggeſtu extructa, amoueantur nec in poſterum extruantur.

35 Cæterum eorum apparatus ſit ſemper ſplendidus, nitidus, rectèque diſpoſitus adhibitis candelabris, vaſis, florum ramis, & ſacris imaginibus; cauendum tamen eſt ne inter hæc, aut hominum à Sancta Sede Apoſtolica non beatificatorum, aut belluarum, aliorumque ſimilium ſtatuæ, vel quæuis prophana gaza miſceatur.

Cap. III.

De reliquis Templorum ornamentis.

36 SEdulò recogitent Eccleſiarum Rectores in partẽ eorum venire, qui pertimeſcendis diuinæ vindictæ

ctæ flagellis plectendi ſunt, ſi ſordido quæſtu, aut per ſummam negligentiam permittant domum orationis ſpeluncam latronum fieri ab ementibus, vendentibus, aut negotiantibus, & obambulantibus; quamobrem nō celebrioribus modo ſolemnitatibus, ſed nec aliquo vnquam tempore officinæ, vel tabulæ huiuſmodi intra Eccleſiam eſſe ſinant, aut cuiuſcumque rei etiam deuotionis gratia venditores; multo minus permittendum eſt aquæ vitis, vel aquæ niuis frigidæ, ſeu cuiuſuis alterius eſculenti, vel poculenti venditores per Eccleſiam vagari ſub pœna omnium rerum venalium; imò neque deforis ipſius eccleſiæ parietibus aliquid venale appendatur; qui ſecus fecerint, rebus ipſis venalibus mulctentur, & negligentia Rectorum, ſi quando hac in re extiterit, vel conniuentia, noſtris penis aſperioribus ſubiaceat; quin imò ſi contigerit ad Eccleſiæ aream, vel viam nundinas haberi, earum tabernas ſaltem vnius vlnæ ſpatio à Templi parietibus, & ianua diſtare mandamus; fores omnes à Clerico oſtiario, cuius intereſt ex officio, quoad fieri poteſt, & hora quidem conſueta, atque conuenienti aperiantur, & obſerentur; ad eum etiam canes ab Eccleſia arcere intereſt.

37 Nemini liceat, præſertim onera portantibus; Eccleſia tanquam via publica, vti; quare ad indecentes hos & peruios tranſitus pœnitus impediendos Sacriſtæ inuigilent, illiſque alterum oſtium præcludant.

38 Quæcumque ad ipſius Eccleſiæ cultum, ſed præcipuè ad diuina miniſteria ritè obeunda vſui futura vidētur ſingulæ eccleſiæ in promptu integra, mundaque habere debent pro officiorum varietate, ac ſolēnitate iuxtà Rituum, aut temporum differentias; quapropter curandum in primis eſt, vt certis, tutiſque facultatibus dotentur;

tur;

tur; nimirum quæ ad miſſam celebrandam, ad miniſtrā-dum ſacramentum, ad horarum canonicarum cantum, funeralium officium, proceſſionum decorem, benedi-ctionum cæremonias, cęteraque munia ſuo ordine pertinent: lampadas vitreas, vel ſtanneas mundas cum ſubiectis patinis, quas lampadarias vocant, conopęa ad ſacratiſſimę Euchariſtię Tabernaculum abtegendum.

39 Quinque pallia pro ſingulis aris, ſi fieri poteſt, videlicet, albū, rubrū, viride, violaceum, & nigrum; tapetum pradellę, vt aiunt, amictus ſacerdotales, albas, cingula, planetas cum ſtolis, & manipulis eiuſdem materiæ, & coloris, cuius etiam ſint vela ſerica, & burſę, calices, & patenę argenteę ex interiori ſaltem parte benè deauratę, quę à ſacrata hoſtia, & vino tangenda eſt. Itē munda habeant corporalia, pallas, purificatoria, & cottas, ſeu ſuperpellicea, vrceolos cum ſua peluicula, miſſalia cum ſignaculis, & puluinaria, ſeu quos diſcos appellant, & tintinnabula neceſſaria.

40 Eccleſię inſuper Parochiales, ſeu ſacramentales pro Sacramentorum adminiſtratione habeant in primis duas pixides, alteram pro ſemper in tabernaculo ſeruanda, alteram pro ſacra hoſtia ad ęgros ferenda; velum album ad contegendos Sacerdotis deferentis humeros, vmbellam, aſpergillum aquę benedictę, laternas, ceroferaria, tintinnabula grandiuſcula, ſeu geſtatoria, vaſa ſacrorum oleorum, vaſa pro laicorum purificatione, & mantilia ſubſtrata menſę communionis, lectorilia, libros pſalterij, antiphonarum, gradualium, hymnorū, iuxtà Vrbani VIII. Correctionem, rituale Sacerdotale, & Cęremoniale.

41 Teneant quoque ſed maximè inſigniores Eccleſię Parochiales, & Collegiatę pluuialia, dalmaticas, tuni-

cel-

cellas, turibula, & Manicolas cum coclearibus.

42 Prętereà Eccleſia Cathedralis curet ea, quę Epiſcopalem ornatum, vel ad celebrandum, vel ad Pontificalia exercenda, eiuſque miniſtros ſpectant.

43 Vniuerſa autem hęc ſuppellex nequaquam in domibus laicorum quouis prętextu ſeruetur, ſed in ipſa eccleſia, quę idcircò armaria ampla, armariola, capſulaſque clauis proprijs obſeratas habeat, multoque minus ad ornandas eorumdem laicorum domos, aut ſedes, vel honeſtanda funera commodentur, quę ad ornatum Eccleſię pertinent; transgreſſor in pœnam quatuor aureos ſoluere adſtringatur Eccleſię, cuius ea fuerint ornamenta.

44 Curę autem ſit pręcipuè Eccleſiarum Rectoribus in prędictis omnibus, vt nitoris, & decentię ratio habeatur, nec vlli mutuo dentur.

45 Si quę verò ornamenta contigerit fieri magni pretij, & ſumptibus ipſius Eccleſię, vel fabricę magni valoris, ne fiant nobis inconſultis; aliàs mulctam tranſgreſſores dabunt non contemptibilem.

46 Solemnioribus anni diebus tẽpla auguſtiùs exornentur tum ad nitidiorem cultum, tùm ad fidelium conſolationem; ad huiuſmodi tamen apparatus meminerint, quod aliàs grauiter admonuimus, ne prophanas imagines adhibeant, & vt in reliquis omnibus ad amuſſim ſeruetur cœremoniale Clementis VIII. iuſſu editum, ac de nouo auctoritate Innocentij X. recognitum.

Cap. IV.
De Cappellis Iuris patronatus.

47 SI quę ſunt in Eccleſijs noſtrę diœceſis cappellę, & altaria de iure Patronatus, à patronis intra ſex men-

menſes à die publicationis præſentis Synodi numerandos, neceſſarijs ornamentis, & fabrica inſtruantur, quo elapſo termino, niſi aliter in Domino propter Eccleſiæ neceſſitatem, & vtilitatem deliberauerimus, diruantur, vel alteri patrono magis idoneo, ex noſtra tamen licentia, concedantur, vel Eccleſiæ ipſi incorporentur.

48 De nouo autem nemo erigere cappellam, aut Eccleſiam præſumat, vel erectam iam ſibi vſurpare, niſi facultate à nobis in ſcriptis obtenta, qui prius locum, & ea, quæ neceſſaria ſunt Dei domui per idoneos viros recognoſcenda curabimus; ſed nemo hanc poteſtatem à nobis fore vt obtineat ſperabit, quem Eccleſiam illam, vel cappellam ſufficientur non dotaſſe, certoſque redditus ei addixiſſe viderimus, quod etiam in Eccleſijs, ſeu cappellis ruralibus diligenter obſeruabimus.

Cap. V.

De Sepulchris, cadaueribus ſepeliendis, & cœmeterijs.

49 AD interiorem Eccleſiæ cultum ſtructura, & decus pertinet ſepulchrorũ, quorum cura vel ab antiquis Patriarcharum temporibus maximè commendatur in ſcriptura Sacra.

50 Et vt ab eorum molimine exordiamur, ea in poſterum nonniſi in fornicem, & ex ſolido ducantur lapide, ſub altaribus, aut eorum gradibus, vel propè illa; ſed intra chori, maioriſue cappellæ, aut baptiſterij fines ne permittantur, aliàs ipſo facto Eccleſia interdicta maneat, cæteraſque Pontificijs 1 decretis taxatas eius Rectores pœnas dent, nene deinceps marmor ſepulchrale in ſolo,

1 Cõgr. Epi. 6. Septemb. 1593. Pius V. an. 1596.

ita elaboratum concedatur, vt ad eius partes prominentes offendant pedes.

51 Mandamus inſuper vt in Eccleſijs tantum, aut in earum cœmeterijs, & nonniſi in ſepulchris concameratis deinceps cadauera ſepeliantur, nunquam verò effoſſa in humo, ſeu, vt aiunt, *In pulvaina*; qui ſine licentia Vicarij loci ſecus fecerit, vncijs decem mulctetur; cui pęnæ etiam ſubiaceant Curati, aut Eccleſiæ illius officiales, qui id permiſerint.

52 Quia autem aptior, & decentior ſepulturæ locus eſſe debet Eccleſiaſticorum, quam laicorum, quoad fieri poteſt, eorum ſepulchra ſeiungantur, præſertim verò ſacerdotum.

53 Perantiquam, atque valdè commendatam in Rituali Romano conſuetudinem approbamus, pœnituſque ſeruandam hac lege ſancimus, vt videlicet infantium baptizatorum corpuſcula, qui ante annos diſcretionis obierunt, ſpecialibus humentur loculis, non autem in communibus, & promiſcuis Eccleſiarum, atque cæmeteriorum ſepulturis; at ſi poſt annos diſcretionis vitam cum morte cõmutarunt, cum cæteris cadaueribus deponantur.

54 Sacriſtæ, aut quiuis alius delata ad Eccleſiã cadauera exuere ne audeãt, aut quidquã ab illis ſurripere; aliàs ipſo facto in pœnã excõmunicationis incurriſſe declaramus, & carceribus ad noſtrum arbitratum addicemus.

55 Fidelium mortuorum cadauera in Eccleſiarum, aut cœmeteriorum ſolo (vt diximus) condantur, nunquã verò in excelſo loco: qua in rę omninò ſeruetur Vrbani VIII. præſcriptum; Imò verò ſi qua ſunt antiquitùs in excelſo loco repoſita, ſi commodè poteſt, remoueantur vna cum eorum ſepulchris, niſi fortè hæc fuerint ærea, vel marmorea...

Os

56 Os ſepulchrorum ab altaris ligneo ſcabello diſtet, & duplici claudatur operculo, quorum vnum ita ab alio diſtet, vt ſaltem palmaris intercedat humus ad tetrum odorem omninò impediendum.

57 Occiſorum corpora intra fines Eccleſię repoſita, vel iam ſepulchris condita nulla de causa à miniſtris criminalium iudiciorum in locis ſacris recognoſci permittantur, ſed ſi opus fuerit ad delicti corpus comprobandum, ad locum non ſacrum de Vicarij loci facultate transferantur inſpicienda; mox ſi nullum canonicum impedimentum obſtet, Eccleſiaſtica ſepultura donentur.

58 Nonniſi iuſtis de cauſis, atque ex licentia Vicarij foranei cadauera in Eccleſijs ſuper pauimentum loco depoſiti inſepulta ſeruentur; & quidem non vltra menſem, quo elapſo, vel ad deſtinatum locum ſtatim transferantur, vel illicò infra humum ſepeliantur ſub pœna Rectoribus Eccleſiarum ſuſpenſionis ad noſtrū arbitriū.

Cap. VI.

De Cœmeterijs.

59 AD excitandam fidelium erga defunctos charitatem, conditioniſque humanę finem ob oculos ponendum antiquitùs conſtructa ſunt in ipſa Eccleſiarum area cœmeteria, quæ locum ſacrum eſſe nulli dubium eſt; ideoque ipſius Eccleſiæ muris, & præſertim portæ maiori adhęrere debent, & vndique occluſa non modo beſtijs ſed etiam negotiantium hominum congreſſibus; in eorum medio Crux lapidea, vel ferrea, aut lignea concinnè elaborata erigatur; vites, aut cuiuſuis generis arboris ab ijs omninò extirpentur; oſſa autem de-

funɾtorum, & cineres extra cœmiterium nullo pacto ſi-
ne noſtra licentia transferantur, aut collocentur; nec in
eis ludi quoquomodo permittantur.

Cap. VII.

De ijs, quæ exteriùs Eccleſiæ adiuncta ſunt.

60 HActenus de interiori templorum ſtructura, ornamentis, cæteriſque requiſitis; agendum ſupereſt de ijs, quæ ad Eccleſiam extrinſecus pertinent, inter quæ cum toto vertice emineat campanile, ei principem locum damus; ſuum igitur campanile cuicumque templo eſſe debet, qua poteſt artis, lapidumque excellentia conſtructum, & quidem Eccleſiæ, vel ſacriſtiæ foribus proximum, in quo campanæ ex peruetuſto fideliũ more benedictæ appendantur.

61 Supra templi tectum nulla domus, aut cubiculum ad prophanos vſus extrui de nouo, aut in extructo quẽquam habitare concedatur.

62 Occludi omninò volumus omnes feneſtras domorum priuatarum, cuiuſcumque ſint, quæ Eccleſiam propè ſitam proſpiciunt, ne ab ijs, qui in Eccleſijs immorãtur, cum illis, qui in feneſtris adſtant collocutiones, aut mutui, vanique conſpectus habeantur.

63 Artifices opus rumore, ſtrepituque plenum exercentes, vt ſunt ferrarij, lignarij, ſimileſque officinas propè Eccleſiam habere ne permittantur ſub pœna noſtro arbitrio infligenda.

Cap.

Cap. VIII.

De reparatione Eccleſiarum dirutarum.

64 SCiant omnes, ad quos eius cura pertinet, vbi Eccleſiam aliquam vetuſtate, aliaue temporũ iniuria dirutam eſſe, aut ruinam minitari per negligentiam, aut auaritiam, vel ſummam inopiam paſſi ſunt, nos omnibus modis curaturos iuxtà Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi 1 præſcriptum, inſtaurandam, reficiendamque; quod ſi in votis euenire non potuerit, eius beneficia, ſi quæ ſunt, etiã iuris patronatus in matrices, aut alias Eccleſias eiuſdem loci infra annum à die celebrationis huius Synodi computandum transferemus, illarumque ſoluta prophanis vſibus, non tamen ſordidis, (erecta tamen Cruce, ibidem ſemper duratura,) concedemus. 1 ſeſſ.21.c 7

65 Sint autem in eo maximè diligentes Eccleſiarum Rectores, alijque miniſtri, vt templorum dirutorum materia, ligna, lapides, itemque reliqua ſuppellex, vt veſtes ſacerdotales, altarium ornamenta, imagines, campanæ, &c. ſeruentur ad eorumdem inſtaurationem; nullo autem modo alienentur, aut vendantur, præter quã in caſibus à iure permiſſis, & obtenta priùs à nobis facultate in ſcriptis, ſine qua nec in prophanos vſus conuertere, nec alijs vtenda tradere, nec ſibi retinere poſſunt; quod ſi quiuis inobediens eſſe reperiatur, & ad rẽ ipſam reſtituendam Eccleſiæ, & ad vnciarum decem pœnam damnabitur.

DE-

DECRETVM DECIMVM SEPTIMVM.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, & de confugientibus ad ipſas.

1 IN templis, cæteriſque locis ſacris, & inuiolabilibus vbique gentium patuit ſemper ſanctum aſylum 1, ad quod confugientes ſine ſummo piaculo vi extrahi, auellique non poterant; vnde immunitas Eccleſiarum, quæ Dei viui, & veri domicilia ſunt, diuino præcepto inſtituta, & Canonicis 2 ſanctionibus propugnata eſt; quare nullo modo permittendum eſt vt confugiẽtibus ad templa, & ad loca ſacra, ob criminalem, vel ciuilem cauſam vis aliqua, niſi in caſibus exceptis in bulla Gregorij XIV. hac de re edita 3; ſi quis autẽ ſecularis miniſter auſu temerario inde eos extrahere inuitos, vel abducere prçſumpſerit, ſciat ſe ipſo facto canonum, præſertim citatæ bullæ pœnas ſummoperè extimeſcendas incurriſſe.

1 Vide Ambroſinum de immun. c. 1.

2 Exod. 21. Gen. 46 Trid. ſeſſ. 25 de refor. c. 18. Deuter. 19. Ioſue 20 Regum l. 3. c. 2.

3 quæ incipit, cũ alias nonnulli inferatur.

2 Quia verò perditiſſimos homines eſſe ſcimus, qui huius immunitatis prætextu Eccleſias latronum ſpeluncas faciunt, peſſimèque tuti ſuorum ſcelerum, quæ tunc magis frequentant, impunitate, cum aliorum maximo damno, atque in ſacrarum conſtitutionum fraudem ad multos annos gaudent, præcipimus omnibus, & ſingulis noſtris ſubditis, ad quos Eccleſiarum, locorumque immunium cura ſpectat, vt prædictam fœlicis recordationis Gregorij XIV. conſtitutionem ad amuſſim ſeruent, ſeruandamque curent perquàm diligentiſſimè.

3 Inſuper caueant ne facinoroſi prçter quam in caſu gra-

grauis, & imminentis periculi, atque ad tempus, ſcilicet ad tres, aut quatuor dies in Eccleſijs, locisue ſacris diutiùs commorentur ſine noſtra licentia, quam, ſi opus fuerit impertiri, nonniſi in ſcriptis, & ad determinatum tēpus, & infra ad noſtrum beneplacitum obtinebunt; quod ſi Rectores locorum Eccleſiaſticorum cōtrarium permiſerint in excommunicationis ſententiam incurrent, atque vnciarum decem, alijſque Epiſcopi arbitratu pœnis punientur.

4 Volumus inſuper, quod prædicti Eccleſiarum Rectores, alijque ad quos attinet, etiā Regulares noſtro Vicario Generali in Vrbe, in Diœceſi Vicario loci deferant quotquot ad eorum Eccleſiam confugerunt, & ab ea intra præfixum ſpatium non abſceſſerunt, vt inde ad noſtrū carcerem mora nulla abducantur, ad maturiùs deliberādum num immunitate gaudeant. Inobedientes noſtro plectentur arbitrio.

5 Quod ſi fortè vel neſcientibus, aut etiam repugnātibus Eccleſiarum Rectoribus huiuſmodi homines in ſacroſanctum aſylum ſe ſe intruſerint, ijdem Rectores ſub eadem pœna Epiſcopum quamprimum certiorem faciant, ſeruaturi quidquid ab illo hac in re iniunctum fuerit.

6 Quoniam verò non ſemel accidit vt circumueniantur loca ſacra à ſatellitibus magiſtratuum, & Iudicum ſecularium; vel ne perditiſſimi homines, qui illùc immunitatis ſpe perfugerunt, ad grauiora facinora perpatranda exeant, vel alia de cauſa eant, redeantque; viſum eſt nobis in Domino, vt magno periculo Eccleſiaſticæ immunitatis per imprudentes ſatellites violandæ, alijſque malis non contemnendis, offenſionibus, & ſcandalis, quæ in eiuſmodi occaſionibus ſolent euenire, occurratur, præcipere loci Vicario, vt preſtò ſit, & per ſuos mi-

miniſtros ab Eccleſia ad carcerem ſontes illos abducat ibique tādiù noſtro nomine eos cuſtodiendos curet perdiligenter, quoad à noſtris Conſultoribus iuridicè deliberabitur num ſacri perfugij beneficio gaudeāt? Si enim gaudere declarabitur, ab omni prorſus etiam carceris, ſatellitumque expenſarum detrimento liberū, & immunem loco, vnde extractus eſt, reſtituet Vicarius noſter; quod ſi non gaudere decidatur, foro, iudicioque laicali, vt iura mandant, illum relinqui iubebit.

7 De immunitate Eccleſiaſticorum, eorumque bonorum dicemus in ſeſſione tertia, quæ erit de perſonis diuino famulatui addictis.

DECRETVM DECIMVMOCTAVVM.

DE VISITATIONE ECCLESIARVM ab Ordinario facienda.

1 SAcroſancta Tridentina Synodus nihil magis magiſque Epiſcopis iniungit, quàm vt Eccleſiarum omnium, locorum, operumque piorum, atque beneficiorum, quotquot in ſua diœceſi ſunt, viſitationis munus ea, qua par eſt diligentia, obeant, inde enim malis ſi quæ ſunt, aut timentur opportuniora adhibentur remedia, quando propius illa cognoſcuntur, & hæc ipſius medici edocta manu comparantur; quamobrem vt fęlici, & expetito euentu noſtra, aut eius, cui id muneris, vbi per noſmetipſos exequi non poterimus, demandabitur, viſitatio contingat, obſeruandum erit in primis, vt ſtatim ac de primo ſtatutæ viſitationis die certiores facti ſunt Vicarij, & Curati, ſedulò populum adhortentur, vt animi

macu-

maculis confeſſione deletis, diuino refecti cibo, gratiores pro ſalutari viſitationis exitu ad Deum optimum maximum preces effundant. Moneant inſuper viſitationis præcipuum finem eſſe Eccleſiarum dignitatem tueri, & promouere; Clericorum diſciplinam reformare; prauos mores corrigere, inducere bonos; defunctorum hominum pias voluntates executioni mandandas curare; ſingulas parochias, monaſteria, ſodalitia, confraternitates, hoſpitalia, congregationes, loca, & opera pia, quęcumque illa ſint, ad ſacrorum Canonum, atque ſynodalium conſtitutionum normam componere.

2 Vt Epiſcopum viſitandi cauſa appropinquantem audierint Vicarij, & Curati, monendas ſuas oues curent diligenter, & magiſtratum vt Paſtori ſinceris letitiæ, & reuerentiæ ſignis obuiam procedant, præferentes iuxtà Concilij Turonenſis decreta illos, qui confirmationis ſacramentum ſuſcepturi ſunt, vtque ſtatis hymnorum, pſalmorumque precibus, eum tamquam vices Chriſti Domini gerentem perhonorificè ſuſcipiant, ſecundum Rhotomagenſis Conſilij ſanctiones, cuius canone conſtituta erat excommunicatio ijs, qui huic muneri defuiſſent. Dum verò per Vrbem oppidumuè Epiſcopus primum incedit, campanæ, vt moris eſt, ſolemni ritu pulsetur, quod itidem obſeruabitur quoties illuc aliã ob cauſam aduenire Epiſcopum contigerit.

3 In qualibet Eccleſia, quæ viſitanda erit immediatè antè, ſi commodè fieri poterit, oratio quadraginta horarum inſtituatur, preceſque pro ſalutari viſitationis euentu habeantur; atque in ipſius Principe de ibidem Epiſcopus, aut viſitator, vel alius ad eumdem finem ſpiritui Sancto ſacrificet; deinde edictum conſuetum promulgetur.

4 Initio viſitationis cuiuſque Eccleſiæ, loci, aut pij operis, cui illorum principalis ineſt cura, exhibeat nobis, aut viſitatori noſtro poſtremæ viſitationis ordinationes, vt diligenter perquiramus an, quomodo, & quo rerum euentu executioni fuerint commiſſę?

5 In ſacriſtia ritè adornata exponatur ſacratæ veſtes, & vaſa, cunctaque eccleſiaſticæ ſuppellectilis inſtrumẽta, vt vnico intuitu à viſitante inſpici queant; libri præterea, ac volumina eccleſiaſtica, inſtrumenta, ſcripta, legata, redditus, inuentaria denique tum reliquiarum, ſi quæ fuerint, cum ſuis authenticis litteris, tum ſacrarum veſtium, ornamentorum, omniumque ad Eccleſiam ſpectantium ita habeant in promptu, vt de ſingulis interrogati valeant curati, ſeu rectores Eccleſiæ, imò etiam de rebus ad ſuum officium attinentibus ęditui reddere rationẽ. Sed qui animarũ curã habent, libros exhibeãt, in quibus baptizatorũ, confirmatorum, eorum, qui in Paſchate præcepto Sanctæ communionis obtemperauerint, quique matrimonium contraxerint, atque defunctorum, in eodemque templo, vel cęmeterio ſepultorum nomina diſtinctè fuerint adnotata; quorum omnium librorum duplex conficiãt exemplar, vt ſingulorum vnum Epiſcopo viſitanti conſignent, alterum verò non alibi, quàm in ſacriſtiæ arca claue benè clauſa conſeruent.

6 Poſt hos, liber exhibeatur, in quo per familias deſcripti ſint, qui intra fines cuiuſcumque Parochiæ, vel Eccleſiæ ſacramentalis habitauerint; adeò vt facilè animarum numerus intelligi poſſit, iuxtà præſcriptum Romani Ritualis poſtremò editi. Inter libros quoque ſuos exhibeant Parochi, & Curati, quos omninò apud ſe tenere debent, nimirum breuiarium, Miſſale Romanum, librum ſacramentorum, ſiue ſacerdotale, ſacram bibliã,

cathe-

cathechiſmum Romanum vltimò recognitum, Conciliū Tridentinum, atque hanc noſtram, nouiſſimamque Synodum, ſummam aliquam caſuum conſcientiæ, & diuinorum officiorum rationale.

7 In primis nos viſitantes, aut quem deſtinauerimus tempori certiores faciendos curent Curati, & Vicarij de vitijs, quę in noſtrum irrepsère gregem ad ſalutarę remedium, itemque de pauperibus, viduis, atque pupillis verè miſerabilibus, jvt pro viribus noſtris, induſtriaque eos adiuuemus, aliorumque piam opem imploremus.

Vt autem facilior, & fructuoſior viſitatio contingat nonnulla ſummatim capita ex ijs, quę ſparſim in tota hac Synodo à nobis tradita ſunt ſeligere operepretium ducāt Vicarij, & eos, qui viſitandi ſunt premoneant.

F I N I S

Seſſionis Secundę.

SESSIO TERTIA.

DE PERSONIS DIVINO FAMVLATVI addictis ſiue Eccleſiaſticis, ſiue laicis.

PLANVM, & apud omnes compertum eſt diuinum cultum, atque Eccleſiaſticam diſciplinam numquam magis vigere, ac promoueri, quam vbi perſonæ ex ſuæ vitæ ratione illi deuotæ ſanctè, laudabiliterque coram Deo, & hominibus, quibus in hoc præcipuè debitores ſunt, ſe gerunt. Vt igitur id facilè aſſequãtur ſequentes conſtitutiones pro ſuo omnibus inſtituto omninò ſeruandas exponimus.

DECRETVM DECIMVM NONVM.

DE ECCLESIÆ CATHEDRALIS Miniſtris.

1 CAthedralis Catanæ Baſilica Diuæ Agathæ Catanenſi Heroinæ ter maximæ, atque Patronæ sẽper præſentiſſimæ à S. Leone eius Antiſtite ſacrata fuit anno ſalutis 778. eo primum loco, vbi Virgo inuictiſſima martyrij laurea coronata eſt, & vulgò *Santa Agata la Vetera* dicitur; nouam deinde aliam, quam ſcilicet nũc

vene-

veneramur, & longè auguſtiorem antiquiſſimis ſuper extructam Thermis Rogerius Comes ſuo ſatis nomine inclytus erigendam curauit anno Domini 1094. eidemque Diuæ Agathæ dicauit, ditauitque ampliſſimo patrimonio.

2 Hæc igitur quæ eſt totius diœceſis ſacrarum ędium mater, & magiſtra huius ſuæ dedicationis feſtum diem agit 25. Maij, quem diem vt ſolemnem celebret commẽdamus Capitulo noſtræ eiuſdem Cathedralis,

Cap. I.

De numero, & inſtitutione miniſtrorum Eccleſiæ Cathedralis.

3 IAm verò Cathedralis Miniſtri eccleſiaſtici ex Bulla Pontificia inferiùs transcribenda ſunt; in primis quatuor cæteris dignitate præſtantes, nempe Prior, qui principem poſt Pontificalem dignitatem obtinet; ſecunda Cantor; tertia Decanus; quarta Theſaurarius eſt, & quinta dignitas, nempè Archidiaconus, quam Eccleſiæ Cathedrali reſtituimus, vt dicetur inferius. Sunt deinde duodecim Canonici, totidẽque Hebdomadarij, ſiue Beneficiati Sacerdotes, quos Secundarios appellant; quibus ad maiorẽ Eccleſiæ cultũ, & chori numerum decurſu tẽporum adiuncti ſunt octo Manſionarij, & duo Inſigniti, quorum alter Magiſter Cappellanus, alter Cęremoniarum Magiſter dictus eſt; nec non quatuor Cappellani, qui poſt Magiſtrum cęremoniarum locũ obtinent. Quorum omnium dignitatum, Canonicorum, ſecundariorũ, & aliorum electio ſine vlla alternatiua ex ſpeciali priuilegio, & prouiſio ad Epiſcopum Catanenſem libero, plenoque iure ſpectat,

Cap.

Cap. II.

De præbenda Theologali, caſuum conſcientiæ lectione, & Pœnitentiario.

4 SEd cum inde iam à principio noſtræ viſitationis nullam in hac Cathedrali Theologalem præbendam eſſe inuenerimus, nec pœnitentiarij officium conſtitutum ad ea perpetuò fundanda aliquorum beneficiorum aggregatione animum applicuimus: interim verò ne Tridentinum decretum negligere videamur, in eadem Cathedrali ad publicam Theologiæ moralis lectionem adhibuimus vnum ex noſtris ordinarijs Theologis patrē è Societate Ieſu, promulgatoque edicto ſemel ſaltem in hebdomada huic lectioni Canonicos intereſſe volumus, ſecundarios autem, & omnes ſacramentorū adminiſtratores, nec non monialium, confraternitatum, aut ſodalitiorum Cappellanos, ſub pœna ſuſpenſionis, & priuationis adminiſtrationis ſacramentorum, alijſque ad noſtrum arbitrium repetendis obligauimus; vt etiam præſenti conſtitutione ijſdem renouatis pœnis obligamus, quam ſuſpenſionem, & priuationem tunc prædictos Sacerdotes, Cappellanos incurrere declaramus, quando ſcilicet per duas vices in anno vnam immediatè poſt aliā ſine vrgenti neceſſitate, & expreſſa licentia à nobis, vel à Vicario Generali obtenta ad lectionem non venerint.

5 Pœnitentiarij autem munus demandauimus vni ex Canonicis noſtræ Cathedralis donec proprium canonicum Pœnitentiarium conſtituta debita præbenda ex Tridentini præſcripto inſtituerimus.

Cap.

Cap. III.

De Mutatione ſtatus Regularis Canonicorum in Secularem.

6 ET ſi neminem eſſe arbitremur, quem lateat iam inde à Rogerij Comitis Regno noſtrę Eccleſiæ Cathedralis Canonicos Sancti Benedicti regulam profeſſos fuiſſe, poſtea verò monachis vita functis Pij IV. & Pij V. Summorum Pontificum auctoritate ſubſtitutos eſſe è Clero Canonicos ſeculares; operę tamen pretium ducimus huius ſtatus mutationis bullam referre, è cuius diligenti conſideratione quid à ſe ipſis dignitas, qua præfulgent, quid Summi Pontifices ea variatione efflagitent, intelligant, factis exprimant, & ſi quando opus eſt aduerſus impugnantes legitimè tueantur, tum etiam vt quæ ſit noſtra auctoritas in electione, & inſtitutione dignitatum, & Canonicorum huius Cathedralis omnibus pateat; eſt autem bulla tenoris ſequentis, videlicet.

7 PIus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Epiſcopo Catanien. ſalutem, & Apoſtolicā benedictionem. Hodie à nobis emanarunt literę tenoris ſequentis, Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In eminenti militantis Eccleſię ſpecula conſtitutus Romanus Pontifex, Beati Petri Cœleſtis Clauigeri ſucceſſor in cūctas Orbis Eccleſias, Terræque amplitudinem prçcipuum facultatis obtinēs principatum, inter multiplices curas, quibus occurrentibus negotiorum varietatibus obſidetur, illam libenter amplectitur, per quam Cathedralium Eccleſiarum inſignium

venu-

venuſtas, & decor augeatur, & ad id eò libentius impellitur, quò à prędeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus iam cęptum fuiſſe, & Catholicorum Regum vota id exposcere, & aliàs in Domino ſalubriter expedire conſpicit. ſanè dudum fœlicis recordationis Pio Papę Quarto prędeceſſori noſtro pro parte Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & bonę memorię Nicolai Marię Epiſcopi Catanien. tunc in humanis agentis expoſito, Quòd cum dilecti filij Monachi Eccleſię Catanien. Ordinis Sancti Benedicti, in qua vnus Prioratus dignitas inibi poſt Pontificalem maior, & tres aliæ dignitates, vel officia clauſtralia perpetua, ad pro tempore exiſtentis Epiſcopi Catanien. collationem ſpectantia erant, nullus autem determinatus Monachorum numerus exiſtebat. Partim ob inueteratam quamdam illorum licentiam, ſeu potius abuſum antiquum viuendi, propriumque habendi ritum per literas per officium ſacrę Pœnitentiarię Apoſtolicę expeditas confirmatum; Partim ob eiuſdem Nicolai Marię Epiſcopi apud Infideles captiuitatem, ac temporum malitiam in diſſolutę vitę irregularitatem prolapſi eſſent, & eò vſquè in illa obduruiſſent, vt parua, ſeu nulla ſpes ipſi Epiſcopo reliqua eſſet, illós, qui tunc decem ſolum exiſtebant, ad priſtinum regularem ſtatum reduci poſſe. Pręterea quoque populo Catanien. adeò eſſent exoſi, vt pauci reperirentur, qui in dicta Eccleſia diuinis intereſſe, confeſſionis pœnitentię, & communionis, aliaue, pręterquàm Baptiſmi, idque admodum rarò, Sacramenta ibi recipere, aut cócionibus aſſiſtere, quiue Religionem inibi vtpotè relaxatam ingredi vellent. Et in eadem expoſitione ſubiuncto, quòd ſi dicta Eccleſia, quæ de iurepatronatus eiuſdem Philippi, etiam Sicilię Regis ex priuilegio Apoſto-
lico,

ſico, cui non erat eatenus in aliquo derogatum, exiſtebat cum ſuis monachis, Dignitatibus, officijs, & dependentijs, ad ſtatum ſecularem reduceretur.

8 Ac ibi vltra quatuor Dignitates, duodecim Canonicatus, & totidem prębendę ſeu prębendarum loco diſtributionis quotidianę, ac etiam duodecim perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, hebdomadariæ nuncupanda, perpetuo erigerentur. Ipſis decem monachis ſuas quatuor Dignitates vel officia retinentibus, & in numerum duodecim Canonicorum huiuſmodi, ſaluis tamen tribus ſubſtantialibus votis per eos emiſſis, cum facultate ſuum regularem habitum ſub ſeculariū Pręsbyterorum veſte deferendi, ſeque in reliquis, Canonicis ſecularibus conformandi comprehenſis. Ac fructus, redditus, & prouentus tàm Dignitatum, & officiorum prędictorum, quàm Prioratuum, & Cappellarum ab ipſa Eccleſia dependentium menſę Capitulari dictę Eccleſię applicarentur. Omneſque in quotidianis diſtributionibus inter ipſos Dignitates obtinentes, ac Canonicos, & Hebdomadarios nuncupandos Beneficiatos, ſiue in fructibus, redditibus, & prouentibus, ſiue in diſtributionibus quotidianis ipſius Epiſcopi arbitrio, & prout illi videretur poſtmodum repartiendis, conſiſterent, ex hoc ſanè tantis ſcandalis, & incommodis ſalubriter obuiaretur, ac Eccleſię decori, & diuini cultus augmento, Monachorumque, & populi animarum ſaluti hac ſpirituali conſolatione plurimum conſuleretur, Idem prędeceſſor meliori ſtatui dictę Eccleſię, & diuini cultus in ea incremento opportunè conſulere volens, eorumdem Phippi Regis, & Nicolai Marię Epiſcopi ſupplicationibus inclinatus, ad diuini nominis laudem, & gloriam, ac militantis Eccleſię exaltationem, necnon dictę Ec-

cleſiæ decus, & honorem, In eadem Eccleſia Catanien. omnibuſque, & ſingulis illius Dignitatibus, officijs, & portionibus dictum Ordinem Sancti Benedicti, ac omnem ſtatum regularem, nec non Prioratum clauſtralem, omniaque, & ſingula alia illius Dignitates, & officia, monachales portiones, ac Eccleſias non conuentuales, Prioratus, & Cappellas ab eadem Eccleſia mediatè, vel immediatè dependentia, vbique locorum conſiſtentia regularia, etiam ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſeruata exiſterent, & ad illa conſueuiſſent, qui per electionem aſſumi, eiſque cura etiam iuriſditionalis immineret animarum, ſuper eis quoque inter aliquos lis, cuius ſtatum idem prædeceſſor haberi voluit pro expreſſo, penderet indeciſa.

9 Quæ videlicet per monachos ipſos ex tunc, quæ verò per alios quoſcunque in titulum, vel commendam obtinebantur ex tunc ex ea die, & e contra cum primũ illa per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu quamuis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem modernorum illorum poſſeſſorum, etiam apud ſedem Apoſtolicam, etiam commendis ceſſantibus, vacare contingeret ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuo ſupprimi, & extingui. Statumque regularem Eccleſiæ huiuſmodi in ſtatum Canonicorum, & Præsbyterorum, ac Clericorum ſæcularium immutari, & ad ſtatum ſæcularem penitus reduci. Ac Capitulum ſæculare cum menſa Capitulari, Arca, ſigillo, alijſque prærogatiuis, & inſignijs Capitularibus in eadẽ Eccleſia Catanien. inſtitui, & in illius Priorem maiorem, omneſque, & ſingulos inibi Dignitates, & officia etiam clauſtralia, ac monachales portiones, aliaque beneficia obtinentes, ac ceteros monachos, aliaſque perſonas

ordi-

ordinem ipſum, tam ibi, quàm alibi tacitè, vel expreſſè profeſſos, etiam ad ipſam Eccleſiam quomodocunque translatos, ab obſeruatione conſtitutionum, & ordinationum, inſtitutionum, & conſuetudinum Ordinis, necnon ſtatutorum Eccleſiæ prædictorum, & quorumcũque per eos in profeſſione huiuſmodi emiſſorum votorum, Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis votis dumtaxat exceptis, necnon à Regula Sancti Benedicti, & ſecundum illam, diuini officij recitatione. Itaut Prior, Canonici, & perſonæ ſæculares ipſius Eccleſię ſæcularis Catanien. exiſterent, & pro talibus haberentur, tenerentur, & reputarentur, ac nominarentur. Necnon de cetero eiuſdem ordinis regularia inſtituta, ordinationes, diffinitiones, & mores, quò ad diuinorum in eadem Eccleſia celebrationem, ieiunia, victum, & ciborum vſum, ac quæcunque alia, ad quæ ratione dicti Ordinis tenebãtur, in futurum obſeruare minimè tenerentur. Sed in ordine, ceremonijs, ritu, inceſſu, moribus, & vita quò ad omnia ſæcularibus Canonicis, & perſonis aliarum Cathedralium ſæcularium Eccleſiarum partium illarum ſe omnino, & vbique conformare. Necnon Horas Canonicas, & alia diuina officia in eadem Eccleſia ſecundũ ritum, & conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recitare liberè, & licitè valerent.

10 Sic tamen quòd monachi, qui habitum Sancti Benedicti dimittere nollent, in illo quamdiu vellent, remanere poſſent, & nihilominus in diuinis in ipſa Eccleſia deſeruiendo tantum perciperent, quantum vnus alius Canonicus ipſius Eccleſiæ, ſederentque, & incederent, vocéque cum alijs Canonicis ſecũdum Ordinem præfatum haberent, dummodo in diuinis, & Eccleſiaſticis officijs, ſęcularibus ſe conformarent, penitus abſolui, &

totaliter liberari. Ac in ipſa Eccleſia loco quatuor Dignitatum, ſeu officiorum ſuppreſſorum huiuſmodi, aliàs quatuor Dignitates, inter quas vna eſſet poſt Pontificalem maior, ſub vocabulis, de quibus ipſi Epiſcopo videretur. Et vltra illas, duodecim Canonicatus, & totidem præbendas, vel eorum loco diſtributionum quotidianarum portiones. Necnon duodecim perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica Hebdomadarias nuncupāda, Quorum omnium collatio, & prouiſio ad pro tempore exiſtentem Epiſcopum Catanien. præfatum pertineret pro quatuor perſonis Dignitates huiuſmodi obtēturis, ac duodecim Canonicis, & totidem Presbyteris, ſeu Clericis perpetuis ibi beneficiatis hebdomadarijs nuncupandis.

11 Qui dignitates, Canonicatus, & Prebendas huiuſmodi obtinentes per ſeipſos, aut alios, prout eidem Epiſcopo videretur, ſingulas dictæ Eccleſiæ maiores nūcupandas, Miſſas celebrare, & decantare, necnon in omnibus horis de more incipiendo, & debito modo iuxta prouidam ordinationem per Epiſcopum prefatum deſuper faciendam finiendo, aſſiſtere tenerentur, erigi, & inſtitui. Necnon omnes, & ſingulos fructus, redditus, & prouentus omnium & ſingulorum Dignitatum, officiorum, portionum, Prioratuum, Eccleſiarum, & Cappellarum, aliorumque beneficiorum ſic ſuppreſſorum prædictorum, menſæ Capitulari Eccleſiæ prædictæ, ita quod liceret eidem Epiſcopo arbitrio ſuo fructus, redditus, & prouentus ipſos in diſtributiones quotidianas pro Dignitates, Canonicatus, ac ſimplicia beneficia prædicta obtinentibus, & diuinis intereſſentibus partiri, & annectere, liceretque eiſdem Dignitates obtenturis, Canonicis, & Capitulo per ſe, vel alium, ſeu alios ſuppreſ-

ſorum

ſorum Dignitatum, officiorum monachalium portionũ, Prioratuum, Eccleſiarum, Cappellarum, aliorumque beneficiorum huiuſmodi fructus, redditus, & prouentus propria auctoritate liberè exigere, leuare, & percipere, ac in ſuos, & dictæ menſæ vſus, & vtilitatem quotidianarum diſtributionum, prout ipſe Epiſcopus prouidè diſpoſuiſſet erogationem, & ſuſtentationem conuertere.

12 Necnon Eccleſijs Prioratuum, & Cappellarum ſic ſuppreſſorum huiuſmodi quatenus curatæ eſſent per Preſbyteros ad eorum nutum ponendos, & amouendos, ac per ipſum Epiſcopum approbandos in diuinis deſeruiri, illarumque Parochianorum animarum curam exercere, & illis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari facere, cuiuſuis licentia deſuper minimè requiſita, eadem auctoritate perpetuo applicari, & appropriari.

13 Et inſuper ſtatui, & ordinari quòd perpetuis futuris temporibus nullus Hebdomadarius modo aliquo in dicta Eccleſia admitteretur, niſi benè legere, & ſufficienter cantare ſciret, & actu Præsbyter, vel in ea ætate in qua infra annum ex tunc proximum ad ſacros, etiã Præsbyteratus, ordines, quocunque impedimento ceſſante promoueri poſſet, conſtitutus exiſteret. Et ſi ſecus quocunque medio, vel ſub cuiuſcunque auxilio, fauore, vel prece alicui modo præmiſſo non qualificato de aliqua hebdomadaria Eccleſiæ huiuſmodi prouideri contingeret; tunc Capitulum præfati vnum alium conducturum loco illius non qualificati inſtituere, & eidem de fructibus dictæ hebdomadariæ reſpondere.

14 Necnon quòd Dignitates ipſas pro tempore obtinentes, ac Canonici Hebdomadarij, & Capitulum præfati ad omnia, & ſingula officia, & onera, quæ ante ſuppreſ-

preſſionem huiuſmodi Eccleſiæ eiuſdẽ Dignitates, & officia, beneficiaque ſuppreſſa prædicta, pro tempore obtinentes, reſpectiuè tenebantur, in omnibus, & per omnia nihil penitus omiſſo, tenerentur. Ac quòd maior poſt Pontificalem, & aliæ Dignitates illis quatuor monachis, qui quatuor dignitates, ſeu officia ſuppreſſa ante illorum ſuppreſſionem huiuſmodi obtinebant. Necnon Canonicatus, & præbendæ erecti, & à primæua illorum erectione huiuſmodi reliquis Eccleſiæ Monachis, qui tempore publicationis reductionis huiuſmodi in humanis egiſſent, etiam ſi in habitu regulari remanere maluiſſent; ceteri verò Canonicatus, & præbendę, ſeu diſtributionum portiones, ac ſimplicia beneficia prædicta, etiam à primæua illorum erectione huiuſmodi vacantia perſonis idoneis, ad id per ipſum Epiſcopum nominandis, & nullis alijs per eumdem predeceſſorem, & Sedem præfatam, liberè conferri deberent, ſeu ſi præfato Epiſcopo magis videretur, per eum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum ſimiliter conferri poſſent.

15 Quorum tamen omnium tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, & præbendarum, ac ſimplicium beneficiorum ſic erectorum, vacatione illorum deinceps pro tempore occurrente, collatio, prouiſio, & omnimoda diſpoſitio ad ipſum Epiſcopum Catanien. pro tempore exiſtentem pleno iure pertinere. Quodque Dignitates obtinentes, iuxta prouidam ipſius Epiſcopi diſpoſitionẽ, Canonici verò iuxta ſuam antiquitatem, & in Canonicos receptionem, ſtallum in Choro, & locum in Capitulo, proceſſionibus, & alijs actibus dictæ Eccleſiæ habere deberent, & quod in Sacris non conſtituti vocem nullam in Capitulo haberent. Quodque Dignitates obtinentes, ac Canonici, & Beneficiati prædicti eidem Ni-

co-

colao Mariæ, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Catanien. eiuſque paſtorali iuriſditioni, ſubiectioni, & obedientiæ, prout tempore ſuppreſſionis,& reductionis huiuſmodi ſubiecti erant, perpetuo ſubijcere. Ipſeque modernus, & pro tempore exiſtens Epiſcopus, ſolus, ſi ſibi videretur, aliàs vna cum Capitulo præfatis pro felici ſtatu, & ſalubri directione eiuſdem Eccleſiæ, quæcunque ordinationes, & ſtatuta ſalubria, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, ſuper diuinorũ officiorum celebratione, & agendis per miniſtros eiuſdẽ Eccleſiæ, ac honore, & debita reuerentia ſuperioribus exhibendis. Necnon delatione almutiarum, capparũ, & ſuperpelliciorum. Necnon præeminentia eorumdem Capituli, Dignitateſque obtinentium, ac Canonicorum prædictorum pro tempore exiſtentium, quàm in eadem Eccleſia, & illis Choro habere deberent, ac capitulis generalibus, vel particularibus, & Synodo celebrandis. Ac dimiſſionibus fructuum, ſiue diſtributionum in horis canonicis perceptione, & amiſſione, & alijs omnibus, decorem, & honeſtatem Eccleſiæ præfatæ, etiam quod ad bonos mores miniſtrorum prædictorum concernentibus, necnon quæ ſuper præmiſſis maiori declaratione indigebant, etiam illa non obſeruantes, diſtributionibus priuando, & aliàs mulctando, condendi, edendi, & cõdita, quoties videretur, alterandi, & in meliorem, & ſanctiorem ſententiam mutandi, plenam, liberam, & omnimodam auctoritatem, & facultatem concedi.

16 Præterea præfatos Monachos, & eorum ſingulos, qui forſan propter tranſgreſſionem inſtitutorum regularium præfatorum, aliaue præmiſſa, aliquam apoſtaſiæ notam, ſiue irregularitatem, aut inhabilitatem incurriſſent, ab huiuſmodi exceſſibus, & apoſtaſiæ reatu, & quibuſ-

buſuis excommunicationis, & ſuſpenſionis alijs ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas præmiſſorum occaſione quomodolibet forſan incurriſſet, prædictâ auctoritate abſolui. Ac cum eis ſuper irregularitate, ſi quã cenſuris huiuſmodi forſan ligati, Miſſas & alia diuina officia celebrando, aut illis ſe immiſcendo, vel aliàs cõtraxiſſent: quodque omnibus, & ſingulis etiam Præsbyteratus ordinibus per eos antea ſuſceptis, vti, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare. Necnon quęcunque, quotcunque & qualiacunque cum cura, & ſine cura, aliàs tamen ſe inuicem compatientia beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſi Canonicatus, & prębendę, Dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis ſęcularibus, & Dignitates ipſę in Cathedralibus etiam Metropolitanis poſt Pontificales maiores, ſeu Collegiatis Eccleſijs huiuſmodi parochiales forent, ſi eis aliàs canonicè conferrentur, aut eligerentur, pręſentarentur, vel aliàs aſſumerentur ad illa, & inſtituerentur in eis poſt ſuppreſſionem, & reductionem huiuſmodi, ac ſi nunquam Regulares fuiſſent, recipere.

16 Et illa nec non quęcunque, quotcunque, & qualiacunque alia beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, etiam ſi ſęcularia parochiales Eccleſię, vel earum perpetuę vicarię forent, quę eorum ſinguli etiam ex quibuſuis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, & commendam obtinebant, necnon in quibus, & ad quę ius eis, & eorum cuilibet competebat, vt prius retinere. Necnon quaſcunque penſiones annexas ſuper quibuſuis fructibus redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis eis aſſignatas, vt prius etiam quo ad viuerent percipere.

Ac

Ac quibusuis gratijs, & indultis, ac diſpenſationibus eis eatenus, & eorum cuilibet Apoſtolica, vel alia quauis auctoritate quomodolibet conceſſis, vti, & gaudere, & beneficia ſub eiſdem diſpenſationibus comprehenſa, recipere, & iuxta illarum tenores retinere. Et nihilominus eidem Eccleſiæ Cataneníis, ac illius Capitulo, & alijs etiam dignitates, Canonicatus, & præbendas, etiam inibi pro tempore obtinentibus, ceteriſque perſonis eiuſdẽ Eccleſiæ ſæcularis pro tempore exiſtentibus, tàm coniunctim, quàm diuiſim, quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, prærogatiuis, conceſſionibus, gratijs, indulgentijs, & indultis Eccleſiæ, eiuſque perſonis huiuſmodi per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, aut alias perſonas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, etiam Imperatores, & Reges, ac alios Principes quomodolibet conceſſis, ac omnibus aliis, quibus Cathedrales Eccleſiæ ſæculares; & illarum Canonici, Dignitates, & perſonatus, & alia beneficia in eis obtinentes de iure vel conſuetudine vtebantur, potiebantur, & gaudebant, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent, diſpenſari, eiſque pariter indulgeri, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſiue notam per eoſdem monachos, & eorum ſingulos premiſſorum occaſione quomodolibet contractam penitus aboleri. Necnon obtenta beneficia, & iura in eis, vel ad illa quomodolibet quæſita propter reductionem, & ſtatus huiuſmodi immutationem, non vacare, & commendas non ceſſare, ac diſpenſationes, gratias, & indulta, ac priuilegia huiuſmodi plenum firmitatis robur obtinere, & cum derogationibus omnibus, & ſingulis alijs in eiſdem contentis literis eidem Eccleſiæ, &

Capitulo, ac ſingulis monachis prædictis, etiam poſt ſtatus regularis huiuſmodi alterationem ſuffragari poſſe, & debere, in omnibus & per omnia perinde, ac ſi reductio, immutatio, & abſolutio prædictæ minimè factæ forent.

17. Necnõ ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, erectionem, inſtitutionem, immutationem, abſolutionem, reductionem, & diſpenſationem, aliaque præmiſſa, ac literas tunc deſuper conficiendas, ſub quibuſcunque reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus ſimilium gratiarum literarum, etiam per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, quauis occaſione, vel cauſa pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis omninò exceptas, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, reintegratas, & de nouo conceſſas fore, & cenſeri, & ad id vt ſub reuocationibus, ſuſpenſionibus, & derogationibus huiuſmodi non comprehenderentur ex tũc preſertim quod ad vacatura beneficia prædicta verè, & nõ fictè ſuum plenarium effectum ſortitas, & non de vacaturis, ſed de vacantibus beneficijs factas, & per illas etiam ex tunc Capitulo, eiuſque menſæ prædictis ius in re quæſitum eſſe, ac eos ſolam fructuum, reddituum, & prouentuum perceptionem, realiſque poſſeſſionis apprehenſionem expectare, ac regulis de annali, & triẽnali poſſeſſore gaudere.

18 Necnon quaſcunque collationes, prouiſiones, cõmendas, & alias diſpoſitiones de vacaturis beneficijs huiuſmodi quomodolibet, etiam per eumdem prædeceſſorẽ, & ſedem prædictam, etiam cũ quibuſuis literarum deſuper conficiendarum huiuſmodi ſuſpẽſionibus,

vel

vel derogationibus forſan faciendis, nullas, & inualidas, nulliuſque roboris, vel momenti fore, nec cuiquam aduerſus eaſdem literas in aliquo ſuffragari, ſed illas pro nouis premiſſorum cõceſſionibus, & reſtitutionibus haberi; Ipſiſque literis per quaſcunque alias literas, etiam quaſuis ſpeciales, vel generales, etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores, & inſolitas clauſulas, irritantiaque, & alia decreta ſub quacunque verborum expreſſione in ſe continentes nullatenus derogari poſſe, neque cenſeri, & aliter facta derogationes nemini ſuffragari.

19 Ac eaſdem literas nullo vnquam tempore quouis quæſito colore, vel ingenio, etiam prænarratorum non facta verificatione de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis ſuæ defectu notari, vel impugnari poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari, ipſiſque Epiſcopo, Eccleſiæ, & Capitulo in omnibus, & per omnia ſuffragari, neque Epiſcopũ, & Capitulum præfatos, aut quoſuis alios ad prænarratorum verificationem teneri, nec ad id à quoquam inuitos compelli, & ſic per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, ac eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, & quauis aliter iudicandi facultate, iudicari, & diffinire debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum, & inane decerni. Sub data videlicet X V. KAL. Maij, Pontificatus ſui Anno Quinto, conceſſit. Nos verò attendentes Pium prædeceſſorem præfatum ex ſuppreſſione, & extinctione Dignitatum, monachaliũ portionum, & beneficiorum prædictorum, atque appli-

catione fructuum menſę capitulari, ac erectione quatuor Dignitatum erigendarum, ac omnibus, & ſingulis alijs ſupradictis, nullum nunc Dignitates, monachales portiones, ac beneficia huiuſmodi obtinentibus, eorũ vita durante, etiam quod ad illorum fructus, redditus, & prouentus prę iudicium inferre voluiſſe. Ac volentes etiam pręfati Philippi Regis precibus adducti hoc pium, & laudabile dicti prędeceſſoris inſtitutum, propter dicti Nicolai Mariæ Epiſcopi obitum, literiſque Apoſtolicis deſuper, cum dictus predeceſſor antequam eius literæ deſuper conficerentur, ſicut Domino placuit, ab hac luce migrauerit, non confectis, nec abſolutis, proſequi, & abſoluere. Habita ſuper his cum fratribus noſtris deliberatione matura de illorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Conceſſionem prędeceſſoris huiuſmodi, omniaque & ſingula in ea contenta, & inde ſequuta quæcunque.

10 Hoc tamen excepto, quòd Prior, & Monachi nunc inibi exiſtentes, ſæculares minimè fieri, nec ad ſęculum redire poſſint, ſed vt prius eorum vita comite, ſub illius, quem profeſſi ſunt, ordinis obſeruantia perpetuo in Domino famulari, & conuentualiter viuere debeant, & teneantur. Quodque ex fructibus beneficiorum ſuppreſſorum huiuſmodi, cum primum illa, aut eorum aliqua per illa ad prę ſens obtinentium obitum, aut aliàs vacare contigerit, duę Canonicis, & vna pars Beneficiatis, ſeu Hebdomadarijs prę fatis pro eorum dote, donec ſuppreſſio ſuum plenarium ſortiatur effectum; Et cũ illa ſuum effectum huiuſmodi ſortita fuerit, ac fructus pro ęquali diſtributione inter eos facienda, ſufficient centũ cuilibet Canonico, & quinquaginta ducati cuilibet Beneficiato, ſeu Hebdomadario. Si verò fructus, redditus,

&

& prouentus pro diſtributione huiuſmodi non ſufficient Canonicis duæ, & Beneficiatis, ſiue Hebdomadarijs prę- ſatis vna, partes, ſicut prę fertur, aſſignentur. Nec etiam prę ſatis quatuor Dignitatibus aliquid ex prędictis fructibus aſſignetur; ex alijs enim redditibus illę dotabuntur.

Et hic fol. 262. et 263

21 Auctoritate Apoſtolica tenore prę ſentium approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint, in eiſdem ſupplemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſię, & Ordinis prędictorum iuramento, confirmatione, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrarijs quibuſcunque.

22 Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã noſtræ approbationis, confirmationis, adiectionis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sãctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Quingenteſimo Seſſageſimo Octauo, Quinto Idus Februarij, Pontificatus noſtri Anno quarto. Cum autẽ præmiſſa omnia, & ſingula exequutioni debitæ quantocyus demandari deſideremus, illorum omnium & ſingulorum negotium, & exequutionẽ tibi Apoſtolica auctoritate per præſentes committimus, teque ſuper eiſdem omnibus, & ſingulis exequutorem deputamus, non obſtantibus omnibus, quæ in dictis præinſertis volumus non obſtare.

Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnatio-

tionis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Seſſageſimo octauo, Quinto Idus Februarij, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

23 Huius igitur Pōtificij diplomatis authoritate in regularium Canonicorum locum ſuffectum eſt ab Epiſcopo Catan. Capitulum ſecularium Clericorum, quod, vt innuimus, ex ijs conſtat, qui dignitate antecellunt, atque ex duodecim Canonicis; quibus totidem beneficiati adiuncti ſunt, quos ſecundarios vulgus appellat, quorum omnium intereſt illa obire munia, quę olim regulares Canonici ſoliti erant.

24 Iam verò Dignitates, & Canonici rocchetti, & almutiæ, ſeu vt dicunt mozzettæ vſum habent. De his ſingillatim, & ſuo ordine, quæ ſunt cuiuſque muneris partes diſtinctè declarabimus. Harum autem dignitatū, Canonicatuū & Beneficiatorū electio, & diſpoſitio per ſupra memoratum diploma ad Epiſcopum omninò pertinere dignoſcitur, & ita ſemper ſeruatum eſt.

Cap. IV.

De Cathedralis Eccleſiæ dignitatibus.

De Priore.

25 PRimam poſt Epiſcopalem in noſtra Cathedrali dignitatem tenet Prior, qui primum in Capitulo ſuffragium feret, atque in Choro, & proceſſionibus digniorem occupabit locum: adeò vt cum ad ſolemnia pera-

peragenda officia hebdomadario Canonico in Prioris ſtallo ſedendum erit,tunc Priori Cantoris ſedes aſſignari debeat.

26 Cum de rebus ad canonicalem menſam ſpectãtibus agendum erit Canonicus antiquior capitulum cogere debet;in reliquis verò omnibus ad Priorem attinet.

27 Eiuſdẽ Prioris eſt videre ſi debitas in Cathedrali miſſas quiſque celebrauerit, atq; per ſchedulã ſua manu ſubſcriptam mandare vt eleemosynæ, quas *cuſtodiatus* appellant,illis Sacerdotibus, qui rem diuinam in eadẽ Cathedrali Eccleſia fecerint, cæteriſque, quibus debentur, de more tribuantur.

28 Sacri Theſauri, & ſanctuariorum conſimiles claues habeat Prior, quas nemini credat, niſi Cantori vrgente neceſſitate, vel ſi hic abeſt,ei, qui Prioris loco hic, & nunc ſuccedere debet.

29 Reddituum ad ſacriſtiam pertinẽtiũ adminiſtratio prout hactenus à Generali Vicario Epiſcopi,ſi eſt de Capitulo,vna cum Priore diligentiſſimè curetur, quorũ depoſitarium diſtinctum conſtituemus; expenſionum tamen ratio circa ſingulorum annorũ finem nobis omninò, vel ei, cui id muneris ſpecialiter demandabimus, erit perpendenda.

30 Quandocumque extraordinaria occaſio continget ſolemniter celebrandi in noſtra Cathedrali,vt in coronatione Pontificis, aut Regis, vel in conſecratione Epiſcopi, aut in eorumdem exequijs,& ſimilibus,impedito, vel nolente id per ſe præſtare Epiſcopo, celebret Prior, qui ſi non poſſit, ſuccedat Cantor, & ſic de reliquis ſuo ordine ſeruato.

Habet quoq; Prior munus ducendi,& dirigendi Proceſſiones ſolemnes, abſente Vicario Generali, nam ſi

prę-

præſens eſt, & non impeditus Vicarius Generalis, hoc munus ad ipſum Vicarium ſpectat.

De Cantore.

31 Alteram Cantor obtinet dignitatem, qui Prioris abſentis vicem geret, eiuſque munia præſtabit; Cantoris autem peculiare officium erit ſuis temporibus Choro intereſſe, lectiones, antiphonas, & prophetias diſtribuere, & chorum regere, vnde Choryphæus, & Chori moderator à ſacris dicitur Canonibus. In ſacris proceſſionibus capitulo intermedius cum baculo, ſeu virga argētea incedere ſolet. Item 1 ordinare debet tabellas, & functiones Eccleſiaſticas per turnū ordine ſucceſſiuo.

1 Barboſ. de canon. & dignit. ca. 9. n. 12. & 13.

De Decano.

32 Tertium dignitatis gradum poſſidet Decanus, qui ſi quando Cantor deeſt ei ſuccedit, eiuſque munia peraget.

De Theſaurario.

33 Theſaurarij dignitas quarta eſt in noſtra Eccleſia Cathedrali, atque in Decani abſentis locum iure ſuo ſubrogatur. Eius prouincia erit ſacram omnem Delubri eiuſdem ſupellectilem, iocalia; & vaſa ſancta diligentèr ſeruare, ex quibus nihil omninò ſine expreſſa Epiſcopi facultate cuipiam quouis prætextu commodare poteſt, aut Epiſcopo abſente, eius qui proximè ſuccedit nempè Prioris, vel Cantoris, aut Decani, niſi fortè Epiſcopus ſuo Vicario Generali id curæ mandauerit.

34 Nihil autem harum rerum particulari alicuius ex Capitulo vſui applicari patiatur, ſed cuncta indiſtinctè omnibus ſint expoſita, ſeparatim tamen Canonicis à reliquis

liquis presbyteris aſſignari decet.

35 Sed in primis ſacrarum reliquiarum, præſertim corporis Diuæ Agathæ, quod vnicum eſt, idemque præſentiſſimum Vrbis decus, & præſidium, cuſtos, & præſes vigilantiſſimus eſt Theſaurarius, ideoque huius ſanctuarij claues ſemper apud ſe diligentiſſimè ſeruabit; neminique credat, niſi in rariſſimo neceſſitatis caſu, ipſe legitimè impeditus, alicui ex capitulo, non tamen Priori.

36 Ad ipſum Theſaurarium ſpectat inſtituere, & mutare ſacriſtas, & alios officiales Eccleſiæ, cum conſenſu tamen Epiſcopi.

37 In proceſſione Diuæ Agathæ ſtola ornatus rubea ante venerãdã ſtatuã, & thecã proximè incedet, argenteũ baculum manu gerens ad amabilem tanti theſauri cuſtodiam aduigilaturus. Ipſius quoque erit confluentium populorum venerationi, atque oſculis eaſdem reliquias cum ea, qua decet, modeſtia in plano altaris maioris ſuper pradellam exhibebere, aut ad cancellos eiuſdem altaris, non verò ſupra ipſam aram; cum maxima irreuerentia exiſtimetur ad tam longum tempus, & coram maxima ciuium, exterorumque frequentia, ſacroſanctum altare pedibus præmere. Quod ſi theſaurarius prædictis functionibus intereſſe nequiuerit, is ex Canonicis, quem ipſe deſignauerit, ea munera exequatur.

De Archidiacono.

38 Fuit hæc dignitas in noſtra Cathedrali Eccleſia olim, & antiquiſſima; cui, & iuris dicendi poteſtas erat annexa, in ijs præſertim, quæ ad feſtorũ obſeruãtiam ſpectabant; ſed à Pio V. Summo Pontifice ſublata: quam nihilominus Illuſtriſſimus Octauius Branciforti præde-

ceſſor noſter Eccleſiæ Catanenſi reſtituendam curauit, contulitque D. Aloyſio ſuo germano, deinde D. Petro Paternò vncijs decem de Epiſcopali menſa pro dote Archidiaconi aſſignatis, maius deinde patrimonium adiuncturus, quod cum non contigerit, eam dignitatem nemo conferre, aut habere curauit; ſed nos denuò ad maius Cathedralis decus, & inſigniorem famulatum, ad veterem etiam memoriam, & poſſeſſionem retinendam Eccleſiæ reſtituere in Domino iudicauimus, eique quintum inter dignitates locum aſſignare.

39 Archidiaconi igitur nunc officium erit curam de vita 1, & clericorũ conuerſatione, nec non de Eccleſiarũ honore, & reſtauratione habere, atque Epiſcopi onus, quoquomodo poteſt releuare, vltimũ locum inter dignitates, & votum in Capitulo cum alijs habebit.

1 Decr. l. 1. de off. archidiac.

Cap. V.

De Canonicis, eorumque Choro.

40 Canonici ſic dicti, quia à ſacris Canonibus conſtituti ſunt fratres, & conſiliarij Epiſcopi in noſtra Cathedrali Eccleſia poſt mutationem ſtatus duodecim remanſerunt cum ſpe tamen Præbẽdam theologalẽ, & Pœnitentiarium ſuperaddendi iuxtà S. C. T. decretũ. Epiſcopo ſollemniter celebranti primi ſex Canonici ad inuicem Diaconi officio funguntur, reliqui ſex etiam per turnum ſubdiaconi munus exequuntur.

41 Quicumque autem in Canonicorum, aut dignitatum numerum coaptatur nouerit ex Triden. præſcripto intra duos menſes à die initæ poſſeſſionis obligari fidei ſacroſanctæ profeſſionem emittere, non modò coram Epiſcopo,

ſcopo, ſeu Vicario Generali, verum etiam in Capitulo ſub pœnis ibidem conſtitutis.

42 Omnes verò ex ſe ipſis, non autem per ſubſtitutos, niſi in caſu veræ neceſſitatis, & de licentia Prioris, diuina debent obire officia, miſſas in Cathedrali diebus aſſignatis celebrare priuatas, vel ſolemnes, & Epiſcopo ſacrificanti, aut Pontificalia exercenti adeſſe, & inſeruire, eumque tùm euntem, tùm redeuntem cum toto Capitulo de more vſque ad eius ædes comitari.

43 Proprios mores Canonici, & vitam ſic componere vbique, ſed præcipuè in Eccleſia, ſtudeant, vt ſine mẽdacio Eccleſiæ eiuſdem venerandi Senatores poſſint appellari 1. — 1 Trid. ſeſſ. 24. cap. 2.

44 Caueant noſtræ Cathedralis Præsbyteri ſiue Dignitates ſint, ſiue Canonici, Beneficiati, & quicumque alij miſſam in eadem Cathedrali Eccleſia celebrare tenentur, ne cum nolint, vel non valeant per ſe ipſos eo die ibidem ſacrificare, nec alium ſuo loco cum notitia Prioris ſubſtituentes, in cathalogo ſuum nomen referant, vel ab alio referri faciant quaſi celebraſſent; id enim & contra iuſtitiam, & fidelitatem crimen eſt graue, & reſtitutionis obnoxium, & à nobis ſeuerè punietur, atque etiã in eum, ad quem eam celebrantium notam curare ſpectat, animaduertetur; de qua quamprimum edictum publicabimus, vt in qualibet ſacriſtia ab omnibus ſacerdotibus obſeruandum affigatur.

45 Volumus inſuper præsbyterum, qui celebrauit manu propria, & in dies in libro ſubſcribi; aliàs punctationis pœnam eo die ſubeat.

46 Dignitatem obtinentes, & Canonici, atque beneficiati, ſeu ſecundarij ne miſſas celebrare omittant in Eccleſia Cathedrali ijs diebus, & hebdomadis aſſignatis;

aliàs debita eleemoſyna careant: de quo Prioris; Punctatoris, atque ſacriſtæ maioris conſcientiam oneramus. Declaramus etiam prædictis hebdomadis aſſignata ſacrificia à præfatis ſacerdotibus pro benefactoribus noſtræ eiuſdem Cathedralis eſſe applicanda.

47 Pluribus ſacræ Congregationis decretis cautum eſt, & in noſtra Cathedrali Eccleſia ex peruetuſta conſuetudine obſeruatum vt dimidia pars Canonicorũ qualibet hebdomada alternatim diuinis officijs interſit cum duobus dignitates obtinentibus, & octo beneficiatis, ſeu ſecundarijs; id diligenter ſeruari mandamus.

48 Singulis diebus feſtiuis de præcepto vnus ex Canonicis in Cathedrali ſolemnem cantabit miſſam, & ſẽper quidem immediatè poſt recitatam in Choro tertiam iuxtà receptiſſimam ritualis Romani regulam; reliquis verò diebus eam alternatim vnus ex quatuor Cappellanis, vt dudum moris eſt, cantabit.

Cap. VI.

De Cathedralis Eccleſiæ Choro.

49 IN choro Pſalmodię aſſiduam operam reuerenter dare debent viri capitulares, & Beneficiati, & ſanè ea diei hora, quam pro temporis, & recitantium cõmodo opportuniorem arbitratus fuerit Prior, vel illo abſente, is ad quem ſpectat, cum conſenſu Capituli. Tum Dignitatibus, & Canonicis, tum ſecundarijs, cæteriſque in Cathedrali Eccleſia, aut Collegiatis inſignitis mandamus ne vnquam diuinorum officiorum tempore propria deponant inſignia ſub pœna nobis arbitraria.

50 Ad diuina officia perſoluenda omnes; quorum

co

eo die, vel hebdomada intereſt, conueniant tempori, ſuiſque ornatiinſignibus in ſacriſtia, vel veſtiario, dato ſigno bini ea, qua decet modeſtia, ad ſuam occupandam ſedem accedant, eademque ratione, & ordine, perſoluto officio, redeant ad ſacriſtiam poſtquam, vbi opus erit, Epiſcopum comitati fuerint; ad Chorum autem neminem præfectus Chori ſine ſuperpelliceo, bireto clericali, proprijſque inſignibus venire permittat; quod ſi quis è Capitulo, aut Choro huius decreti inobediens fuerit, punctationis mulctam primo ſubeat; ſi denuò deliquerit ſex tarenos menſæ Capitulari ſoluat; ſi tertiò aureum; ſi quartò denuncietur Epiſcopo, vt eius arbitrio tanta pertinacia caſtigetur.

51 Dum ſacra peraguntur officia nemini fas eſt ſine Prioris, vel eius, qui Prioris loco ſuccedit, facultate à Choro diſcedere; qui contrarium fecerit punctationis pœnam prima vice patiatur, ſi ſecundò tarenos duos ſoluat, ſi tertiò Epiſcopo deferatur, cuius arbitrio debitas pœnas luet; at ſi aliqua iuſta de cauſa recedit, ad Chorũ ſtatim reuerſurus, ſatis eſt ſi veniam à Chori præfecto capitis inclinatione, & nutibus obtineat.

52 Præſertim in Choro exterior cuiuſque modeſtia interiorem animi religionem ſignificet, vt labijs, & corde Deum colere videatur: & quidem caueant maximopere ne vlla de re ſermo miſceatur; riſus, & cachinationes pœnitùs arceantur; nec literæ, aut quæuis ſcripturæ, vel libri inibi legantur.

53 Modernior Beneficiatus, ſeu Secũdarius antequã cæteri Chorum adeant, libros ſacros, aliaque omnia, quę ad ſanctum officium neceſſaria ſunt debet adornare, alioquì punctatione mulctetur; quod ſi ſæpiùs negligens fuiſſe inueniatur, in eum Epiſcopus animaduertet.

Cano-

54 Canonicorum, & Beneficiatorum nemini vnquã licet ea hebdomada, qua debet, à Choro abeſſe prætextũ confeſſionis audiendæ, vel faciendæ, aut ſacrum conficiendi, ſub pœna punctationis, in quam etiam incident, qui ante perſolutas horas canonicas à Choro recedent; excipimus tamen illum, qui tanquam hebdomodarius rem diuinam mox facturus, ſacriſtiam, vel alium in locum ſacrum, ſe ritè diſponendi cauſa, peteret.

55 Quod ſi ob corporis infirmitatem aliquis eorum, qui choro intereſſe obligatur, excuſari conſueuit; id intelligendum eſt, quam diù domi ſuæ ob eumdem morbũ retinetur; nullo enim modo excuſatos volumus eos, qui per Vrbem ambulãt, & quòlibet frequenter incedunt, & dumtaxat ad Chorum venire malæ valetudinis prætextu detrectant.

56 Laudabilẽ cõſuetudinem, quæ in Cathedralis noſtræ choro in fine diuini officij, & inter ſuffragia Sanctorũ fit cõmemoratio Diuæ Agathæ Cataneſis, in reliquis omnibus noſtri Cleri choris per Diœceſim retinendam, ſeu introducendam eſſe iubemus. Debetur enim hic honor, & grati animi quotidiana memoria tantæ Virgini, & Martyri ſponſæ noſtrę, & totius Catanenſis Diœceſis Patronę Principali; cuius feſto die cum octaua per totam noſtram Diœceſim quicumque eſt horis canonicis obligatus, officium recitare tenetur.

57 Ad Seminarij Clericos ſpectat antiphonas intonare, quod ſi hos Clericos à choro abeſſe contigerit, id munus beneficiati, ſeu ſecundarij præſtabunt.

58 Dignitates, Canonici, & Beneficiati tàm in miſſarum celebratione, & in diuinarum horarum penſo ſoluẽdo, quàm in reliquis eccleſiaſticis actibus ceremoniale Romanum poſtremò editum ad amuſſim obſeruent.

Cap.

Cap. VII.

Ordo eorum, qui in Eccleſia Cathedrali ſunt officia diuina peracturi.

59 QVod laudabiliter ex peruetuſta conſuetudine obſeruatum eſt, in poſterum retineri etiam mandamus; videlicet cum Epiſcopus non adeſt, aut nequit, vel nolit ſolemni ritu in hac Cathedrali diuina officia perſoluere, vt id Prior, vel alius ex dignitatibus viciſſim, & ſucceſſiuè pręſtent, nimirum feſtis diebus Paſchę Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natalis Domini, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Immaculatæ Deiparę Conceptionis, atque Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli.

60 At ſacro Diuæ Agathæ die ſi nequit Epiſcopus, die item octaua, & translationis reliquiarum ipſius, nimirum decimoſeptimo Auguſti Canonicus hebdomadarius, vt hactenus conſueuit, eo fungetur munere.

61 Feria autem quinta, ideſt die supremę Chriſti Domini cœnæ, Prior ſolemne conficiet ſacrificium, & ſacrā Capitulo, ac reliquis Cathedralis Eccleſię Sacerdotibus, & clericis Euchariſtiam porriget. Feſto Corporis Chriſti Domini die Epiſcopus, aut maiorem obtinens dignitatem in Eccleſia Cathedrali officium, Miſſamque ſolemnem peraget, & per Vrbem in Proceſſione Venerabile Sacramentum circumferet. At ipſa die octaua hæc eadem alternatim Canonicus antiquior, & Dignitatem habèns ità pręſtabūt, vt vno anno vni, altero alteri contingāt.

62 Vt famulatum, & aſſiſtentiam, quam ſua perſona pręſtare poſſunt Canonici in diuinis muneribus, ſpe-

ciali

ciali prerogatiua condecoremus, viſum eſt ſta tuere, quod Dignitati ſolemniter ſacrificanti, aut quoduis aliud eccleſiaſticum officium publicè exequenti tanquā aſſiſtentes famulentur Beneficiati, ſeu ſecundarij; Canonicorum enim perſonalem operam, vt etiam Dignitatum omnium nobis tantum inſeruiendis in eiuſmodi ſacris, ſolemnibuſque functionibus, & Pontificalibus reſeruamus.

Cap. VIII.

De Beneficiatis Cathedralis Eccleſia, quos Secundarios appellant.

63 HI, vt diximus, duodecim, & omnes quidem Sacerdotes eſſe debent, quorum electio, & inſtitutio ad Prelatum pleno iure ſpectat; Eorum habitus eſt epitogium ſericum nigri coloris, ſed rubro ſubſutum, vt hactenus conſueuit eſſe, atque ſuperpelliceo impoſitum; Horum pre ceteris intereſt penſum diuinum ſoluere, cum in monachorum locum in choro Canonicis adiuncti ſint; vnde octo ſaltem eorum quotidie choro adeſſe debent; ideoque nemo in poſterum ad hoc munus promouebitur, qui Gregoriani cantus artem benè non tenet; ij enim præcipui chori duces eſſe debent, eccleſiaſticarumque rubricarum magiſtri, & que pro chori diſciplina ſuprà ſtatuimus diligenter obſeruare tenentur.

64 Eorumdem Beneficiatorum erit, Diaconi, & Subdiaconi officium in miſſis maioribus eiuſdem Cathedralis Eccleſie viciſſim exercere. Cum pluuialibus aſſiſtere ijs diebus, quibus veſperæ, aut miſſa ibidem ſolemniter celebratur ab aliquo ex dignitatē obtinentibus,

tibus, ſeu canonicatum; atque etiã duo minimum illorũ in eadẽ Cathedrali quotidie diuinũ peragere ſacrificiũ teneantur.

Cap. IX.

De Capitulo cogendo, rebuſque in ipſo tractandis.

65 PRæcipuum munus perſonarũ ſcilicet Dignitatũ, & Canonicorum, ex quibus tantum Capitulũ conſtat, eſt ipſum Capitulum legitimè cogere, quod quidem ad Priorem in primis ſpectat, niſi de rebus, ſeu bonis ad menſam canonicalem pertinentibus habẽdum ſit, tunc enim, vt ſupra innuimus, ad antiquiorem Canonicum iure ſuo attinebit; abſente Priore Cantor, ſeu alius ex Dignitatibus capitulum reſpectiuè conuocabit; poterit tamen Epiſcopus, quoties ſibi benè viſum fuerit, Capitulum cogere, in eoque per ſe, vel per alium quidquid occurrit proponere.

66 Atque vt res hæc maximi momẽti vtiliter, ſanctèque tractetur, obſeruandum omninò erit primò, vt omnes in Capitulo vocem actiuam habentes ad illud ęquo animo conueniant; & ne quiſquam vanè putet, tentetue per ſui abſentiam poſſe Capitulum cogendum impedire, hac synodali cõſtitutione perpetuo valitura decernimus: vbi Capitulum habendum eſt, id, & horam à legitimo nuncio cuicumque capitulari perſonaliter, vel in eiuſdẽ domo notificari debere, quo facto, expletoque conſueto campanę ſigno, legitimum capitulum conſtitui ab ijs, licet paucis, declaramus, quotquot interſint, & electiones, decreta, atque deliberationes à maiori parte in eiuſmodi capitulo ſtabilita legitima, & canonica eſſe, ac ab

omnibus tenenda volumus non ſecus ac in eadem cuncti Capitulares concurriſſent; verumtamen ſi res in Capitulo agenda magni ſit momenti, tunc ab eo, ad quem illud Capitulum conuocare ſpectat, vel à nuntio duobus ſaltem ante diebus capitulares certiores fiant, ne ad ſententiam ferendam imparati accedant.

67 Feſtis diebus, vel dum ſacra officia aguntur, niſi fortè vrgentiſſima neceſſitas aliud iudicio prudentum exigeret, capitulum non celebretur, ab inuocatione Spiritus ſancti exordium ſumat, & oratione finiatur. Superior qui id neglexerit aureum ſoluat.

68 Bis in menſe, videlicèt ſingulis quindecim diebus Canonici tantum congregentur, & de rebus ad eorum menſam ſpectantibus diſquirant; ſemel verò intra eumdē menſem etiam cum Canonicis ij interueniant, qui dignitate præeminent, deque rebus ad omnes pertinentibus capitulariter tractetur.

69 Nemo eorum, qui in Capitulo ius ſuffragij habēt, vbi illud legitimè indicitur ſine iuſta cauſa abſit; nec à Capitulo recedat, niſi rebus diſcuſſis, eoque à ſuperiore dimiſſo, atque gratiarum actione abſoluta, ſub pœna tarenorum ſex ſacriſtiæ applicanda.

70 Suo quiſque ordine, & ſucceſſiuè ſuffragium ferat, quod itidem à ſecretario notetur, vt pro maiori votorum parte decidatur.

71 Si qua de re inter eos initur controuerſia, & ſententiarum diuerſitas, ſine tumultu, ira, & ſtrepitu rationes proponat quiſque, vt pro rei veritate potiùs, & Capituli vtilitate, atque decore contèndere videatur, quàm pro ſuæ mentis obſtinatione, vnde æquibonique conſulet, quod fuerit à maiori parte Capituli conſtitutum.

72 Capitulares iocos, riſus, verbaque ſcurrilia euitēt; in

in loquendo, atque reſpondendo modeſtè ſe gerant, & honore inuicem præueniant, nemo niſi ſuo tempore, & loco loqui præſumat, dicentis ſermonem non interrumpat, vaniſque altercationibus tempus ne terat.

73 Si quis autem è capitularibus alterum iniurijs, cōtumelijs, aut alijs indignis verbis, factiſque indecentibus affecerit, ſex menſes actiua, & paſſiua voce, atque ab ipſius Capituli ingreſſu priuatus intelligatur; quapropter ſi hoc contempto decreto aliquando intra illorū ſex menſium ſpatium admiſſus fuerit, capitula nulla, irritaque declaramus.

74 Capituli Secretarius ſit Canonicus prudens, rerū capitularium, dicendique benè peritus, apud ſe Capituli ſigillum ſeruet, & librum ſcripturarum, deciſionum, literarum, rerumque omnium ad Capitulum ſpectantium habeat.

75 Eiuſdem eſt in cuiuſqe ſeſſionis, ſeu conuentus initio determinata à præcedenti capitulo proponere, vt videatur an, & qua ratione executioni mandata ſint? Itemque eos, qui Capitulo non interuenerint adnotare, & depoſitario referre, vt ſuper fructibus pœnas conſuetas retinere queat.

76 Porrò ſuffragia, & vota tum in electionibus officialium, tū in negotijs magni momenti ſecretò ferantur.

77 Super quodlibet negotium, quod tractatur, & cōcluditur in Capitulo, fiat ſpeciale decretum, & à Segretario Capituli in libro ad hoc deſignato ſtatim exaretur.

78 Prohibemus ne alter pro altero in ipſo capitulo præſente, ſuffragium ferat; quod ſi ſecus fiet, electiones, & alia contra has cōſtitutiones decreta in Capitulo nulla, irritaque ipſo facto hac synodali ſanctione decernimus.

79 Atque ne ab exteris capitularitèr acta, vel agenda perturbentur, in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, ſingulisque è capitulo mandamus, vt ea ſub ſecreti ſigillò ſeruent, & nonniſi inter ſe communicent, & cum ſolo Epiſcopo, ſi quando opus fuerit, vel is interrogauerit. Contrauenientes præter inobedientiæ crimen, in quod incidunt, priuationem quoque vocis actiuæ, & paſſiuæ ſex menſes, aliaſque Epiſcopi arbitrio pœnas ſubibunt.

80 Capitulum, in quo differendum, atque ſtabiliēdum erit de alienatione, ſeu conceſſione bonorum, ſiue Eccleſiarum ad menſam Capituli pertinentium, inconſulto Epiſcopo ne cogatur ſub pœna nullitatis.

81 Vbi aliquid de menſa capituli, cedendum, vel de aliquo facienda eſt apocha ſeu vt aiunt cautela, ea capitulariter, & ex voto maioris partis fiat, aliàs cautelæ huiuſmodi ſecretò, vel ſeorſim ab alijs factæ nullius valoris habeantur.

82 Singulis Septembris Kalendis officiales ordinarij Capituli ſecretis ſuffragijs eligantur, qui ſine legitima cauſa, & quidem per ſecreta ſuffragia ab eodem Capitulo approbanda demandatum officium recuſare nequeāt, niſi malint vnius menſis diſtributionibus in pœnam priuari. Completo anno, adeo horum expirat officium, vt quidquid poſt annum per eos agatur irritum ſit, & nullum; poterunt tamen de noſtra licentia in eodem officio confirmari.

83 Vt capituli officiales ritè creentur, duo ex ipſius capituli gremio, qui ſcrutinijs præſideant eligantur, quos propterea Scrutatores appellamus; in ſcrutinio autem faciendo pro his tantum ſcrutatoribus Prior, ſeu qui in eius abſentis locum ſuccedit cum Canonico antiquiore ſcrutatorum præſtabit officium.

Ca-

84 Capituli Depoſitarius antequam officium deponat, intra dies quindecim vltimos ſui anni rationem eius, quod penès ſe peruenerit reddat duobus à Capitulo ad id tunc deputatis, & reliquorum notam ſucceſſori tradat.

85 Inter hos annuos, & ordinarios Capituli officiales præter ſecretarium volumus Cancellarium eligi, cuius interſit prouentuum capitularis menſæ rationem adhibere cum libro accepti, & expenſi, pecunias quoque penès depoſitarium ſoluendas notare, quas depoſitarius recipere non poſſit, niſi mandato ipſius Cancellarij in ſcriptis habito.

86 Quando opus eſt Procurator eligatur Capituli; cuia in primis interſit ex mandato, & commiſſione capituli coram Iudicibus competentibus, aut alijs quibuſcūque miniſtris partes illius agere, comparere, proponere, reſpondere, quæ in Capituli fauorem, & tutamen opus erunt.

87 Depoſitarius apud ſe librum ſeruet in quo priuilegia, bonorum conceſſiones, iuraque omnia ad Capitulum ſpectantia, & conſuetudines laudabiliter hactenus retentæ diligenter exarata contineantur.

88 Denique vt ſcripturarum, librorumque omnium ad Capitulum noſtræ Cathedralis actinentium omni futuro tempore certa ratio habeatur, in peculiari archiuio ad id erigendo, eos ſeruari iubemus, cuius tres diſtinctæ ſint claues, & vna quidem Canonico Secretario, altera Canonico Cancellario, tertia antiquiſſimo Canonicorum tradatur; qui ſcripturam nullam, nec librum, aut folium inde extrahi patiantur, abſque Capituli facultate, aliàs in perhorrendam excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſe nouerint incurriſſe.

89 Pro negotijs in Capitulo determinandis præter

vnam,

vnam, aut alteram nemo Canonicorum procurationem aliorum abſentium acceptet; cæteras enim omnes hac synodali conſtitutione, prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſectando, nullas eſſe decernimus.

90 Statuimus quoque non poſſe vnum pro altero in eodem capitulo, vel Vrbe exiſtente votum ferre, nec niſi verè duorum minimum dierum iter ab Vrbe abſit, vel legitimè impeditus ſit, alij procuram, vt aiunt, demandare, ad ſuo nomine eligendum. Volumus autem quod ſi in Vrbe degat, & impedimentum obtendat, id an legitimum ſit iudicetur à maiori parte capituli: quod ſi fictitium inueniatur, illius ſuffragium, & procuratio omninò excludatur.

91 In electione Vicarij Generalis, ſede vacante meminerint Viri Capitulares, quæ in re tanti ponderis Sacri Canones, Summorum Pontificum, & Sacrarum Cõgregationum decreta ſub extimeſcendis pœnis mandãt. Caueantque omninò illas inter ſe compoſitiones, & repartitiones Ciuitatum, Oppidorumque Diœceſis facere, quæ grauis ſcandali, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxandæ, ſeu cauſa, ſeu occaſio non leues eſſe conſueuerunt.

92 Litteris communibus, & Capituli nomine mittẽdis non ſe ſubſcribant Canonici, niſi in eodem Capitulo legitimè congregato probatæ fuerint; quod ſi de re grauiori, aut quæ in præiudicium tendat alienum, erunt, id de illis litteris fiat, quod maior Canonicorum pars per ſecreta ſuffragia arbitrata fuerit: ſi verò res, de qua ſcribitur non eſt circa ea, quæ ad Canonicorum patrimoniũ ſpectant, etiam à Dignitatibus erunt eiuſmodi litteræ ſubſcribendæ; transgreſſores grauiter ad noſtrum arbitratum punientur.

Cap.

Cap. X.

De reliquis officialibus, & miniſtris Cathedralis Eccleſiæ.

De Punctatoribus.

93 DVo ex Canonicis, & ex Secundarijs, ſeu Beneficiatis alij duo, quorum probata ſit virtus, & fides, à Capitulo eligantur, vt punctatorum officium, qua par eſt diligentia, & ſinceritate exequantur; ij autem vt religioſiùs ad id muneris obeundum excitentur, & fortiùs contra humanarum paſſionum inſultus, & reſpectus obarmentur, hoc ſe iure iurando in ipſo ſuſcepti officij limine ſacroſanctè adſtringant: nimirum.

94 *Ego N. N. Punctatoris officium, quod ſuſcepi promitto, ac ſpondeo me fideliter, ac ſincerè quantum in me eſt exequuturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

95 Quapropter ſi aliquem deinde à punctatione ſine legitima cauſa excuſauerint, ſciant & violatæ iuriſiurãdi fidei reos eſſe, & reſtitutioni obnoxios.

96 Punctatorum igitur intereſt abſentiam illorum, qui ad Chorum venire obligantur notare, atque diligẽter obſeruare eos, qui in aliquo ex ijs, quæ prędiximus peccauerint, vt punctationis pœnam dent, & qui abſentium vices ſuppleuerint; ſed in primis meminerint neminem iniuria notandum eis eſſe, nec prætermittendum notari ob reſpectum humanum.

97 Si qui verò abſentiæ ſuæ rationem Epiſcopo, ſeu Vicario Generali reddet, cuius prudentiæ eſt an legiti-

ma

ma ſit adiudicare, eiuſdem arbitratu illius notam delebit, vel ſeruabit.

98 Iuſtam autem, & legitimam abſentiæ cauſam illã in Domino cenſemus, atque decernimus, nimirum ſi aduerſa valetudine domi detineri cogatur, iuxtà ſuperiùs adnotata; ſi tamen ad longum tempus prætextu infirmitatis Choro abeſſe contigerit, Epiſcopi tunc erit aliũ infirmi loco ſubſtituere, qui illius diſtributionem percipiat; itẽ ſi in carceres ob propriũ delictũ coniectus inueniatur; ſi Epiſcopi, Capitulive iuſſu, ob Eccleſiæ vtilitatem alibi acciderit eſſe diſſentum.

99 Atque vt ſtatim reſipiſcant, & contumaciæ ſcelus rei perhorreſcant, atque ad abſolutionem impenſiùs efflagitandam excitentur, præſenti conſtitutione ſancimus excommunicationem, aut interdictum, vel ſuſpenſionẽ nec idoneam, nec legitimam abſentiæ excuſationem facere.

100 Ad errores in Punctatoribus euitandos, ambo Punctatores octauo quoque die punctationum notas inter ſe conferant, vt ſi qua in re diſcrimen offendatur, & altercatio facilè inter ipſos componi nequeat, ad Epiſcopum recurrant, vt controuerſiam dirimat.

De Magiſtro Cappellano.

101 Cum in Cathedrali Eccleſia Catanenſi nullus alius præter Epiſcopum ſit Parochus, eligit ipſemet Epiſcopus Sacerdotem vitæ probitate, & doctrina conſpicuum, qui Magiſter Cappellanus appellatur, cuius inprimis intereſt in eadem Cathedrali adminiſtratio ſacramentorum, cum alijs quatuor Cappellanis per eumdem Antiſtitem amouibilibus.

Quid

102 Quidquid igitur de Cappellanis Curatis dictum eſt ad ſe in primis ita pertinere intelligat, vt in hoc munere ritè obeundo reliquis Cappellanis Sacramentalibus, quos omnes in Vrbe loco, & officio pręcedit, exẽplo etiam pręeat.

103 In Cathedrali Eccleſia baptizatorum, confirmatorum, compatrum, matrimonio iunctorum, atque matrimonij teſtium, & aſſiſtentis Parochi nomina in ſuos quæque libros referat magiſter Cappellanus, nec non eorum catalogum habeat, qui in eodem Templo ſepulti ſunt.

104 Ad ipſum principaliter, vt hactenus conſuetum eſt, pertinere conſtituimus matrimonia Catanæ contrahendi licentiam in ſcriptis à nobis, vel à Vicario Generali obtinere, & factarum denunciationum fidem facere per ſe, vel factam examinare, & ſubſcribere: has autem denunciationes, non alibi ſine noſtra, vel Vicarij Generalis facultate publicet, quàm in Eccleſia Cathedrali, eoque Miſſæ tempore, quo frequentior populus adeſt.

105 Aquam benedicendam in Matrici Eccleſia ab vno ex quatuor Cappellanis, atque renouandam, ſingulis ſaltem ſabbatis, curet; vt lumen ſtatutis lampadibus ante ſacram Euchariſtiam indeficiens ſeruetur, & in eiuſdem altare conſueti cerei accendantur, vbi ſacer ille panis diſtribuendus eſt populis, vel in viaticum dandus eſt infirmis, tunc enim maximè ſtudendum ei eſt vt maiori, quo poteſt, luminum numero hominumque comitatu, & ſeruatis ritibus, atque cęremonijs, de quibus nos ſuo loco egimus, deferatur.

§ ✠ §

De Magiſtro Caremoniarum Capituli Cathedralis.

1r6 Cum reliquæ omnes Eccleſiæ totius diœceſis, vt par eſt, & nos mandamus, ritus, & ceremonias ſequi debeant, quas tenet noſtra Cathedralis, ſumma diligentia ſtudendum erit Magiſtro Ceremoniarum Capituli Cathedralis, vt omnia ad vnguem, quę Rituale Romanum nouiſſimè editum præſcribit pro ſingulis Eccleſiaſticis muneribus, ſeu functionibus ſeruentur, vt tanquā ab exemplari, quid in ſuis quiſque Eccleſijs exequatur Vicarius, Parochus, aut quiuis alius Rector addiſcat.

107 Ad eum ſpectat Choriſtas, & miſſarum ſolemniorum officiales tempori præmonere, & diligenter, modeſtèque dirigere; atque vbi Capitulum ipſum interuenire, vel aliquem ex dignitates, aut Canonicatum obtinentibus munus Eccleſiaſticum publicè obire, res omnes ita diſponere, vt functionis tempore nulla ſit controuerſia, nec defectus adnotetur: quapropter ſuæ operæ pretium non mediocre ſe facturum autumet, ſi librum habeat in quo diſtinctè, fideliterque ad poſterum memoriam, & vtilitatem inſcribat quidquid in extraordinarijs caſibus à prudentibus rerum, & cæremoniarum arbitris deciſum eſt, & exequutioni mandatum; præſertim quid in ordinarijs cuiuſque feſtiuitatis totius anni proceſſionibus, cæteriſque publicis, vel priuatis functionibus ſtabilitum eſt, adnotare.

108 Vbi concio coram Epiſcopo, vel Capitulo habenda eſt, Concionatorem opportuno tempore ad monendum curet, & ad pulpitum è ſacriſtia, & ad hanc in fine à pulpito ducat, reducatque.

De

De quatuor Cappellanis.

109 Ad hos, qui ſanè ab Epiſcopo nominantur, & eliguntur, vtique ab ipſomet amouibiles, primariò ſpectat in Cathedrali Eccleſia ſacramenta omnia tanquam Parochi coadiutores adminiſtrare; inſuper diebus ferialibus miſſam maiorem canere ſeruato inter eos debito viciſſitudinis ordine; & hoc ſanè quãdo Canonici, ad quos ex antiqua conſuetudine id attinere principaliùs declaramus, eſſent legitimè excuſati.

110 Sed eorum peculiare munus eſt aſſiduè, præſertim verò diebus ſolemnioribus, eorumque peruigilijs in Cathedrali Eccleſia ſacris confeſſionibus aures præbere; atque viciſſim ſua cuique hebdomada aſſignata cætera ſacramenta adminiſtrare.

De Manſionarijs.

111 Hos quoque ad nos eligere, & inſtituere ſpectat, qui Sacerdotes eſſe debent, & epitogio inſigniti; eorum officium eſt in Choro ad horas Canonicas, & miſſas cãtandas Secundarios adiuuare, diebus præſertim feſtiuis. Volumus etiam eoſdem Epiſcopo inſeruire, vbicumque Pontificalia exercet, publicum ſacrificium facit, ſacramenta, ordinis præcipuè, & Confirmationis adminiſtrat, conſecrationes, aut benedictiones ſolemnes præſtat, aut ad Populum concionem habet; quod ſi neglexerint, in priuationis pœnam incurrant.

De Maiori Sacriſta Cathedralis.

112 Theſaurarius veluti ſui ſubſtitutum ſacriſtã ma-

 iorem,

iorem, & ſuos coadiutores cum conſenſu Epiſcopi in Cathedrali Eccleſia eligit, & hic quidē maior Sacriſta omninò Sacerdos eſſe debet, & ea morum, vitæque probitate conſpicuus cuius fidei Eccleſiæ, & Sacriſtiæ claues diù, noctuque, ſacra vaſa, localia, nec non cæteram omnem ſuppellectilem tutò concredere queat; quem nos, vt particulari prærogatiua condecoraremus, eodem epitogio, ac Cappellani vtuntur, inſignitum eſſe volumus durante eius officio.

113 Curandum autem illi in primis erit vt altarium ornamenta munda ſint, & decenter compoſita, vt Eccleſię parietes, & pauimentum ſtatis euerratur diebus, vt in Eccleſia nulli ſint rumores, nec obambulationes negotioſæ, aut ſcandaloſæ confabulationes; ne per eam quis quid vendat; atque vt campanarum ſigna conſueto ordine, & hora pulſentur.

114 Inuigilare deniq; perdiligēter debet vt miſſæ tēpore, & in altari ſtatuto à quouis obligationem habente cum debita modeſtia, & ornamentis peragantur, atque vt quiſque celebrantium ſua propria manu, nec alius pro alio, in miſſarum libello ſe ſubſcribat; quod ſi in prædictorum aliquo inobediens, aut negligens eſſe reperiatur, officio priuetur, & alias nobis arbitrarias pœnas ſubeat.

De Clericis Cathedrali Eccleſia adſcriptis.

115 Clerici Cathedralis Eccleſiæ ſeruitio adſcripti cūctis ſolemnibus feſtis diebus ad miſſam maiorem mane; poſt meridiem verò ad veſpertinas horas, & ſanè ſuperpelliceo induti conueniant, aliàs priuilegijs, exemptionibuſque priuatos eſſe ſciant, quibus Conc. Trid. non niſi Eccleſiæ aſſignatæ ſeruientes gaudere ſtatuit.

Eoſ-

116 Eoſque inſuper monemus nulla alia prorſus cauſa ſeruitutis Eccleſiaſticæ has teſtimoniales literas pro ordinibus ſuſcipiendis, alijſque priuilegijs fruendis obtenturos, ſi abſque ſuperpelliceo adſtiterunt. Idem in cæteris huius Vrbis, ac Diœceſis Eccleſijs ſeruandum mandamus.

117 Porrò huiuſmodi teſtimoniales litteras tàm pro ordinatione, quàm pro alia cauſa ad Priorem in Cathedrali, ad Prępoſitos in Collegiatis; in reliquis verò Eccleſijs ad Curatos, & Vicarios dare pertinebit.

Cap. XI.

De ijs, quæ in funeribus obſeruanda ſunt à Capitulo.

118 SI quando ad pompas funeris cohoneſtandas inuitatur Capitulum noſtræ Cathedralis, vnciæ decem ipſi Capitulo conſtituantur, quas diuidere oportebit inter Vicarium Generalem, Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos, inter quos Magiſtrum Cappellanum, atque Magiſtrum Ceremoniarum, tàm in hac occaſione, quàm in reliquis pręrogatiuis computatum eſſe volumus; item quatuor Cappellanos, Manſionarios omnes, Sacriſtam maiorem, ac reliquos Sacerdotes, Clericos Seminarij, Sacriſtas, & illos qui Crucis, & Campanę iure gaudent, vt hactenus fieri conſuetum eſt, ita tamen vt ſi quis eorum, qui ad funus proſequendum venire debuiſſet, abeſſe acciderit, de tota ſumma detrahatur id, quod abſenti, ſi pręſens fuiſſet, cędere debuiſſet, & proprio Domino reſtituatur, qui ad iuſta funebria eam pecuniam perſoluit.

119 Vbi verò defuncti cadauer in Cathedrali Eccleſia ſepeliendum fuerit, præter vncias decem, quas diximus, intortitia etiam, & candelæ capitulo, atque ſecũdarijs tribuantur inter eos, qui exequijs pręſentes fuerint, partienda; ſalua ſemper quarta funerali, quæ Epiſcopo iure cedit, quod etiam in omnibus Eccleſijs, in quibus officium ſacrum circa corpus defuncti ad Capitulum præſtare contigerit, erit obſeruandum.

120 Quod à prædeceſſoribus noſtris in ſua synodo ſemper, ſerioque mandatum fuit, & nos peculiari edicto nuper cauendum iniunximus, id præſenti ſanctione renouamus, & quanta poſſumus animi contentione iubemus, ſcilicet campanas in funeribus noctu non pulſari, niſi ad primam circiter vſque noctis horam, vel vna tantum hora ante ſolis ortum, iuxta ea, quæ de funeribus agentes dicemus.

Cap. XII.

De ijs, quæ ad Capitularem menſam attinent.

121 PRædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærendo, decretum, quod ad diuini cultus, & Eccleſiæ ſplendorem augendum ab Illuſtriſſimo Patriarcha Conſtantinopolitano, & Epiſcopo Catanenſi tanquam Se-
1 21. April. 1611. dis Apoſtolicæ delegato promulgatum fuit 1 renouamus, & ſtatuimus omnes redditus, qui ex ſuppreſſis, & ſupprimendis beneficijs colliguntur, aut colligentur, quæ ad regulares olim Canonicos, & Dignitates pertinebant, omninò ad duodecim Canonicos, & & totidem beneficiatos, ſeu ſecundarios attinere debere, ita tamen vt vna pars ſecundarijs, duæ verò Canoni-

cis

cis præbendæ loco cedant.

121 Unciæ verò trecentæ ſexaginta, quæ ex Epiſcopali menſa ſalarij nomine quotannis ſolui ſolebant Canonicis, & Secundarijs, qui diuinis interſunt officijs vna cum alijs quadraginta vncijs, quæ quatuor dignitates habentibus aſſignatæ ſunt, & omnes vnciarum quatricentarum ſummam explent annuam, quotidianis diſtributionibus applicentur, & quotidianæ diſtributiones ſint, & eſſe intelligantur.

123 Debent itaque vnciæ ducentæ octoginta octo duodecim Canonicis, & quatuor Dignitatibus diſtribui; quod verò reliquum eſt, nempè vnciæ cētum duodecim ſecundarijs æquè diſtribuantur, ita tamen vt ſingulis mēſibus cuique prędictorum proportionata ſolutio fiat iuxta formam, quæ continetur in tabella manu noſtra ſubſcripta.

124 Verum ſi, vt ſpes eſt, Dignitates ſuas dotes aliūdè conſequantur, tunc ex proprijs præbendis, vt Conc. Trid. præſcribit, tertiam partem diſtributioni quotidianæ inter ipſasmet Dignitates diuidēdę aſſignare teneantur, & quæ nunc ipſis Dignitatibus ex noſtra Epiſcopali, atque etiam ex Canonicorum, & Secundariorum menſa ſoluuntur, ſuppreſſa omninò intelligantur, & Canonicis, atque Secūdarijs diſtributionum quotidianarum loco ſuccedant.

125 Cum autem longum poſt tempus qui dignitates obtinent ſuas dotes non modo conſequuti non ſint, ſed nec ſpes vlla conſequendi affulgeret, nos eorumdem precibus, & inſtantijs inclinati Decretum in noſtra magna Curia reſcriptum, & perpetuò valiturum edidimus, quo nonnulla noſtrę Epiſcopalis menſæ beneficia illis in præbendas ad Dei Maiorem gloriam, & Eccleſiæ decorem

rem aggregauimus, & vniuimus, vt etiam præſenti ſanctione aggregata iam eſſe, & vnita declaramus.

Cap. XIII.

De Proceſſionibus, quibus Capitulum intereſſe conſueuit, & obligatur.

126 HÆ autem ſunt ordinariæ proceſſiones, in quibus Capitulum conſueuit cum ſuis inſignibus incedere, & ad quas nos eos obligatos eſſe declaramus ſub pœna nobis arbitraria.

MENSE IANVARIO.

20 S. Sebaſtiani per Vrbem. mane. Diuæ Agathæ veli, quod Grimpam appellant. ſero. per Vrbem.

FEBRVARIO.

3 Nuncupata la luminaria. per Vrbem. Sero.

APRILI.

25 S. Marci. per Vrbem. mane.

MAIO.

10 S. Cataldi. per Vrbem. mane.

IVNIO.

17 Diuę Agathę. per Vrbem. Sero.

Inſuper.

Singulis tertijs Dominicis diebus cuiuſcumque menſis. mane. per Eccleſiam Cathedralem.

Trium dierum rogationum. mane. per Vrbem.

Bullę Sanctiſſimę Cruciatę. mane. per Eccleſiam Cathedralem primo die quadrageſimę.

Secundo verò die ad Eccleſiam Collegiatam: & tertio ad Diui Franciſci. mane.

Feſto Sanctiſſimi corporis Chriſti, & Octauę per Vrbem. ſero.

Et qualibet ſexta feria menſis Martij, mane per Eccleſiam.

DECRETVM VIGESIMVM DE COLLEGIATIS.

Cap. I.

De Eccleſia Collegiata Catanenſi.

1 INſignis eſt Catanę Canonicorum Collegiata Eccleſia S. Marię de Eleemosyna ab Eugenio IV. motu proprio in Collegialem erecta anno Domini 1446. atque Epiſcopi Catanenſis iuriſdictioni, & Viſitationi ſubiecta.

2 In hac Collegiata tres ſunt Dignitates; videlicet Prępoſitus, cui eſt tanquam vero Parocho cura animarũ adnexa; Theſaurarius, & Cantor. Sunt decem, & nouē Canonici; Manſionarij octo; Cappellanus vnus, & vnus Magiſter Cęremoniarum; qui quidem ſunt extra Capitulum, quod tantum conſtat ex tribus Dignitatibus, & decem nouem Canonicis.

3 Qui omnes eodem modo ſuperpelliceo, & caputio græcanico vtuntur, ſed cũ aliquo diſcrimine, ab eo quod Manſionarij eiuſdem Eccleſię geſtant.

4 Si quando vacationis occurrit caſus, prçter Prępoſiti dignitatem, cuius collatio ad ſummum de iure ſpectat Pontificem, electionis fruuntur priuilegio, & quotquot ex gremio Capituli ſunt Dignitates, & Canonici ius habent ſuffragij; & hoc quidem ex Nicolai V. Ponti-

tificis Romani reſcripto. Pro hac electione facienda, vt etiam pro quolibet officio, aut re capitulariter deliberãda, mandamus omninò ſeruari, quę ſupra de Capitulo Cathedralis Eccleſię ſtabiliuimus; nempè non poſſe vnum pro altero in eodem Capitulo, vel Vrbe exiſtente, votum ferre, nec niſi verè duorum minimum dierum iter ab Vrbe abſit, vel legitimè impeditus ſit, alicui procurã, vt aiunt, demandare ad ſuo nomine eligendum; Volumus autem, quod ſi in Vrbe degat, & impedimentum obtendat id an legitimum ſit iudicetur à maiori parte Capituli; quod ſi fictitium inueniatur illius ſuffragiũ, & procuratio omninò excludatur. Porrò tunc electiones Canonicorum, vel Dignitatum à Capitulo factas, validas, & Canonicas eſſe reputabimus, & confirmabimus, quando ſeruatis de iure ſeruandis, illas ad plura medietate ſuffragia contigiſſe pro certo habebimus, nec niſi confirmatione à nobis obtenta, Canonicatus prædicti, aut Dignitatis poſſeſſio dari poteſt ſub pœna nullitatis.

5 Habent etiam ex eadem Nicolai V. conceſſione prædicti Canonici inter ſe optionem, quam vt hactenus conſuetum eſt, fieri iubemus; hortamurque vt in omnibus controuerſiarum occaſionibus mutuæ inter ſe exhibeant vnionis, & cõcordiæ ſpecimen, & honore inuicẽ, ſed præſertim in Capitulo, & Eccleſia ſe præueniant.

6 Bis in menſe, ſcilicet decimo quoque quinto die Præpoſitus, vel in eius abſentis locum, qui de iure, & conſuetudine ſuccedit Capitulum conuocet, cui tùm omnes Canonici, tùm Dignitatem obtinentes intereſſe debent: qui ſine iuſta cauſa (à maiori quidem ipſius Capituli approbanda) venire neglexerit, vnius diei feſtiui diſtributione careat.

7 Dignitatem obtinentes, aut Canonici, vel quiuis alius

alius ſit, qui fidei commiſſarius, aut adminiſtrator conſtitutus ſit alicuius hæreditatis, ſeu redditruum ad Eccleſiam Collegiatam ſpectantium; teneantur ſub pœna ad noſtrum arbitrarium eiuſmodi hæreditatis, redditruum, bonorumque autenticas ſcripturas in prædictę Eccleſiæ Archiuio recondere, & nobis, vel ei, quem ad id ſubſtituemus, totius adminiſtrationis rationem exhibere.

8 Prohibitum pœnitus eſto Archiuario Collegiatæ ſcripturam aliquam originalem, aut librum alicui extra Archiuium dare ſine noſtra, aut totius Capituli Collegiatæ licentia; inobediens Archiuarius, tum etiam qui illā ſcripturam recipit, carcere punietur.

9 In eodem Archiuio nota habeatur omnium Clericorum, qui à nobis eiuſdem Eccleſiæ ſeruitio deputati ſunt; idem Catalogus vt publicè in ſacriſtia conſpiciatur curabit Præpoſitus.

10 Singulis annis, vt moris eſt, Depoſitarius Eccleſiæ, & Capituli eligatur, nec idem ſine noſtro expreſſo conſenſu confirmetur; ad hunc cuiuslibet menſis condicta die rationem in Capitulo dari, & accepti reddere ſpectabit, vt eorumdem, quæ vocant, mandata, ibidem expediantur; quæ quidem omnia in libro ad hunc finem deputato à Magiſtro Notario reſcribi debent, vt perpetuò tempore appareant.

11 Suo quiſque Dignitatem obtinentium, & Canonicorum ſtalli loco decenter conſideat, præſertim diuinorum officiorum, ſollemniſque ſacrificij tempore, quo nemini per Chorum vagari, aut alterius ſedem occupare liceat, niſi eiuſdem diei diſtributionibus in pœnam carere, aliiſque ad noſtrū arbitrium pœnis ſubiacere malit,

12 Manſionarijs, Cappellano, & Magiſtro Ceremoniarum in choro proprium ſtallum aſſignamus, quod eſt

ante Canonicorum ſtallum; in Proceſſionibus autem nullo modo cappa, ſeu pluuiali induantur Manſionarij prædicti.

13 Ex Manſionarijs inſignitis, qui certè ſacris ordinibus inaugurati eſſe debent, bini per ſingulas hebdomadas à Præpoſito deputentur, qui eiuſdem hebdomadæ feſtiuis diebus in Miſſa ſollemni Diaconi, & Subdiaconi munus præſtent; quod ſi quis non legitimè impeditus recuſauerit, nobis priùs re delata, eo honore priuetur.

14 Cum vnus & idem ſit in Eccleſia hac Collegiata Præpoſitus, & proprius Parochus illarum animarum, quę intra iam olim conſtitutos eiuſdem Parœciæ fines continentur, alium adminiſtratorem ſacramentorum, ſi quādo in ea Eccleſia adhiberi opus eſt, eſſe merum Cappellanum, & ſimplicem coadiutorē Parochi, atque ad Epiſcopi nutum amouibilem declaramus.

15 Ad eas omnes Proceſſiones, ad quas extra Eccleſiam propriam noſtræ Cathedralis Capitulum obligatur, & ipſa Collegiata tenetur venire.

16 Miſſam quam Conuentualem nominant æquum, & iuſtitię conſentaneum eſt, vt mandamus applicari pro benefactoribus inſignibus eiuſdem Collegiatę.

17 Denique Prępoſito vehementer commendatum volumus, quod Parochorum proprium eſt; nempè ſingulis Dominicis diebus pueros doctrinam chriſtianam docendos, libroſque baptizatorum, ſepultorum, &c. in Eccleſia Collegiata omninò conficiendos curare; atque conſtitutiones omnes, inſtitutioneſque pro Parochis datas in primis obſeruare.

Cap. II.

De Eccleſia Collegiata Ciuitatis Platiæ.

18 DE hac inſigni, & perhonorifica Collegiata datę ſunt Romę Nonis Octobris 1603. & alię deinde Conſtitutiones Pontificię, quas ad vnguem obſeruari hoc Synodali decreto mandamus; ac ne pœnę in illis adiectę, pręſertim pecuniarię, contemnantur, Prępoſitus, & eo abſente chori Pręfectus eum, quem in aliquam illarum deprehenderit, vel nouerit incurriſſe, ſtatim ſub pœna vnciarum quatuor ſacriſtię eiuſdem Eccleſię applicanda Depoſitario deferat, cuius Conſcientiam ſtrictiùs oneramus.

19 Hic verò Depoſitarius ex diſtributionibus illas retineat, vt exequatur, quod prędictę Apoſtolicę conſtitutiones pręſcribunt, aliàs excommunicationis gladio ferietur.

20 Cum autem temporum, atque officialium viciſſitudines, ipſaque in primis rerum magiſtra experientia multa alia nos docuerint pro recto eiuſdem Collegiatę regimine decernenda eſſe, de quibus pręterita Synodus non meminit; declaranda etiam quę non nemo audacter in dubium vocauit, atque in primis remouenda ſemina diſcordiarum, quę deinde inter Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos, ſeu Secundarios ortę ſunt, & ſuboriuntur in dies; ideò pręter has ſanctiones, quas in pręſenti Synodo ſtabiliuimus, alias etiam manu noſtra ſubſcriptas, ad nonnullas lites inter eoſdem componendas volumus omninò ſeruari ſub grauibus pœnis ad noſtrum arbitratum.

Et

21 Et ſanè quoad canonicas horas in Choro, qua par eſt modeſtia, ſilentio, ordine, & ceremonijs perſoluẽdas; item quoad capitulum cogendum, & electiones officialium, reſque alias decernendas, omnia prorſus, & ſingula, quę pro noſtra Cathedrali his de rebus ſupra ſtabiliuimus, iubemus à Collegiata Platienſi diligenter teneri ſub ijſdem pœnis; quoad verò reliqua ad Cęremonialis Romani nouiſſimè editi normam ſe componat, ac iuxtà conſuetudines à noſtris Prędeceſſori bus, & à nobis approbatas proſequatur.

22 In feſtorum ſollemniorum Veſperis, videlicet Paſchę Reſurrectionis, Pentecoſtes, Dominicę Natiuitatis, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Aſſumptionis Deiparę, qui titulus eſt Eccleſię, necnon eiuſdem Immaculatę Conceptionis, atque Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Diuę Agathę; Prępoſitus, eoque abſente vnus ex ijs, qui dignitate pręfulget, ſeruata tamen alternatiua, officium peragat; quem ſex Beneficiales, ſeu Secundarij, vt vocant pluuialibus ornati comitentur; hi autem ſubinde varientur iuxtà eorum omnium ordinem, quem in tabella Cantor, aut alius, qui locum Cantoris abſentis de iure occupat, exponet. Cæteris etiam feſtis diebus ſi alicui ex Dignitatem obtinentibus contingat Veſperis canendis ritu ſolemni præeſſe, quatuor beneficiales Sacerdotes cum pluuialibus illi inſeruiant. In Prænumeratis ſolemnioribus feſtiuitatibus ad Præpoſitum ſpectat ſolemnem in eadem Eccleſia miſſam canere.

23 Præpoſito, aut alicui ex cæteris dignitatibus ſolemniter celebranti poterunt quidem duo inuitati Canonici aſſiſtere; at Secundarij omnes omninò tunc, vt etiam quando aliquis Canonicus ſolemne ſacrificium offert in Eccleſia Collegiata, & Diaconi, &

Sub-

Subdiaconi munus vicisſim obire ex præſcripto Cantoris obligantur: ſi quis in prædictorum aliquo inobediẽs fuerit vnius aurei pœna, iocalibus ſacriſtiæ applicandi, corrigatur.

24 Functiones omnes ſolemnes, vt publicarum benedictionum, & ſimilium ſiue intra, ſiue extra Eccleſiã faciendæ, proceſſiones quoque extraordinariæ pro re grani indicendæ ſunt Platiæ à Prępoſito, eoque abſente, ab ea dignitate, quæ immediatè illi ſuccedit.

25 Declaramus autem inter huius Collegiatæ Dignitates primum locum obtineri à Præpoſito, alterum à Cãtore, tertium à Theſaurario, quartum à Decano, ad quos omnes tam coniunctim, quam diuiſim, tamquam veros Parochos attinet cura animarum totius Opulentiſſimæ Ciuitatis Platiæ. Vnde quę pro Parochis pręſcripta ſunt, ipſi ſedulo debent obſeruare ſub ijſdem pœnis.

26 Hinc etiam perſpiciant qua virtute, & ſapientia pręditos eſſe oporteat, & qua honeſtate, & morum integritate toti Clero pręire debeant, & populum Sacramẽtis paſcere, ſacra doctrina, & exemplo inſtruere ad vitę ſanctimoniam, & in viam ſalutis ęternæ.

27 Die Aſcenſionis Domini Canonicus hebdomadarius rem diuinam ſolemniter faciet; At feria quarta Cinerum, Dominica Palmarum, tribuſque vltimis diebus maioris hebdomadę, vt hactenus conſuetum eſt Præpoſitus ſolemne conficiet ſacrum; nemo autem Dignitatum, Canonicorum, aut Beneficialium his tribus diebus Choro intereſſe omittat, aliàs diſtributionibus priuetur.

28 In Octaua Corporis Chriſti Domini Cantor, & in eius locum Decanus, vel Theſaurarius; infra octauam verò eiuſdem feſtiuitatis, aut alterius, quæ in eadem Ec-

cle-

cleſia celebratur Canonicus hebdomadarius ſolemniter ſacrificet.

DECRETVM VIEGSIMVM PRIMVM.

DE PAROCHIS, CÆTERISQVE animarum curam habentibus.

1 AGentes de Sacramentis, & eorum adminiſtratione illuc præcipuè noſtra collimauit intentio vt Parochos, animarumque curatos principali munere, quod ad ipſos pertinet erudiremus, nihilominus ne quid in noſtra Synodo deſiderari videretur, hęc breuiter pro Parochis, & Curatis diſtinctiùs edicere decreuimus.

2 Et primò quidem prænotandum eſt in noſtra Diœceſi paucos eſſe veros parochos, quibus ex officio competat in ſuas oues iurisdictio ordinaria; reliqui enim ferè omnes ſunt coadiutores Parochi, & animarum Curati ad noſtrum nutum amouibiles, ſeu vt aiunt Cappellani Sacramentales, quorum iurisdictio à nobis eſt eis delegata, & ad tempus ex noſtro beneplacito limitata.

3 Huiuſmodi igitur viros non modo virtutibus præditos eſſe oportet, ſed in literis, & ſcientijs, præſertim Theologiæ tum ſcholaſticæ, tum moralis, nec non Iuris Pontificij non mediocriter verſatos; ars enim artium eſt regimen animarum, quas regere debent exemplo, conſilijs, & prædicatione; ideoque ſęcularium negotiorum, & mercaturæ prorſus abiecta cura, conatum omnem, induſtriamque adhibeant in rectè adminiſtrandis Sacramentis, ſuiſque ouibus dirigendis in ſemitam mandatorum Dei.

Alio-

4 Aliorum Clericorum vitam, & mores diligenti inſpectione cuſtodiant, eiſque vita, & habitu facem præferant, vt quę de vita, & honeſtate Clericorum noſtris innuimus ſanctionibus, in ipſis parochis, & animarum Curatis expreſſa videantur.

5 Sępè ſępiùs ſuam parochiam luſtrent, vt perſpiciāt ſi publici peccatores adſint; inimicos in gratiam reddāt; thoro matrimoniali ob odium, & rixas disiunctos recōcilient; videāt num zingari benè viuant? num ſint qui ſuperſtitionibus, atque maleficijs dediti ſint? num aliquid publici ſcandali occurrat? quos omnes paternè primum moneāt, & corrigāt; at ſi monitionibus obſurdeſcere ſentiāt, ad nos deinde deferāt, vt opportunum ab alto remedium pręſtemus.

6 Opera miſericordiæ ſpiritualis, & temporalis populo pręſtare ad ipſos principaliter ſpectare putent; viſitare infirmos, vltimis ſacramentis eos munire, conſuetis precibus in mortis agone confortare; curare defunctis Eccleſiaſticæ ſepulturæ honorem, & ſuffragiorū ſubſidium; pauperiorum miſeriæ, & in carceribus detentorum afflictioni per ſe, & per alios ſuccurrere; recta ignorantibus conſilia dare; in adminiſtratione ſacramētorum ſollicitos eſſe; animarum denique ſibi commiſſarum in omnibus, quæ poſſunt, ſaluti inuigilare, tamquam Deo, & nobis pro illis rationem reddituros; quod ſi negligentes fuerint pro certo habeant ſe à nobis grauitèr, & ſine vlla venia punitum iri.

7 Dominicis diebus ieiunia in hebdomada occurrētia populo denuncient, & feſtiuitates de præcepto ſeruādas, nec non excommunicatorum nomina, quorum etiā tabellam ad Eccleſiæ valuas, ſi quando opus eſt, exponāt, vt ab omnibus, ſicuti decet, vitentur; quos ſi per an-

num in excommunicatione perſeueraſſe ſciuerint ad nos deferant.

8 Edictum generale prima quadrageſimæ Dominica promulgandum curet; medicos bullæ Pij V. circa infirmos obſeruantiam admoneant, vt ſcilicet ne amplius eos viſitent, ſi infra triduum infirmitatis periculoſæ ſua peccata confeſſione ſacramentali nō purgauerint; de noſtra proximè futura viſitatione admoniti, ſtatim exequantur, quæ ſupra præſcripſimus, nec operæ pretium eſt hic repetere.

9 Cuiuſuis Eccleſiæ Rectores, Parochi, Curati, Cappellani, aut quouis alio nuncupentur nomine aduertant diligenter peruetuſtam noſtræ Diœceſis conſuetudinē ſeruari, vt nimirum in Salutatione Angelica, quam ante ſolis ortum dicimus *Pater noſter*, in meridie, *Mezzo giorno*; & ſerò *Aue Maria*, tum etiam in oratione pro defunctis, quam ad primam noctis horam fundimus, vt ſuarum Eccleſiarum Campanæ reſponſent ſignis dandis per campanam Maiorem Eccleſiæ Matricis; nullo autē modo illam præueniant, aliàs ipſi Rectores, ſeu Cappellani, & ſimul ij, qui eas campanas ante prædictum Matricis Eccleſiæ ſignum pulſauerint vnius aurei pœnam ſoluēnt ſachriſtæ maiori eiuſdem Matricis applicandi, cuius eſt in hoc inuigilare, & Vicario denunciare.

10 Caueant ne aliquid verbis, ſed ne quidem ſignis, aut nutibus expoſcant pro benedictione domorum die Sabbati Sancti facienda.

11 Die Pentecoſtes prohibeant omninò artificia, ſeu luſus igneos fieri in Eccleſijs; aut Columbas, vel alia animalia proijci: in veſperis Innocetum pueros Clericos ſacris veſtibus indui ne permittant, neque agere ridicula.

Laicis

12 Laicis tum viris, tum fœminis, præſertim verò cõiugatis Euchariſtiæ Sacramentum ne quotidie miniſtrẽt, eoſque ad cęleſte hoc cõuiuium ſere ſemel ſingulis hebdomadis accedere conuenientius eſſe doceãt, & adhortentur.

13 Vt in caſibus vrgentis neceſſitatis, quos ſæpiſſimè accidere ipſimet ſciunt, præſto ſint ad ſacramenta miniſtranda, tum etiam ad ſui, & ouium maiorem commoditatem, & tutamen Eccleſiæ, Parochi, ſeu Curati Cappellani propè Eccleſiam domicilium habeant; & Sacriſta in Eccleſiæ aliqua ędicula, ſeu illi proxima noctu cõmoretur.

14 Curam animarum habentes à ſua Parochiã abeſſe pluſquam quatuor, vel ſex dies ſine noſtra ſcripta licẽtia non audeant, aliàs perceptione fructuum carebunt ad noſtrum arbitrium; dum autem abſunt in ſui locum idoneas perſonas à nobis ad ſacramentorũ adminiſtrationem approbatas ſubſtituant.

DECRETVM VIGESIMVM SECVNDVM.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

Cap. I.

De Clericis, quos Alumnos vocant, de Conuictoribus, de Rectore, & Deputatis Seminarij.

1 RECta adoleſcentum inſtitutio, præſertim in Cathedralium Eccleſiarum Vrbibus adeò cordi fuit Concilio Tridentino, vt ea nihil antiquiùs habuiſſe videretur, & nihil magis magiſque Epiſcopis commendatum eſſe voluerit. Nos ergo illius Sāctionibus ad amuſſim obtemperare volentes, ſubſequentes regulas omninò ſeruandas formauimus.

2 Quatuor igitur viris prudentia, ac pietate probatis noſtri Seminarij prouincia demandetur, quorum aliqui ſint noſtræ Cathedralis Canonici, aut Dignitates; alij ex reliquo Clero, qui quidem omnes à nobis cum Capitulo eiuſdem Cathedralis de more eligendi erunt. Horum erit tam quæ ad temporalia ſeminarij bona, quam quæ ad adoleſcentium tùm in ſpiritu, tum in literis profectū attinent curare per quam diligenter, ſed præcipuè inuigilare num ſuum quiſque officialis munus, vt par eſt, obeat? num œconomiæ recta habeatur ratio? num Procurator omnem adhibeat conatum in exigendis redditibus, cenſibus, alijſque pecunijs ſeminario debitis? num cum ea, qua decet induſtria, & amore adoleſcentū quo ad victum, veſtitum, lectum, cubiculum, & alia quæ

opus

opus ſunt neceſſitati opportunè conſulatur?

3 Inueſtigare etiam debent de magiſtrorum ſolertia, de vnius cuiuſque progreſſibus, præſertim in ſtudijs grãmaticę, computi eccleſiaſtici, ſacramentorum frequẽtia, eaque vbi tempus erit adminiſtrandi eruditione, denique rituum, cæremoniarum, Cathechiſmi Romani, atque de his omnibus Epiſcopum ſemel in hebdomada certiorem reddere, vt bonos promouere, deſides verò corrigere, ac demum incorregibiles expellere à Seminarij domo valeat.

4 Ex his quatuor Deputatis alter erit Rector à nobis nominandus, qui intra eiuſdem Seminarij ſepta degere debet; cuius in primis eſt conſtitutionum, regularum, conſuetudinumque receptarum obſeruantiam in dies exigere, quod tunc facilè obtinebit, cùm Rector ipſe regulas ſuas obſeruare, cęteriſque facem prǽferre videbitur: atque vt ſępiùs repetitę audientium mentibus pęnitus inſideant, curabit vt per ſingulos menſes in menſa publica, vel Seminarij frequenti conuentu alta, & intelligibili voce perlegantur; quapropter eas materna lingua componi iuſſimus.

5 Non recipiantur in hoc Seminario niſi adoleſcentes pauperes, ætatis ſaltem annorum duodecim ex legitimo matrimonio nati, bona corporis valetudine, animique indole, quique ſcribere, ac grammaticę rudimẽta mediocriter, & competenter calleant; quorum præcipuè genium, & voluntas, ut Concilio Tridentino cauetur, ſpem afferat eccleſiaſticis miniſterijs fore vt illi iuuenes perpetuò inſeruiant. Pauperum quidem eligi pro Alumnis, vt vocant, ſed honeſtiores filios volumus, & tãtum ex diuerſis noſtrę diœceſis Ciuitatibus, & pagis; ita vt ſemper, & principalis cura habeatur earum Ciui-

tatum,

tatum, & oppidorum, quæ ſeminario ad hunc finem annuas eleemoſynas contribuerunt corogatas è Clero, vel de legatis, aut beneficijs illarũ ciuitatũ,& oppidorũ, ſeminario ob id aſſignatis ſeruata forma bullarum Summorum Pontificum, iuxta ea, quę infra dicentur.

6 Nec tamen ditiorum natos excludimus, modo ſuis alantur ſumptibus, eodemque conuictu, vnde conuictores dicti ſunt, & ſtudium prçſeferant Deo, & Eccleſię, aut Reipublicę benè inſeruiendi, atque ad regulas, & Seminarij normam vitam componendi.

7 Non admittantur, qui decimum ſeptimum annum excedunt.

8 Primo ſui in hoc Seminarium ingreſſus vitę totius ante actę quiſque generali cõfeſſione maculas eluat, panemque diuinum participet.

9 Singulis deinde menſibus bis, terue pœnitentię, atque ſanctiſſimę Euchariſtię ſacramenta frequenter, eoque vtatur ordinario Confeſſario, quem Epiſcopus adoleſcẽtibus Seminarij deputauerit; ſatiùs tamen eſt vt omnes ad ſacroſanctum conuiuium in Cathedrali Eccleſia accedant.

10 Qui in Alumnorum numerum coaptantur cautionem a ſuis parentibus initio pręſtent de alimentis Seminario reſtituendis, ſi fortè clericalem habitum, & ſtatũ dimiſerint 1: atque vt in eadem diſciplina eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, tonſura ſtatim, & habitu Clericali vtantur, quod nos hac conſtitutione gratis concedimus; nempe veſte talari, ac pallio ad eius longitudinem coloris violacei, & clericali bireto domi, foriſque.

1 Syn. Panor. Cardin. fol. 244.

11 Diebus Dominicis, feſtiſque ad Cathedralem Eccleſiam conueniant ſtatuta hora omnes ſimul bini, graui, modeſtoque greſſu incedendo, (quod ſem-

per

per vbi per Vrbis vias ire continget obſeruabunt, vt in ea diuinis aſſiſtant, & choro, reliquis verò diebus in Seminarij ſacello, vel apud Patres Societatis Ieſu miſſę interſint cuncti; conciones autem ex Rectoris Seminarij directione audiant, & quidem ex loco eis communiter aſſignato, à quo nemo abſque Prefecti licentia digrediatur.

12 Ad ſtudia toto animo incumbant, eaſque ſcholas adeant, & preceptores audiant apud PP. Societatis Ieſu, quos eiuſdem Collegij P. Rector iudicauerit in Domino pro maiori in literis noſtri Seminarij profectu aſſignare.

13 Omnem etiam conatum adhibeant domi, vt grāmaticæ, Humanarum litterarum, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſacræ, & moralis repetitiones proficuæ cuique pro ſua claſſe eueniant; item cantus firmi, computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam pulchrè calleant, ſacram præcipuè ſcripturam, libros eccleſiaſticos, atque ſacramentorum ritè, probeque adminiſtrandorum, ſed in primis, quæ ad pœnitentię forum videbuntur opportuna, rituum denique, ac cęremoniarum formas ediſcant; quapropter ſingulis Sabbatis Rectorē, aut vnum ex Deputatis nos certiores facere volumus de ſingulorum profectu in literis, & ſupra numeratis liberalibus artibus, vt commerito præmio dignos, pœnaq; indignos afficiamus.

14 Præmonemus autem hic omnes, & ſingulos huius Seminarij Alumnos quotannis, ineunte ſcilicet Septēbri per nos met ipſos, aut noſtrum Generalem Vicariū, & aliquos viros doctos recognoſcendos eſſe vtrum progreſſum in literis fecerint, eoſque pro vt in Domino videbitur, vel ſpeculatiuis ſcientijs erudiendos retinebi-

mus,

mus, vel caſuum conſcientiæ ſtudio addicemus, vel in examine reprobatos, (vtpotè nulla in eis maioris profectus ſpe elucente,) è ſeminario dimittemus.

15 Si quis è noſtro Seminario Alumnus ille ſit, ſeu Conuictor theſium publicam diſputationem, aut quoduis aliud ſcholaſticum exercitamentum publicè habere decernat, id nullo modo niſi præhabita noſtra, vel noſtri Vicarij generalis, & Rectoris ſeminarij licentia aggrediatur.

17 Vt in maturiori ætate iuuandis in Domino proximis, & ad Cœlum dirigendis aptiores inueniantur, volumus, vt rudimenta, & rationem habendarum ad populum concionum addiſcant, quare aliquoties per annũ publicè in refectorio, vel alibi, veluti in palæſtra præludentes ſacram conciunculam exerceant.

18 Ne quis autem ſumptus in Seminario ad noſtrarũ Eccleſiarum Alumnos, atque operarios ſuſtentandos à benefactoribus conſtitutos in alium finem, licet bonum detorqueat, vbi ſe religionem aliquam diuino, vel humano ſpiritu vocatum eſſe perſpicit, aut ad ſæculum regredi decernit, Rectorem Seminarij ſtatim certiorem faciat, cuius erit quantocyùs rem ad nos deferre.

19 Habeat Rector librum, in quo adoleſcentum nomina, ætatem, patriam, genus, ſtudia, atque ingreſſus, exituſque è Seminario diem, menſem, & annum referat, nec nõ paratas teneat computationes reddituum in certos codices digeſtas, & dati, expenſiq; ſingulis annis nobis exhibendas; indicem etiam prouentuum, bonorumque mobilium, ac ſtabilium, qui ſanè index quotannis conficiatur.

20 Sed præcipua Rectoris cura ſit vt bonis moribus, atque doctrinis adoleſcentum ſibi commiſſorum ætas inſti-

ſtituatur; quapropter diſcolos, incorrigibiles, morumque prauorum, & pernicioſarum doctrinarum ſeminatores ſeuerè puniat, atque vbi opus eſſe arbitratur, præhabita à nobis venia, eijciat, expellatque.

21 Statim ac è lecto mane ſurrexerint vnũ horæ quadrantem; feſtis verò diebus dimidiam horam ſacræ meditationi, orationique vacent; & poſt cœnam ſerò, quartam partem horæ conſcientiam examinent. Clerici B. Virginis officium quotidie recitent, niſi ad horas canonicas ſint adſtricti; ſed conuictores aut officium B. Virginis, vel ſaltem tertiam Roſarij partem ſingulis diebus recitent.

22 Ob corporis refectionem omnes ad refectorium commune conueniant, atque temperantiam, & modeſtiam obſeruent; adhibenda eſt benedictio, & gratiarũ actio in Romano Breuiario dictata. Inter comedendum vnus, ad quem eo die, vel hebdomada ex ordine in tabella cõſtituto ſpectat, librum aliquem pium è ſuggeſtu clara, & intelligibili voce legat ex Rectoris præſcripto; vt dum corpus reficitur, ſua quoque refectione animus perfruatur.

23 Suum quiſque lectum habeat, in quo ſolus cubare debet, menſamque vbi ſtudeat, nec alter ad alterius menſam accedere, ſeu libros, ſeu quoduis aliud petendi cauſa ſine prefecti facultate præſumat.

24 E Seminario egredi nonniſi omnibus coniunctim, & à Præfecto aſſociatis concedimus, præterquam in caſu vrgentis neceſſitatis, arbitrio Rectoris; extra Seminarium pernoctare nemini permittatur, niſi neceſſitas grauiſſima aliud Epiſcopo ſuadeat.

25 Apud ſe nec poculenta, nec eſculenta, neque pecunias retineant, ſed Rectori, aut Miniſtro ſeruanda

Nn tra-

tradant; qui non paruerint acriter puniantur, & pecuniæ pauperibus diſtribuantur.

26 Caueant omnes à iuramentis, imprecationibus, contumeſijs, mendacijs, ludiſque illicitis, ab omni denique re ſpeciem diſſolutionis, aut leuitatis præſeferẽte.

27 In omnibus, quæ non ſunt manifeſtè peccata, Rectori Seminarij, magiſtris, cubilique præfecto obtemperent ſine excuſationibus, & repugnantia.

28 In litterarum ſtudijs puram, rectamque Deo ſeruiendi habere nitantur intentionem; à Sanctis, ſed in primis ab immaculata Deipara, & ab Angelo tutelari opem identidem inuocent, ſuiſque bonis moribus, imitationeque virtutum exorare ſtudeant.

29 Orationis, & ſtudij tempore vbique ſilentium ſeruent, ſic etiam in ſcholis, refectorio, atque cubiculis; concedimus tamen vt à prandio, & à cœna per horam à ſtudijs vacent, & honeſtis inter ſe, atque pacificis collocutionibus, vel certè muſicæ operam nauent. Dato autem ſigno tacendi, omnes ſtatim obtemperent; ſic etiã ei, quo ad cubandum nocte, vel mane ad ſurgendum vocantur, nec ampliùs octo horis ſomnum capiant.

30 Quia blandè quidem, ſed nimis tenaciter, & miſerandum in modum corrumpi iuuentutis mores ab obſcœna librorum lectione experientia docuit, ne hęc peſtis noſtræ curę commiſſam adoleſcentiam irreparabiliter inficiat, ſeuerè iubemus omnes huius Seminarij incolas cauere à lectione cuiuſcumque libri, qui res laſciuas, aut parum honeſtas tractant, cuiuſmodi ſunt Arioſtus, Paſtorfidus, Petrarcha, Marinus, & ſimiles Poeſes, aut proſæ, imo nec apud ſe eos quamuis occultè retinere patimur, multoque minus ſtylum, aut latina, aut hetruſca lingua, ſeu ſoluta, ſeu metroligata oratione in

eiuſ-

eiuſmodi materijs inhoneſtis exercere; qui autem poſt primam admonitionem in idem relapſus eſſe probetur, ieiunijs, vel carceribus puniatur à Rectore, & vbi opus eſt è Seminario(noſtro tamen conſenſu)exterminetur, atque ne huius ſceleris quis partem, & pœnam in ſe deriuet ſi apud aliquem hos libros, aut ſcriptiones detineri aduertat ſine mora ad Rectorem deferat.

27 Ad bonorum Seminario applicatorũ rectam cõſeruationem, defenſionemque, archiuium in eo reſtaurari, ſeu confici mandamus, in quo ſcripturas prouentuum, & beneficiorum, quę ei contribuere tenentur diligenter conſeruari decernimus, cuius archiuij claues penes deputatos ipſos detineantur.

28 Et ne beneficiorum, eorumque bonorum, quæ Seminario ſunt obnoxia ob temporum, officialumque viciſſitudines memoria elabatur, priuilegium nullum prædictorum beneficiorum in poſterum expediri volumus, niſi à Seminarij Deputatis antea recognoſcatur. Deputati verò in ipſis priuilegijs, redditus, bona, eorũque confinia diſtinctè apponi, & ante viſionis ſignum in eis apponendum, expeditionis notam diem, nomẽque beneficialis continẽtem in libro ad id Deputato curabunt regiſtranda.

29 Cum retrouenditionem facere oportet redditũũ ad Seminarium ſpectantium, noui redditus ex ijs capitalibus non emantur, niſi cum interuentu eorum, qui in Vrbe deputati ſunt; in Dięceſi verò Vicarij loci quibus curę erit vt nouarum emptionum in libro Seminarij infra menſem diſtincta notitia relinquatur.

30 Prima cuiuſcumque menſis die Deputati præſente ipſo Rectore, Miniſtro, atque etiam Præfectis in æde eiuſdem Seminarij commodiore examinent Procurato-

ris, & expenſoris in datis, expenſis, atque acceptis; exactiſue rationes, vt ſi quid fraudis, vel erroris interceſſerit alicuius momenti nobis renuncient, & efficax ſuggerant remedium.

31 Decimo quoque anno Deputati ijdem confinia bonorum, beneficiorumque prædictorum literis Epiſcopalis Curiç ad id gratis concedendis renouare ſtudeant, & quolibet anno nouum mobilium inuentarium conficiant, curentque deperdita recuperari, deſtructaque reparari.

32 Pecunias Seminario aſſignatas penès eiuſdē Depoſitarium menſibus ſeptembris, & Martij perſolui facere, iuxtà taxam à nobis factam ad Vicarios foraneos attinet, aliàs de proprio poſt menſem, & quidem in negligentiæ pœnam ipſi Vicarij teneantur.

33 Nullo modo Rector patiatur circa regulas, & cōſuetudines, aliaque alicuius momenti aliquid innouari abſque expreſſa noſtra facultate; ſueque curæ demandatum, & conſcientiæ oneratum intelligat, vt bona Seminarij Stabilia, & mobilia rectè conſeruentur; ſuppellex autem vniuerſa, quæ pro tempore ſupereſt reponatur in cubiculo duabus obſerato clauibus, quarū vna ſit apud Rectorem, altera apud Miniſtrum, nec inde aliquid extrahatur, quin amborum & conſenſus, & præſentia interueniat.

34 Pecuniç omnes pœnes depoſitarium aſſeruentur, & non expendantur niſi ad mandatum per deputatos firmatum, & regiſtratum, vt moris eſt.

35 Poſt annum verò reddantur computa in Generali Deputatione, & de omnibus certior fiat Epiſcopus.

De-

Decretum taxæ pro Seminario facienda.

36 Pro ſubſtentatione Seminarij noſtræ Diœceſis, & pro inſtituendis, & alendis alumnis in Seminario deſtinatis Sacroſ. Conc. Trident.decretis. ſeſſ.23 .cap.8.inherendo, volumus quod ex omnibus fructibus tam menſæ Epiſcopalis, & Canonicatuum,quàm beneficiorum omnium,etiam exemptorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, Prioratuum cuiuſcumque ordinis,etiam regularis, hoſpitalium, itidem beneficiorum quorumcumque etiam regularium, & Iurispatronatus, vel quoquomodo exemptorum, & ex fabricis Eccleſiarum, & aliorum locorum, ac etiam ex quibuſcumque alijs eccleſiaſticis redditibus, ſeu prouentibus,etiam confraternitatũ, & aliorum ſoluatur taxa Seminario ad rationem granorum decem pro vncia,prout aliàs taxatum reperimus, & iuxtà pręſens præſcriptum locorum Vicarij teneantur infra quatuor menſes taxare, & loca, & Eccleſias,& perſonas, & huiuſmodi taxam Deputatis Seminarij tranſmittere, ac exigentiam eiuſmodi portionum curare iuxta diſpoſitum in ſynodalibus conſtitutionibus.

Cap. II.

De reliquis Seminarij Officialibus.

37 PRæter Rectorem, & Deputatos, de quibus diximus, alij quoque ad Seminarij bonum regimẽ requiruntur officiales, nimirum Miniſter, ſeu Procurator,quem volumus eſſe Sacerdotio initiatum, & probarę vitę, cui totius Seminarij cura domeſtica poſt Rectorem

in-

incumbit, & hunc adiuuare in exigenda ab adoleſcentibus regularum prȩſcriptarum obſeruantia, in qua nihil mutare, aut diſpenſare poteſt ſine Rectoris facultate.

38 Ea quȩ neceſſaria Seminario iudicabit, prȩſerti m quoad victũ, & veſtitũ Rectori, aut deputatis ſuggeret, & emptorẽ moneat, vt ſuis illa tẽporibus cõparet, quod ſi nihilominus notabiles defectus videat, ad nos referat.

39 Curet diligenter vt pro temporum varietate, iuxtà receptas conſuetudines Seminarij mutentur horȩ prandendi, cenandi, nocte dormitum eundi, ſcholas petendi, & reliqua exercitia domi obeundi. Inter quȩ prȩcipuam nauet operam vt ſtudio, repetitionibus, cantui ſermo, orationi vocali, & mentali, examini conſcientiȩ, & honeſtȩ ad animos hilarandos colloqutioni tempus impendatur iuxtà diſtributionem horarum, quam in tabella omnibus manifeſtam inſcribet.

40 Miniſtri etiam officium eſt ea, quȩ ad culinam, refectorium, penum, cellam vinariam, & aquariam benè, & ordine, & tempore opportuno parata ſint, & miniſtrẽtur; atque vt cubicula ſint munda, & decenter compoſita.

41 Eſt etiam Seminario neceſſarius vnus, aut plures Prȩfecti pro minori, vel maiori numero adoleſcentum, quorum cubiculis vnus ȩtate grandior, qui ſi ſacris ſit initiatus, aut proximè inaugurandus, erit quidem congruentior, morum maturitate, & honeſtate expertus; huius eſt curare, vt in ſuo cubiculo ſeruet quiſque adoleſcẽtum quȩ à nobis hic prȩſcripta ſunt, cȩteraque à Rectore, vel Miniſtro ad morum, ſtudiorumque obſeruãtiam ordinata fuerint.

42 E Seminario euntes, atque ad illud redeuntes qualibet de cauſa, vel ſimul incedant, vel vnum, aut aliquos

quos ex facultate Rectoris diuiſim ire oportuerit, ſemper conuictores, & alumnos comitari debet Pręfectus, & attendere num debita eant modeſtia, nec permittere cũ aliquo obuiam veniente colloqui; atque tum in prædictis, tũ in reliquis omnibus præſertim domi, aut in ſcholis, in Eccleſia, aut quouis loco ſi quos notauerit, vel ſciuerit defectus Rectori referat.

43 Procuratoris munus erit res tẽporales Seminarij ſuæ curæ commiſſas conſeruare tanquam bona propria Domini noſtri Ieſu Chriſti: diligentem ſe, & fidelem in eorum adminiſtratione vbique, & omni tempore præbere, prouentus quoſcumque redditus, cenſus, legata, hæreditates, pecunias alimentorum à Conuictoribus ſoluendas exigere, ac recipere; & depoſitario conſignare. Item bona ſtabilia curare; ſuis temporibus quo ad victum, veſtitum, & alia domui, ac officilia neceſſaria, & debita meliori conditione, qua inueniri poſſunt procurare; libros dati, & accepti promptos habere, vt ſingulis menſibus eorum rationes Rectori, & Deputatis reddere queat.

44 Nihil quo ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicuius momenti negotia iniuſſu Rectoris, & Deputatorum faciat; ſi quid autem ex ijs, quæ iubentur ipſi videretur non expedire, nos cõſulat.

45 Ianitor Seminarij, ſi fieri poteſt, ſit clericus, aut laicus bonis moribus, & prudens, quod etiam de coquo, cæteriſque famulis obſeruatum maximè volumus, quorũ nemo recipi, aut dimitti queat ſine licentia Rectoris. Iã verò huiuſmodi famulos admonemus, vt ſedulò, & modeſtè in id officium incumbant, quod eis à Rectore, & Miniſtro demandatum eſt, quorum nutibus ad vnguem ob-

obtemperent;cubicula conuictorum, aut alumnorum nullo prætextu ingrediantur ſine expreſſa facultate Rectoris, aut Miniſtri, nec ſe in eorũdem adoleſcentũ exercitia, aut negotia ingerant; nec eorum ad externos, aut exterorum ad illos mandata deferant, aut literas inſcio Rectore; nec acta, aut agenda domi externis referant, niſi id Rectori probari intelligant.

DECRETVM VIGESIMVM TERTIVM.

DE REGVLARIBVS, & Exemptis.

Cap. I.

Præmonentur Regulares de ijs, in quibus ſubduntur Ordinario.

1 IIdem Summi Pontifices, & Sacri Canones, qui regulares ab ordinariorum iuriſdictione in multis rebus liberarunt, illos ipſis Ordinarijs in alijs etiám non paucis ſubiectos eſſe decreuere.

2 Et primò quidem, circa ea, quę de confeſſionibus excipiendis, habendis concionibus, ſupplicationibus publicis ſuo ordine aſſiſtendo ſupra ſanciuimus obediẽtes eſſe debent. Debent quoque ſuis in Eccleſijs à nobis affixas cenſuras, cæteraſque præmonitiones acceptare, imò etiam publicare; dies feſtos apoſtolica, vel noſtra conſtitutione inſtitutos in hac diœceſi ſeruare, tueriq; vnde ſi renuerint eos cenſuris compellere poſſumus.

3 Noua ſine noſtra facultate cœnobia, vel Conuentus erigere nequeunt. Ad

4 Ad Monialium Monaſteria, vt ſcilicet Moniales ipſas alloquantur, vel puellas ſeculares, aut famulas ne accedant, neque etiam prætextu de quouis negotio cum ipſa Abbatiſſa ſermonem habendi: ſi ſecus fecerint, ſe in pœnas per bullas, & decreta Pōtificia taxatas ipſo facto incurriſſe intelligant. Vbi verò legitimam alloquendi monialem conſanguineam licentiam quater tantum in anno à nobis obtinuerint, formam apoſtolicis, & noſtris præſcriptam conſtitutionibus omninò ſeruent.

5 Sepulchra ſupra terram ſita demoliantur iuxtà Pij V. Summi Pontificis conſtitutionem.

6 In hebdamadæ maioris Sabbato ante Matricis ſignum ſua æra campana ne pulſent, ſed illius dato ſigno, ſuis quoque conſonent; alioquin interdicti pœnæ ſubiacebunt, ac per Leonem X. impoſitam 1 mulctam perſoluent.

1 in Conc. Lateran.

7 Sacrum infirmorum oleum non aliunde, quam à Cathedrali petant, vel ab Eccleſia maiori extra Vrbem.

8 Problemata publicè diſputanda niſi ab Epiſcopo approbata ne exponant.

9 Ex decreto Sacrę Congregationis ritus nulli regularium licet defunctorum cadauera efferre niſi prçſens ſit proprius defuncti Parochus, aut is, qui locum Parochi ſubſtinet; neque fas eſt regularibus præſente Parocho in eiuſdem defuncti domo, vel in via cadauer aqua benedicta aſpergere, nec ante Eccleſię, in qua ſepeliēdum eſt, ianuam ſolitas intonare precationes licet, poterunt tamen hæc aliaque omnia pia, & funebria officia prçſtare poſt vbi in Eccleſiam cadauer illatum fuerit.

10 Proceſſiones extra ſua 2 clauſtra nullo modo abſque noſtro conſenſu faciant, neque in ſuis Eccleſijs in Sanctiſſimi Corporis Chriſti feſtiuitate proceſſionem facere,

2 Sac. Cōg. Rituum 19. Maij 1614. & 16 Febr. 1618.

cere; aut ſolemnia celebrare debent; eius enim diei celebritas ſolis Eccleſijs Maioribus conceditur.

11. Infantes ſacro fonte in propria, aut aliena Eccleſia ne abluant ſine à nobis obtenta venia.

12. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis Reſurrectionis nullo modo fidelibus miniſtrēt; nec in priuatis Laicorum Oratorijs, ſi à nobis approbata non ſint; nec in Eccleſijs monialium ſine noſtra expreſſa licentia, aut Vicarij Generalis, vel foranei ſacrificare audeant.

13. Sciant ex Sanctæ Sedis Apoſtolicæ declaratione, atque Sacrarum Congregationum deciſionibus nemini regularium licere à caſibus, quorum abſolutionem Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, cuiuſuis priuilegij authoritate quemquam ex noſtris ſubditis abſoluere, niſi Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi beneficio, aut obtenta à nobis ad id ſpeciali facultate.

14. Quod de vagis, & incognitis Præsbyteris ad celebrandum ſine noſtra facultate non admittendis iuſſimus, idem regularibus ex eodem Trid. Concilio ſeruādum eſſe intelligant.

15. Illud quoque noſſe oportet, quod quicumque regularis, licet iuſtis de cauſis, & ex ſuorum Superiorū licentia vitam extra clauſtra degat, ſi quid religioſo viro minus dignum, & ſcandaloſum commiſerit ab Ordinario loci tanquam Sedis Apoſtolicę delegato ſit puniendus; ſimiliter ſi à proprio conuentu, monaſterio, vel domo recedat, etiam prætextu ſuos maiores ſuperiores adeundi abſque tamen eorumdem ſuorum ſuperiorum mādato ſcriptis expreſſo, tanquam ſui inſtituti deſertor iniquus à nobis eiuſdem Tridēn. virtute 1 plectetur; multoque magis ſi ſine ordinis ſui habitu inuenietur. Imo in-

1 ſeſſ. 25. c. 4. de reg.

cos

eos,qui intra ſua Clauſtra degunt, & extra illa ita notoriè delinquunt vt populo ſcandalo ſint,iuxtà Sacri Concilij decreta,& Clementis VIII conſtitutionẽ erit à nobis tanquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ ſeuerè animaduertendum.

16 Præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ eiuſmodi regularibus extra ſua clauſtra cuiuſuis negotij occaſione viuentibus, vt poſt menſtruam ſic degendi vitam,nobis cauſam exponant, vt quod rectum coram Deo videbitur decernamus, alioquin in eos tanquam in apoſtatas procedetur.

17 Quemadmodum nos iuſſis Summorum Pontificũ præſertim Gregorij XIII. & XV. obtemperantes præſenti Synodo Iudices Synodales ijs abſolutos numeris, quos ſacri requirunt Canones, elegimus, ſic ad regulares attinet ſuos ex his tantum Iudicibus deligere conſeruatores, & noſtræ Curiæ Epiſcopali notificare intra mẽſem; aliàs in pœnas incident, quas præfati Pontifices conſtituere.

18 Sine Parochi, aut eius Cappellani Curati, ad quẽ ſpectat,non audeant regulares ſęcularium domos aqua luſtrali benedicere,nec retibus, cymbis, nauibus,& nauticis inſtrumentis, vel campis ſolemnem impertiri benedictionem 1 ſine noſtra licentia.

19 Ad euitandas populi offenſiones,regulares, qui eleemosynas oſtiatim quæritant,laycorum, ac præcipuè mulierum domos non ingrediantur; ſed qua decet modeſtia in omnium conſpectu, atque foris illas oblatas accipiant. Si autem extra regionem, in qua eorum monaſterium, vel conuentus eſt,contigerit eleemoſynas quęrere, ſuperiorum ſuorum ad id mandatum, vel facultatem noſtro Vicario Generali in Vrbe, in Diœceſi verò

1 Syn Pan. Can f 255. ex ſac. cõg.

Vicario foraneo exhibeant.

20 Regularium Conuentus, Monaſteria, ſeu domus, poſt conſtitutionem Vrbani VIII. erecta, in quibus duodecim ſaltem regulares ſubſtentari nequeunt, noſtræ viſitationi, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubijciantur, iuxta decretum prædicti Pontificis 1.

1 de celebr. Miſſar.

21 Nulla prorſus renunciatio, vel obligatio facta tẽpore nouitiatus tenet, niſi fuerit intra duos menſes proximos ante profeſſionem, qua ſecuta ſortiri tantum poteſt effectum; nolentibus autem nouitijs profiteri, ſi quid religioni tradiderunt, reſtituatur; aliàs cenſuris per nos cõpellentur eorum Superiores.

22 Regulares ob leuem Clerici ſęcularis percuſſionẽ à nobis obtinere poſſunt abſolutionem.

23 Controuerſias inter regulares de pręcedentia in proceſſionibus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, ad nos attinet componere, & quidem ſummariè, atque ſine ſtrepitu, iudicijque ordine.

24 Nequeũt regulares in proprijs Eccleſijs, aut Oratorijs Sanctiſſimam Euchariſtiam 2 exponere abſque eo quod Epiſcopus cauſam approbet, quæ ſanè publica non verò priuata eſſe debet; pro cauſa autem priuata ſufficiet ſacram pixidem velatam in oſtiolo tabernaculi cum ſuis luminibus adorandam, rogandamque aliquãdiù reponere.

2 Sac. Cõg vide Synod. Pan. Card. fol. 262.

25 Meminerint quicumque regulares ſint, per nos in eos, cęteroſque quoquomodo exemptos rigorosè animaduerti poſſe, ſi conſtitutionem Pauli V. & Gregorij XV. atque Alexandri VII. de Immaculata Conceptione Deiparæ tranſgredi reperiantur.

26 In indulgentiarum publicatione, & impreſſione librorum nobis ex Trid. conſtitutione, quicumque regula-

gulares, aut exempti ſubiecti ſunt; ſic etiam in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum.

27 Monaſteria commendata, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſeruantia, beneficia quoque tàm curata, quã non curata, ſecularia, & regularia quomodocumque cõmendata, etiam exempta viſitare ſingulis annis poſſumus, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, & conſuetudinibus, quibus Trid. Synodus derogauit 1.

28 In publicis proceſſionibus regularibus omnibus etiam exemptis prohibitum eſſe nouerint deferre ſuas Cruces ſine velo, ſeu pallio appenſo, quod ſoli Clero, & Capitulo Cathedralis, collegiatarumque, nec non Parochialibus Eccleſijs permiſſum eſt 2.

29 Cunctos cuiuſque ordinis religioſos præmonemus, quod ſi quando occurret iuſta, & per Canones ſacros nobis permiſſa cauſa viſitandi eorum domos, nullo pacto renuant, & reſiſtant, ſecus nobis oſtia frangere, atque vim vi repellere etiam vocato ad id brachij ſecularis auxilio 3.

1 Leo in cõſtit. 22. dum intra. Pius V. in conſt. expoſcit 22. Septem. 1571. Greg. XIV. in cõſtitut. edita vlti. April. 1591.

2 Sac. Cõg. rit. 14. Ian. 1617.

30 Abſque Summi Pontificis aſſenſu, aut ſaltem noſtro in ſcriptis conſignato nequeunt regulares, neque intra ſua Clauſtra confraternitates, aut ſodalitia laicorũ, vel Clericorum ſæcularium fundare; id enim per Clementem VIII. expreſsè prohibitum eſt; ſi quæ autem erecta ſunt, aut in poſterum erunt erigenda, illarum regularum approbatio, & moderatio ad nos attinet, illaſque viſitationi noſtræ ſubiectas eſſe non ſemel ſacra Cõgregatio declarauit 4.

3 Cap. dilecto de ſent. excom. in 6.

4 Vide Syn. Pan. Card. fol. 272.

31 Exempti quicumque ſi officialibus noſtræ Epiſcopalis Curiæ iniuriam irrogent in actu exercendi ſuum officium, aut noſtram iuriſdictionẽ impediant, quamuis

eſſent

eſſent milites Sancti Ioannis Hieroſolymitani à nobis coerceri, & puniri debent.

32 Denique exemptionem à noſtra iuriſdictione non habere Prothonotarios honorarios, alioſque in Triden. Synodo nominatos hac noſtra Synodali ſanctione declaramus.

Cap. II.

De Regularibus quo ad Moniales.

33 CLauſuram monialium etiam ipſis regularibus ſubiectarum noſtræ curæ eſt viſitare, atque tueri iuxta Sacræ Trid. 1 Synodi conſtitutionem; quin imò ſi regulares ipſi circa perſonas intra ſua monaſteria degentes, aut circa clauſuram, vel adminiſtrationem bonorum monaſteriorum quoquomodo delinquant, etiam ſi eiuſmodi crimina notoria non ſint, neque cum populi ſcandalo, à nobis nihilominus puniri poſſe intelligant.

1 Sac. Cōg. Epiſc. 24. Nou. 1617.

34 Nemo niſi à nobis ad id ſpecialiter, atque etiam pro tali monaſterio approbatus Confeſſarius ſiue regularis ille ſit, ſiue ſęcularis ad monialium ipſiſmet regularibus ſubiectarum confeſſiones excipiendas deputari poteſt: Inobedientes de nullitate eiuſmodi abſolutionū ſeriò cogitent, & à noſtra auctoritate exemplarem expectent mulctam.

35 Bonorum ſanctimonialium, ipſis quoque regularibus ſubiectarum, adminiſtratores ſingulis annis parati ſint nobis, vel cui id demandauerimus introitus, & exitus rationem reddere, præſentibus quidem eiſdem, ad quos ſpectat, ſuperioribus regularibus, qui certè vbi ſibi admodum difficile euenit, nos ſecretò præmoneant, vt

Con-

Confeſſarios monialium prędictarum, procuratores, adminiſtratoreſue ineptos, aut prauos amoueamus; in quo ſi negligentes, aut inobedientes perſpexerimus ſuperiores nos auctoritate, qua fungimur, huiuſmodi officiales quoties, & quomodo opus eſſe in Domino exiſtimabimus, remouebimus; ſciantque nos huiuſmodi iuſtas cauſas ipſis regularibus ſuperioribus ſignificare nullatenus teneri 1.

1 Panorm. Syn. Card. fol. 165. & Sac. Congr. ſuper conſt. in ſcructabili

36 Electioni Abbatiſſarum; ſeu Prępectarum ipſis regularibus ſubiectarum quocumque nomine appellentur debemus nos, aut quem nos deputabimus intereſſe, vnde ſuperiores regularium, ad quos ſpectat tenentur nos opportunè præmonere de electionis die, & ad præfinitũ vſque tempus noſtri, aut deputati aduentum expectare, aliàs in ipſos, vt par eſt, & Sacra Congregatio mandat, animaduertemus.

37. Si regularis abſque legitima licentia ad monaſteria monialium licet exēptarum accedat, & in loco colloquijs deſtinato cũ illis colloquatur à nobis erit pro qualitate delicti caſtigandus; prædicta autem licentia alloquendi moniales regularibus ſubiectas à nobis, vel à noſtro Vicario Generali, atque à regulari ſuperiore, ad quem de more ſpectat coniunctim concedenda erit, ita vt noſtra, vel Vicarij Generalis ſubſcriptio primum locum obtineat: Idem ſeruetur quo ad licentias eorum, quibus intra monaſteria eiſdē ſubiecta regularibus, opus eſt intrare.

38 Pontificijs iuſſis, vt par eſt, ad amuſſim obediētes, edicto ſpeciali ſtatim ac huius Eccleſiæ regimen accepimus cauere ſtuduimus decreti Vrbani VIII. perdiligentem obſeruantiam circa acceſſum Regularium ad colloquendum cum Monialibus, quod etiam; atque etiam

præ-

præſenti Synodali conſtitutione roboramus, minantes tranſgreſſoribus præter pœnas in dicta conſtitutione taxatas, & lętalem culpam quam incurrent 1, carceres publicas, poſtea ad eorum ſuperiores remittemus, vt iuxtà Sacri Conc. Trid. ſanctionem puniant, & intra tempus à nobis præfigendum illos voce actiua, & paſſiua priuatos declarent, noſque de priuatione certiores reddant; aliàs à nobis plectendos fore patientur.

1 Sac. Cōg. 1. Iul. 1608.

39 Edicta, quibus perſonis ſecularibus ad quæcumque monialium monaſteria etiam regularium acceſſus vetatur à nobis dumtaxat ſubſcribenda, & publicanda ſunt.

DECRETVM VIGESIMVM QVARTVM.

DE EREMITIS TVM CLERICIS, tum Sæcularibus.

1 A Diuerſis diuerſa noſtrę Diœceſis loca multos iam annos Eremitarum more incoluntur; quorum aliqui ſeiunctas, remotaſque inter ſe ædes habent, quales ſunt ij, qui in monte, vt appellant, Roſmano, Iudica, Scarpello, Sancti Iacobi, & in Catanenſi Campo, quem dicunt, la Meccha degunt; alij verò vnũ, idemque habitant monaſterium, cuiuſmodi eſt ab oppido Caropipi, ſeu Valguarnera non longè diſtans.

2 Norint autem hi omnes noſtræ, & Vicariorum foraneorum, in quorum erēmus eſt territorio, omnimodę iuriſdictioni, & viſitationi ſubiacere. Quapropter electionem eorum Cappellanorum, Confeſſariorum, nec non ſuperiorum fieri quidem concedimus per vota ſecre-

ſecreta omnium Eremi illius incolarum, qui annum nouitiatus expleuerunt, & vt moris eſt ad plura medietate ſuffragia, verumtamen niſi à nobis, vel à Vicario Generali confirmetur, nulla eſt, irritaque.

3 Quando quis in eorum numerum admittendus, aut ab eodem dimittendus eſt, id fiat per vota ſecreta medietatem excedentia ſuffragiorum, & non niſi obtenta à nobis, vel à Vicario foraneo facultate.

4 Ne autem in deſertis vitam agentes à noſtra paſtorali cura videantur deſerti, ſuum cuique eremo ex Capitulo Cathedralis, vel Collegiatę Catanenſis Deputatū conſtituemus; cuius intererit aduertere, atque ſedulò curare vt hi Deo vacent, Sanctorum Anacoretarum veſtigia, quoad fieri poteſt, proprios ſectantes, & vetus, ſanctumque inſtitutum accuratè obſeruent; vt opera manualia, vinearum, ſegetum, camporumque culturam exerceant, non vt ex rebus venditis in ſuam poteſtatem pecunias redigant, & in corbonā mittant, ſed vt otium malorum fœcundam radicem euitent, & vt ſibi ad victū, & veſtitum Eremitis conuenientem, quæ opus ſunt, proprijs ſubminiſtrent manibus, & in ſudore vultus pane veſcantur; id circò quod ſupereſt pauperibus, infirmis, & Eccleſiæ cultui impendere æquo animo debent, expectantes à Domino Ieſu Chriſto in nouiſſima dierum retributionem.

5 Pacem inter ſe, & mutuam dilectionem aſſiduè ſeruent, & ſi fortè quid dubij, & altercationis habeant, Deputato deferant, vel ſcribant, ſic etiam ſi quid auxilij, conſilij, patrocinij pro Eremi recta gubernatione opus eſſet, ad eumdem recurrant, vt nobiſcum re maturè diſcuſſa, quod magis in Domino expedierit, decernamus.

6 Quia verò inter eiuſmodi Eremos, quæ à Catanē-

ſibus mœnijs non longè diſſita nuncupatur *la Meccha*; potiſſimum obtinet locum, vtpotè cuius Clerici tantum ſunt, & plerique Sacerdotes incolæ, iuuat de his præter ſupradicta, quæ omnes tenentur obſeruare, etiam ſpecialiter addere.

7 In primis; qui ad hanc ſanctam ſolitudinem admitti poſtulat, quatuor minimum menſes primæ probationis, ſeu, vt aiunt, perſeuerantiæ, impendere debet, ſingulis videlicet feſtis diebus cum ea, qua par eſt, modeſtia, & animi ſubmiſſione Eccleſiæ Eremi inſeruire, cum ſuperiore colloqui, alijſque ius ſuffragij habentibus, quibus ſuæ vocationis motiua exponat; prædictis autem quatuor perſeuerantiæ menſibus elapſis, facto per vota ſecreta ſcrutinio ad plura medietate ſuffragia admiſſus, annum nouitiatus incipiat, quem dum peragit, ad nullum officium concurrere poteſt.

8 Neminem verò ab Eremo dimittant niſi obtenta prius à nobis facultate, qui non niſi iuſtis de cauſis, & re maturè in Domino perpenſa, atque audita parte, & ad plura ſuffragia per ſcrutinium ſecretum id fieri permittemus.

9 Si quem verò ſuæ vocationis pœniteat, aut ob infirmitatem, aliudue legitimum impedimentum hunc locum relinquere vult, ne id exequatur, ante quàm à nobis licentiam impetret, ſub pœna carcerationis ad noſtrum arbitratum.

10 Superioris officium vltra annum ne protrahatur ſine noſtra licentia, quam rarò & in caſu extremæ neceſſitatis dabimus, & ſanè nonniſi data priùs in fine cuiuſque anni introitus, expenſarumque ratione, & computis.

11 In electione Superioris eo principaliter animum in-

intendant vt præſit, qui ad maiorem Dei gloriam, & ad Eremũ in ſpiritu, atque regularum obſeruantia profectũ magis conferre in Domino iudicabunt, quique eius bona temporalia rectè adminiſtrare, atque promouere poſſit; ideoque grauiter puniemus ſi quem ambitioſum eſſe reſciemus, qui vt ipſe, aut alius indignus eligatur, & excludatur idoneus curat.

12 Superior totus ſit in inſtituti obſeruantia modis omnibus curanda; idcircò alia officia, nempè Procuratoris, Depoſitarij, &c. alijs idoneis demandet. Domos collabentes vt primum poteſt reparandas, & ad Eremi emolumentum terram colendam curet; nemini autem pluſquam vnam domum tenere liceat.

13 Vt Miſſarum obligationibus diligenter, & quotidie ſatisfiat, earumque ratio habeatur; vltima ſingulorum menſium die capitulariter omnes congregentur, & videant ſi quid in hac re tanti momenti peccatum eſt, ſtatimque ſuperior Deputatum monitum faciat, vt & negligentes condignè puniat, & debitam Miſſarum celebrationem exigat, vel nos conſulat.

DECRETVM VIGESIMVM QVINTVM.

DE BENEFICIARIIS.

1 Beneficia Eccleſiaſtica ad Dei, eiuſque Eccleſiæ famulatum, Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, & pauperum ſubſidium inſtituta ſunt; non niſi Clericis idoneis, atque per Sacros Canones, præſertim Sanctam Tridentinam Synodum præſcriptas conditiones habentibus conferri debent; quod ſi prima tonſura, aut mino-

ribus ordinibus initiatus matrimonium init, ipſo iure illud amittere declaramus, & quatenùs opus ſit, decernimus; ſicut etiam inualidam declaramus beneficij collationem factam pœnitus illiterato.

2 Sciant omnes ea conditione à nobis concedi iura patronatus Cappellarum, vt in illis altaria erigantur; aliàs conceſſiones quaſcumque irritas eſſe decernimus.

3 Maximopere caueant qui beneficia præſentandi ius obtinent patronatus, ne futuras beneficiorum ſucceſſiones alicui concedant; id enim eis à Sacris Canonibus ſub grauiſſimis pœnis interdicitur 1; monemus autem huiuſmodi patronos quoſcumque vt idoneas præſẽtent perſonas, alioqui eas repellemus.

1 c. 2 fin. de cõceſ. Præb. Trid. ſeſſ. 25 c. 7.

4 Non ſemel beneficiorum in noſtra diœceſi magnã diminutionem, imò etiam iacturam factam eſſe aduertimus, cauſamque diligenter inueſtigantes, fuiſſe facilè perſpeximus, quia nonnullorum patroni pœnitus ignoti poſteris diſceſſerunt è vita, aut quia ipſimet Beneficiales ſcripturas neceſſarias, & priuilegia habere neglexerunt, vel habita ſeruare, & ſucceſſoribus relinquere per ſummam iniuriam omiſerunt; aut denique quia fructuum tenuitas, exactionis difficultas, onerumque grauamen tantum eſt, vt ad ea beneficia obtinenda animum nemo adiecerit. Id circò vt negotio in Eccleſia Dei præcipuo opportunum, exoptatumque ab omnibus remedium præſtemus, hac Synodali conſtitutione decernimus, vt quiſque beneficium Eccleſiaſticum obtinens, ſi in ipſa Synodo, vt iuſſimus, id non fecit, ſpatio quatuor menſium à præſentis decreti publicatione nobis, vel noſtro Vicario Generali trãſmittendas curet ſcripturas, ſeu publica inſtrumenta, & priuilegium, quibus liquidò, diſtinctèque conſtet de legitimo præſentante, inſtituente, &

poſ-

poſſidente, de vltima cauſa vacationis, & de immediato prædeceſſore; item quo die, menſe, anno vacauerit, & præſentatum fuerit, atque collatum; quo loco fundatũ, ſuper quibus bonis, quibus confinijs nunc bona illa ſtabilia terminentur; qui ſint vt plurimum annui prouentus, quæ onera à beneficiato ſubeunda, quibus in Eccleſijs, quo altari, & die, & quot celebrare miſſas beneficiarius teneatur? Porrò prædictas ſcripturas in Archiuio ſeruari quantocyùs mandabit Vicarius, vt futuro, perpetuoque tempore appareant, & omnium noſtræ Diœceſis beneficiorum in Epiſcopali Curia certa notitia, & ratio habeatur; & fundatorum animæ debitis ſuffragijs non defraudentur.

DECRETVM VIGESIMVM SEXTVM.

DE VITA, HONESTATE, ET Habitu Clericorum.

1 QVę ad Clericorum morum reformationem pertinent, ita nobis commendata voluit Sacrum Concilium Tridentinum 1, vt neglectæ emendationis Deo vindice pœnas Epiſcopos perſoluturos formidabili comminatione denunciet; & Clericis ipſis maiores ijs, quæ à Summis Pontificibus, & Sacris Concilijs ſancitæ fuerunt, pęnas ab Epiſcopis poſſe ad arbitrium imponi concedat; imò nec ab appellatione qualibet hanc exequutionem, quæ ad morum correctionem attinet, ſuſpẽdi poſſe declaret.

1 ſeſſ. 22. c. 1.

2 Et iure quidem optimo, quia, vt ijſdem prorſus Concilij verbis vtamur, quę ſine graui piaculo omittere ne-

nequimus, nihil eſt quod aliàs magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt, cum enim à rebus ſęculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eo tamquam ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex eiſque ſumunt, quod imitentur; quapropter ſic decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque omnibus rebus nil, niſi graue, moderatum, ac religione plenum pręſeferant; leuia etiam delicta, quę in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cūctis afferant venerationem.

3 Hęc cum ita ſint quę aliàs à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs pręſertim Tridentino de Clericorū vita, honeſtate, habitu, cultu, doctrina retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, chorçis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſęcularibus negotijs fugiendis copiosè, ac ſalubritèr ſancita ſunt, nos libenter amplectentes, confirmanteſque præter ea, quæ ad hunc eumdem finem ſparſim in tota noſtra Synodo diximus, hæc quoque ad vnguem obſeruanda decernimus,

4 Præcipimus igitur omnibus, qui Clericalem profitentur ſtatum, quique beneficium, licet 1 ſimplex, obtinent, vt in habitu decente incedant; ad hanc autem habitus formam requirimus omninò externam veſtem, & pallium nigri coloris, niſi aliud requirat dignitatis gradus, ſimpliciter compoſita, & ad talos demiſſa; quod ſi lanea, erunt quidem modeſtiora, at ſi ſerica, plana illa ſint, non multa arte elaborata, non ex holoſerico villoſo, aut opere damaſceno, quæ *Vellutum*, *&* *Damaſcū* vulgò appellant, ex quibus nec ſolas manicas gerere fas eſt.

1 Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 6. & ſeſſ. 24. c. 6.

eſt. Clauatis verò lacernis, quas dicimus *Zimarras*, ij tantum vtantur, qui ob dignitatem, qua funguntur hactenus habere conſueuerunt.

5 Pallium tum colore, & longitudine, tum modeſtia, & grauitate thalari veſti ſimile prorſus debet eſſe, & æquale.

6 Galeri modeſtiori forma, quam ſit illa laicorum, vtantur ad arcendas temporum iniurias, ſed in Choro, & dum Eccleſiaſticis interſunt muneribus, ac proceſſionibus, ſeu exequijs biretum adhibeant, numquam verò pileum.

7 Caligæ, vt vulgò *calzette* omninò nigræ ſint, vel eius coloris, qui ad nigrum vergat, & habitus exterioris compoſitioni congruentes; Calcei quoque nigri ſint, & eorum corrigiæ concolores, atque ſimplices amota omni phalerum, ſeu ſericarum roſarum luxuria; quicũque in aliquo prędictorum inobediens, aut negligens fuerit pręter pœnas arbitrarias, priuilegijs incedentibus in habitu conceſſis ad annum priuabitur.

8 Clericos publicè veſtibus laicalibus incedere nullo modo decet, nec patiantur Vicarij, quod ſi iter facere debent, contractiore habitu, & grauibus Eccleſiaſticis dum ruſticantur conſueto vti non denegetur.

9 Manicas ne vſurpent apertas, & quæ interulam, vt vulgò dicitur *Camiſiam* oſtentent. Linea collariola, quibus collum ornatur, & pulſus, ſint parua, & ſimplicia, nec vnquam à Clericis ob luctus occaſionem deponantur.

10 Vanas manibus non adhibeant pelles, quas *inguantas* nominant, nec annulos gemmis micantes, quod ſi fortè officium, aut dignitatis gradus annulum requirat, vnicus is eſto, & decens; quo tamen rem diuinã in alta-

altari facientes, vti non debent.

11 Summè indecens ſemper viſum eſt, pręſertim in noſtra Diœceſi, & communi noſtrorum prędeceſſorum ſuffragio prohibitum Presbyteris comam, aut cincinnos, aut barbam ſtudioſiùs, & ſęcularium hominum more nutrire, idem nos interdicimus ſub pœna ſuſpenſionis à Sacrificio Miſſę; Clerico autem ſi ſit ętate grandior carceratio, ſi minor arbitraria ſit pœna; omnibus tamen vſque dum obediant interdicimus gabellarum, vt aiunt *franchitijs*.

12 Non ideo tamen laude dignos eos exiſtimamus, qui capillos, aut barbam incultam deferunt, ſed valdè repræhendendos, qui *muſtaces*, vt aiunt, ita exuberantes habent, & inconditos, vt à pilis in Calicis ſumptione impediantur.

13 Denique nec veſtitus ſordidus, vel contemptibilis, nec exquiſitus, aut ad vanitatis ſpeciem factus noſtris Clericis permittatur, in quo noſtrorum Vicariorum cōſcientiam oneramus, mandamuſque vt modis omnibus exteriorem hanc modeſtiam, quæ interioris eſt ſignum, in ſuis ſubditis curent, & probent in inceſſu, & habitu, atque tonſura.

14 Quod ſi quis in prædictorum omnium aliquo deliquerit quinque ſcutorum pœnam incurrat, præter carceris, aliaſque pœnas ſupra taxatas, & arbitrio noſtro infligendas.

15 Non habitum modo, ſed etiam tonſuram ſemper habere debet Clericus; ad hanc autem tonſuram requirimus vt in capitis vertice ita capilli ſint abraſi, vt clericalis corona proprio conueniens ordini, minor ſcilicet pro minoribus, maior pro ſacris ordinibus conſpicua ſemper ſit; qui neglexerit tarenis decem mulctetur, ex

qui-

quibus duo deferenti cedant, reliqui ad pias cauſas applicentur.

16 Nemini ſacris inaugurato liceat extra ſuam domum prodire ſine interiori talàri tunica, aut cum hac ſine pallio. Clerici autem minores propriæ viciniæ fines ne traſgrediantur ſine prædicta tunica.

17 Clerici ab ingreſſu in tabernas edendi, bibendiue cauſa penitus abſtineant, niſi id peregrinationis neceſſitate compulſi facerent; neque in nuptiarum congreſſibus ſaltent, ſonent, aut cantent; ſed ſi eis iuſta de cauſa intereſſe contingat, prandeant, aut ſedeant cum ea, qua par eſt, grauitate, & moderatione, vt alijs tunc potiùs ſint ad modeſtiam incitamento, quam ſcandalo.

18 Perſonatus, ſeu vt aiunt *maſcheratus*, per vias nullo vnquam tempore Clericus incedat, neque bacchanalibus diebus ſcurrile quid extra ſuam domum geſtet, faciat, aut induat ſub pœna vnciarum quatuor. Clamoſis venationibus nec ſemel operam nauet, neque apud ſe venaticos canes alat. Quod ſi in aliquo antedictorum deliquiſſe inueniatur, ſupplicium in arbitrio noſtro poſitum eſſe ſciat, & quidem nos his in rebus omni rigore proceſſuros iuxtà ſacrorum Canonum, præcipuè Tridentinæ Synodi præſcriptum.

19 In ſuis negotijs forenſibus Clerici ad tribunal ſæculare confugere non audeant, multoquè minus tanquã aliorum procuratores, vel vt teſtimonium dent, aut fidei iuſſionem præſtent, ſine noſtra in Vrbe licentia, aut in Diœceſi ſine licentia Vicarij foranei, quam Vicarij foranei non dent niſi in caſu neceſſitatis, idque nobis quam primum ipſi Vicarij ſignificatum velint; cæterum vniuerſos præmonemus numquam nos procurationes vllas, præſertim verò ad lites, exercere cuiquam Clerico-

rum ad longum tempus eſſe permiſſuros.

20 Officium aduocati, aut tabellionis, ſeu notarij, aut aromatarij, multoque minus medici, niſi in caſibus à iure permiſſis,& venia à nobis obtenta in ſcriptis,exercere nullus Clericus audeat, aliàs vncijs decem hoſpitali ſoluendis mulctetur, & carceribus ad arbitratum addicatur.

1 Trid. ſeſſ. 22. d. refor. c. 16. 21 Mercaturas 1, ſeu quæſtuoſas negotiationes per ſe exercere Clerico prohibent Sacri Canones,& nos nec eas cognatorum, aut cuiuſuis alterius nomine exerceri à Clerico permittimus; vnde inobedientes,præter à iure impoſitas, decem vnciarum pœnam incurrent, quod ſi iterum deliquerint vncijs viginti mulctabuntur; ſi verò nec poſtea reſipuerint, grauioribus etiam *Epiſcopi* arbitratu punientur.

2 Trid. ſeſſ. 23. c. 6. 22 Meminerint omnes Clericalem ſtatum profitentes fori priuilegio 2 non gaudere, niſi habitum, & tonſuram clericalem deferant, atque etiam alicui Eccleſiæ modò, quo ſupra declarauimus, ex noſtro mandato inſeruiant. Excipimus tamen ab hoc Eccleſiæ ſeruitio eos, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, vel ſeminario Clericorum adnumerati ſunt, aut in aliqua ſchola, & vniuerſitate de noſtra licentia,quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſentur.

23 Præter gladiolos, qui ad vitæ vſum quotidianum, & domeſticum,inſeruiunt,nemo Clericorum arma cuiuſuis generis ſint offenſiua, ſeu defenſiua deferre audeat ſub pœnis infra taxandis; quod ſi longioris, aut ſuſpecti itineris cauſa Clericum aliquando obarmatum ire oportet, à nobis in ſcriptis facultatem obtineat, quæ tamen neque pro illis indecenter ferendis,neque pro armis etiã laico prohibitis,vt ſunt ſclopi paruuli, vel ferrei ſtyli,data eſſe intelligatur.

Domi.

24 Domi ſuæ Clericis enſem quem *ſpatham* vocant, vel lanceam, aut quid ſimile ferreum haſtile, & acuminatum ad ſe defendendos retinere permittimus; nullo tamen modo pugionem, qui vulgò *pugnale*, aut *Scimitarra* dicitur, multoque minus apud ſe habere, ſub pœna vnciarum decem; ſclopetas autem, aut archibuſcia, ceteraque huiuſmodi tormenta ignea, nec domi ſeruare, nec ſecum deferre poſſunt Clerici; aliàs ſi nobiles ſunt, quinquaginta ſcutorum; ſi vero ignobiles, rigoroſi carceris ad ſex menſes mulctam ſubeant.

25 At ſi apud ipſosmet Clericos inueniantur formæ breuioris ſclopi, vel alterius generis arma cuicumque prohibita, quæ vulgari idiomate vocant *archibuxetti*, *piſtola*, *ſcopettone*, *ſtilletto*, *coltello Meſſineſe*, & his ſimilia quocumque nomine nuncupentur, præter excõmunicationis ſententiam, quam ipſo facto incurrunt, vncijs centum mulctabuntur, aut publico carceri, vel triremibus Epiſcopi arbitratu per triennium mancipabuntur. quæ tamen ſi domi habere auſi fuerint, licet non geſtauerint, præter excommunicationem, quam diximus, vnciarum quadraginta, aut annui carceris pœnam incurrant, quibus pœnis quoad huiuſmodi arma prohibita declaramus omnes, & ſingulos noſtræ Curiæ officiales ſubiacere, ſi ea domi, vel apud ſe deferre præſumpſerint.

26 Omnibus Eccleſiaſticis 1 viris, qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, caſtitas, & continentia quam maximè conuenit; quapropter ne hac in re vlla etiam remota ſcandali occaſio proximis ingeratur eiſdẽ prohibemus ne domi ſuæ ſuſpectas mulieres admittant, multoque minus cum eiſdem cohabitent, ne prætextu quidem cognationis, aut neceſſarij famulatus; pœna preter eam,

1 cap. 2. de h oneſt. cler. & cap. Clerici, & cap. quicumque 23. q. vlt.

Qq 2 que

1 ſeſſ. 25. de reſor. c. 14. quę à ſacris Canonibus, & Tridentino 1 imponitur, erit quoque vnciarum decem.

27 Si quis autem Clericorum impudicitię ſordibus maculatus, atque immundo concubinatu miſerrimè verſari deprehendatur, vt ad continentiam, vitęque integritatem reuocetur ea prorſus ratione procedetur, quę in Concilio Tridentino 2 ſancita eſt, abſque ſtrepitu, & figura iudicij, ſed ſola facti veritate inſpecta; & quidem prima vice vncijs viginti pijs locis aſſignandis mulctabitur; quod ſi in idem ſcelus recidiuus fuiſſe conuincatur, alijs grauioribus pœnis pecuniarijs, & carceribus punietur.

2 Ibidem.

28 Si Clericus, quod Deus auertat, eo nequitię progredi audeat, vt ſodomitico, & nefando crimine ſeſe maculet, is ſtatim dignitate, officio, & beneficio priuetur, & iuxtà Canonum ſummorumque Pontificum decreta puniatur, quamuis nulla tanta pœna excogitari poſſit, quę tam execrando ſceleri par ſit 3.

3 Pius V. in bulla omnes, & quoſcumque.

29 Abſtineant à conſuetudine impiorum hominum; verba ſcurrilia, inhoneſta, atque impudica ne loquantur, prępſertim coram laicis, & publicè ſub pœna carcerationis, ſic quoque abſint ab eis maledicta, obtrectationes, & aſſentationes.

30 Omnes Clerici, etiam in minoribus conſtituti ſuperpellicium mundum, & decens habeant, quo Eccleſię, & muneribus, quibus inſeruiendum eſt, vti valeant; eo autem induti ne prę foribus Eccleſię ſtent, nec officinas ingrediantur, nec per vias, & plateas deambulent.

31 A nocturnis circumvagationibus, & cantilenis penitus abhorreant, nec noctiuagis cantoribus ſe vllo modo miſceant: Imò neminem noctu, niſi ex honeſta cauſa, & neceſſaria; domo exire iubemus, & tunc ſanè

cum

cum decenti habitu clericali, qui ſecus in aliquo prædi-ctorum fecerit duas ſoluat vncias, vel carceribus addicatur ad arbitrium Epiſcopi.

32 Nemo quouis prætextu,cuiuſuis meretricis domũ adire præſumat interdiù, noctuuè ſub pœna vnciarũ decem, vel longi carceris ad Epiſcopi arbitrium.

33 Gregoriano cantui, quem fermum, vel planum nuncupamus, omnes diligentem dent operam; Ignorantes ad maiores ordines non promouebuntur,quod ſi promoti iam ſunt,noſtro arbitratu mulctabuntur.

34 Lectioni caſuum conſcientiæ, quæ ſemel in hebdomada in noſtra Cathedrali, & ſæpius in Collegijs Societatis Ieſu, aut vbi hæc deſiderantur, in ijs matricibus Eccleſijs, quas nos conſtituimus, omnes interſint;quod ſi ſine iuſta cauſa, & licentia danda ab ipſo Lectore, ſeu præfecto quis Confeſſarius dies quindecim continuos, & non interruptos deerit,ab officio Confeſſiones audiendi ſuſpenſus maneat; ſi autẽ ſimplex Sacerdos ſit, vel Diaconus,aut ſubdiaconus pœnam abſque ſpe veniæ ſubibit arbitrariam, & ad vlteriores gradus,beneficia, & Cappellanias aditum pœnitus intercludemus.

35 Præmittere hic non grauabimur quod de immunitate Eccleſiaſticorum agentes dicemus,vt ſcilicet intra tempus ibi præfixum fictas donationes, renunciationes, & eiuſmodi inſtrumenta ſimulata ad tributorum, & gabellarum fraudem, tum etiam ad iuſtitiæ debitorum eluſionem,Clerici nullas faciant, & irritent ſub pœnis inibi præſcriptis omninò exigendis.

36 Nemo poſthac peregrinantium Clericorum alterius Diœceſis in noſtra domicilium figere, aut diutiùs habitare permittatur, niſi priùs Vicario loci exhibeat ſui ordinarij litteras commendatitias, quæ & à Patria legi-

timam

timam cauſam peregrinandi, & eiuſdem honeſtam vitã teſtentur.

37 Si quis à noſtra Diœceſi abeſſe auſus fuerit vltra quindecim dies nobis inſcijs, & minimè probantibus, aut vltra tempus per noſtras litteras dimiſſorias ei cōceſſum, in ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incidat, addicendus etiam noſtris carceribus, vbi reuertatur.

38 Si quis titulo domicilij ad noſtram diœceſim iam translati, ibique firmati, diœceſanorum priuilegi's, & iuribus vti intendat, id non ſolis teſtibus, ſed authenticis, publiciſque inſtrumentis, vt in hac re ſolet fieri, oſtẽdat, & comprobet; & aduertat fore vt nos non facile indulgeamus exteris ordinationem hoc titulo petentibus, ſi eas litteras, & priuilegium ciuitatis nuper obtentas eſſe perſpiciemus.

39 Nunquam in Eccleſia Dei fuit cuilibet in habitus Clericalis aſſumptione, vel dimiſſione quidlibet audendi æqua poteſtas; hoc igitur decreto ſancimus ne quis Clericalem habitum aſſumat, aut dimittat ſine noſtra facultate ſcriptis per Curiam Epiſcopalem danda. Inobediens pœnam vnciarum decem ſoluat.

40 Ad primam tonſuram, ſeu minores ordines promotus infra bimeſtre à die ſuſcepti ordinis habitum, & tonſuram accipere teneatur; quo elapſo, id non niſi noua ab Epiſcopo venia obtenta facere queat ſub eadem pœna.

41 Clericorum nemo, licet prima tantum tonſura, vel minoribus ordinibus initiatus ſit, ſordidum, aut vile munus exercere præſumat, præſertim in famulatu alicuius, qui non ſit in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus; quod ſi aliquando quid ſimile exequi debere neceſſitas, iuſtaque dictabit cauſa, non niſi de Epiſcopi, aut Vicarij Generalis

ralis

ralis facultate ſcriptis obfirmata permittatur ſub pœna vnciarum decem, non tamen propterea prohibere intẽdimus quin pauperes, atque virtute præditi Clerici poſſint docendi ergo in laicorum domibus habitare, & ſuſtentari, eorumque pueros ad ſcholam comitari; dũmodo nullum aliud ſeruile opus præſtent.

42 Venalis item hoſpitij, aut ſtabularij domos, nec tabernas Clerici retineant, multoque minus ea per ſe officia ſubeant ſub pęna carceris Epiſcopi arbitrio.

43 Ne tẽporis, quo nihil mortales habent pretioſius, & quod in Dei obſequium à Clericis conſumendum eſt, irreparabilis iactura fiat cum eorumdem nominis infamia, diſtrictè præcipimus, ne quis ipſorum aleis, ſeu chartulis, taxillis, ſeu teſſeris; pila, aut alio indecenti genere ludi, præſertim vei ò à Sacris Canonibus prohibiti ludat; nec luſoribus ædem, menſam, mutuos nummos, aut aliam quamcumque ad ludendum commoditatem præſtet, imò nec luſoribus inſpectandis in domo luſoria vllo vnquam tempore interſit. Inobedientium pœna hæc eſt: vt meri inſpectores quinque vncias; præſtantes verò domum, vel menſam, aut pecuniam ad ludendũ, decem vncias; ipſi vero ludentes ludo taxillorum, vel alearum, aut pilæ vncias vigintiquinque Seminario applicandas in pœnam luant. At ſi locus, in quo luſerint publicus fuerit, aut in ſæcularium conſortio, vel domi ſuæ baractariam, vt aiunt, præbere auſi fuerint, prædicta nummorum mulctæ duplicabitur.

44 Super bonis ſui patrimonij nullo vnquam pretextu inducatur Clericus ad fideiubendum, aliàs grauiter ab Epiſcopo puniatur.

45 Nec Tutoris, aut Curatoris, nec Iudicis compromiſſarij onus Clericus ſuſcipiat, niſi priùs per Epiſcopum liceat.

Fœmi-

46 Fœminas quacumque nobilitatis, aut dignitatis prærogatiua inſignes, etiāſi ad Eccleſiā accedere velint, nulla ratione comitari audeant ſub pœna vnciarum decem, aut carceris ad ſex menſes; hoc enim officium ſēper Clericalem habitum vehementer dedecere viſum eſt.

47 Negotiationi frumentarię, gabellarum exactioni, vel conductioni, & id generis occupationibus, ne ſe ingerant Clerici, nec carnium macellationi, vncijs decem alioqui mulctandi erunt pro prima vice; grauioribus deinde niſi reſipuerint arbitratu noſtro pœnis mancipandi.

48 Clerici receptantes facinoroſos, excomunicatos, denunciatos, & vitandos, banditos, vel apoſtatas, aut è noſtris carceribns fugitiuos ipſo facto excommunicationem incurrant; 1 furta autem proprijs in domibus occultantes furum ſupplicijs plectantur.

1 Sixtus V. & Gregor. XIII. id prohibuere ſuis conſtitut.

49 Quia ſępè audiuimus perditiſſimos homines Eccleſiaſticis internuncijs, & mediatoribus volentibus, & lubentibus vſos eſſe ad extorquendam per ſummum ſcelus non mediocrem nummorum ſummam ab innocentibus, quos aliquando, vel quorum coniunctiſſimos clam captiuos retinent; vnde Clerici, & regulares pietatis ſpecie, rapinarum, furtorumque adminiſtri euadunt, vt tantæ ſceleſtiſſimorum temeritati meliori quo poſſumus modo occurramus, præſenti ſanctione edicimus, atque in virtute ſanctę obedientię mandamus, nequis Eccleſiaſticus cuiuſuis ordinis, aut dignitatis ille ſit per ſe, vel per alium voce, vel ſcripto, aut quouis alio modo, & prętextu talium hominum, aut compoſitionum internuncius eſſe velit, neque in eum finem litteras, aut chirographa afferre, vel tradere, nec alia ratione huiuſ-

modi

modi tractatibus ſe immiſcere; qui ſecus fecerit, excommunicationis latę ſententię pœnam incurrat, & ſuſpenſionis à ſacramentis quibuſcumque adminiſtrandis, à miſſę celebratione, atque à concionandi munere toto vitæ tempore; nec non ſi clericus ſit, qui huic noſtrę conſtitutioni non obtemperaſſe conuincitur, ipſo facto triremium, carceriſque perpetui pœnam incurrat, omnique officio, ac beneficio priuetur, & pecuniam, cuius ſoluendę latronibus mediator fuit, reſtituere ei, à quo ſoluta fuit de proprio teneatur; excipimus tamen caſum, quo Clericus ad hoc officium internuncij prętandum coactus eſſet ad euitandum ſibi, vel ſuo proximo graue, & imminens damnum.

50 Clericorum quicumque ſcelus immane monetę tonſionis, aut falſificationis patrare non perhorreſcunt, vel patranti ſuam operam dederint, pręter pœnas à Sacris iniunctas Canonibus, beneficiorum, bonorumque omnium, quę tunc temporis poſſident priuatione ipſo facto puniantur.

51 Aduertimus nonnullos Eccleſiaſticos exorcizandi prætextu, vel maleficia noſcendi, & ſanandi, ſeu ſoluendi, plurium innocentum, ſimpliciūque animos fallere, & cum familiarum perturbatione, expenſarum iactura, ſuſpicionum, atque inimicitiarum immortali fomite ſeſe in alienas domos ingerere, vel rogatos facile venire, recitare preces ſibi tantum notas, conficere, & prębere medicamenta certis quibuſdam ſignis, & caracteribus identidem notata, aliaſque ſcriptas cartulas ſuper perſona geſtādas tradere. Id circò ne hac in re quidlibet audendi facultas eiuſmodi hominibus, aut mulieribus data eſſe intelligatur, in virtute ſanctę obedientię pręcipimus, vt ſi qui ſunt huius generis homines, aut mulie-

Rr lie-

lieres non adeant; licentias ſi quas obtinuerint à noſtris prędeceſſoribus, vel ab alijs officialibus id muneris exercendi exhibeant, diſtinctèque declarent vnde artem hanc didicerint; quã vim, & cur ijs verbis, ſignis, & medicaminibus ineſſe ſciant, vel autument, vt tandem omnibus in conſpectu diuino, & cũ noſtris Theologis bene perpenſis, quid hac in re in poſte ũ eis licebit, quid verò prohibitum erit, deliberemus; quod ſi abſque prędicto examine, aut licentia, eadem exercere pręſumpſerint, ipſo facto ſuſpenſi à celebratione Miſſę, & confeſſionibus audiendis remaneant, alijſque grauibus pœnis ad noſtrum beneplacitum, & pro qualitate inobedientiæ caſtigandi; ſi verò Clerici ſunt, aut laici, annui, & ſtricti carceris pœnam dent; Volumus etiam ſecum ſemper afferre has noſtras facultates ſcriptis conſignatas, vt Vicario loci vbi, & quouis tempore requiſierit, oſtendant.

52 Denique omnes in Domino noſtros Clericos hortamur, vt pro virili parte contendant in omnibus ſe exhibere miniſtros Dei, nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur eorum miniſterium, quod facile Deo adiutore conſequentur ſi frequentiæ ſacramentorũ Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſi litterarum ſtudio, & ſuorum Prælatorum obedientię ſtrenuam operam nauabũt; quapropter Clericis in minoribus conſtitutis pręcipimus vt ſingulis ſaltem menſibus maculas ſuæ conſcientiæ fructuoſa confeſſione abluant, & ſacro ſe pane reficiant, Sacerdotibus verò ne vllam elabi hebdomadam patiantur, qua ſemel ſaltem Deo Optimo Maximo non ſacrificent. Inobedientes vnius menſis ſpatio noſtris carceribus detineantur, & niſi reſipuerint excommunicentur, & ſeueriùs pro noſtro arbitratu puniantur.

53 Die autem Iouis Sancti Clerici omnes, qui in Vr-

be reperiuntur ſacram Euchariſtiam de manibus Ordinarij celebrantis in Cathedrali percipiant, quo faciliùs ipſe oues ſuas, dum eas paſcit, poſſit agnoſcere, vel ſi Epiſcopus impeditus, aut abſens fuerit, qui loco illius celebrat eis cęleſtis cõuiuij dona miniſtret. Clerici verò Diœceſis eodem die in Eccleſia, cui adſcripti ſunt à ſolemniter celebrante ſacroſanctam accipient communionem; qui contraierit ad nos deferatur, vt eum commerita animaduerſione plectamus.

54 Denique vt clericalem ſtatum quo par eſt amore, & decore proſequamur, eis omnibus, & ſingulis concedimus ijs priuilęgijs vti qualia ſunt refugium propriç domus, & ſimilibus, quibus perfruuntur in propria patria ſui conciues ſęculares, quibus deterioris conditionis in gratioſis noſtros Clericos eſſe nullo modo pati debemus.

DECRETVM VIGESIMVM SEPTIMVM.

DE SODALITATIBVS, & Confraternitatibus.

1 NEmo Sodalitates, aut Confraternitates de nouo erigere in noſtra diœceſi ſine Summi Pontificis auctoritate, vel noſtra in ſcriptis tradita audeat ſub pœna nullitatis eorum omnium, quæ in ea decernuntur, & trium annorum carceris ab illis exigenda, qui auctores, & promotores fuerint.

2 Porrò eæ, quæ Superiorum licentia eriguntur peculiare aliquod inſtitutum habere debent, vt ſuum in Domino finem, ob quem admittitur, & perſeuerat quiſque

nouerit, & aſſequatur, & diuerſa pietatis opera per diuerſas hominũ claſſes in Ciuitatibus, & Pagis fructuoſius diuidantur.

3 Quare ſi aliquæ in Vrbe, aut diœceſi ſunt confraternitates, ſodalitia, ſocietates quomodocumque nuncupatæ, quæ nullis regulis, certaue viuendi lege ligatæ ſunt, aut temporum decurſu, fratrumque negligentia propemodum diſſolutæ, perditæ, ſeu laceratæ inueniuntur, teneantur infra quatuor menſes à publicatione præſentis Synodi computandos, regulas, conſtitutioneſque ſibi condere, & nobis, vel noſtro Vicario Generali præſentare, vt ab eo confirmationem obtineãt ſub pœna interdicti, alijſque arbitratu noſtro inferendis. Vnde Vicarios foraneos magis magiſque monemus, vt huius decreti obedientiam perdiligenter exigant.

4 Habeant igitur ſingulæ ſodalitates, & confraternitates ſuas regulas, ſeu conſtitutiones, & decreta, ſeu vt vocant, capitula noſtra auctoritate confecta, & manu ſubſcripta, à quorum obſeruatione nemini liceat diſcedere ſub pœnis in ijſdem taxatis. Ideoque erectæ ſocietates infra duos menſes poſt præſentium publicationem noſtro Vicario Generali eorum capitula præſentare debent, vt ſi quæ ſacris canonibus fuerint contraria reſecentur.

5 Item ſuos officiales, qui ſtatis de more, aut à regula temporibus per ſecreta, & ad plura medietate ſuffragia creent eo Sacerdote præſente, quem nos eiuſdem Eccleſiæ Cappellanum deputauimus, ſine cuius certè præſentia, electio quæcumque ſit, nulla, & irrita eſt.

6 Nunquam ijdem immediatè confirmentur, ſed alij de nouo eligantur, ita vt quilibet, qui ante officium exercuerit, à quolibet officio annum integrum vacare teneatur,

atur, quod de cæteris Procuratoribus, & officialibus aliarũ Eccleſiarum obſeruetur, ij autem, qui primo, aut ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu inter ſe, aut cum immediatis prędeceſſoribus coniuncti ſunt abſque noſtra ſpeciali licentia ſcriptis, & gratis danda, eiuſdem ſedis officiales non eligantur; quod ſi igitur neceſſitas aliud poſtulauerit, ab Epiſcopo in eodem cõfirmãdi, vel ad aliud officium immediatè tranſeundi facultatem obtineant ſpecialem, & in ſcriptis exaratam, quam ante electionem vocales videant.

7 Electi officiales ſine noſtra, vel Vicarj Generalis in Vrbe, in Diœceſi verò ſine Vicarij foranei licentia, officium recuſare non poſſunt ſub pœna duarum vnçiarum Sodalitati, vel Confraternitati ſoluendarum.

8 Viris probitate, & prudentia conſpicuis, atque muneri idoneis ea prouincia committatur, qui præſertim regularum, & inſtituti obſeruantes, atque diſcretum zelum habentes ſint, quique eiuſdem ſodalitatis, ſeu confraternitatis debitores non exiſtant, qui bona Eccleſiæ non conduxerint, vel locauerint, qui dati, & accepti rationes ritè conficiant, & nobis, vel ei, quem deſtinabimus; à quo ſingulis annis viſitari debere ſancimus, reddere valeant.

9 Qui vnius ſodalitatis officialis eſt, ne alterius ſodalitatis officialis eligatur, ſub pœna nullitatis ſecundę electionis.

10 Præſcribantur in primis cuicumque huiuſmodi congregationi certi quidam feſti dies, ita vt ſingulis ſaltem menſibus ſimul, atque in eadem Eccleſia, ſeu oratorio ſuorum peccatorum maculas omnes ſacra confeſſione expient, & diuino reficiantur pane; quapropter eorum, qui in ſacram ſocietatem annumerari flagitant

dele-

delectus habeatur, & ij tantum admittantur, quorum mores, & indoles in vita ſpirituali, & pietate chriſtiana proficiendi ſpem non mediocrem faciunt; facinoroſi autem, & infamia notati, niſi per aliquod tempus ad bonam frugem conuerſionis ſuæ experimentum dederint, nequaquam accipiantur, imò ſi fortè admiſſi ſunt, prorſus eliminentur.

11 Proprium Societatis indumentum, quod ſaccum appellant, cum primo alicui ſociorum tradendum eſt, id tantum in Eccleſia propria, ſeu Oratorio fiat, & præſente Cappellano, à quo benedicatur, illudque in eodem oratorio, ſi commodè fieri poteſt, non autem domi ſeruetur.

12 Cuiuſcumque Confraternitatis, vel ſodalitij Superior intra quatuor menſes à publicatione noſtræ huiuſce Synodi conficiendos curet libros, quibus contractus, & ſcripturæ ad Eccleſiam ſpectantes regiſtrentur; inuentarium quoque rerum mobilium in viſitatione præſentādum, promptum habeat ſub pœna depoſitionis ab officio, & alijs noſtro arbitrio infligendis.

13 Occaſione feſtorum, aliouc quouis prætextu in Eccleſijs, ſeu oratorijs, aut horum hortis, & viridarijs conuiuia, comeſtioneſque, & luſus ſub excommunicationis latę ſententiæ pęna nemo inſtituere audeat. Quod ſi fortè ob eam rem in alias ędes conuenire voluerint ſub eadem pœna prçcipimus ne ex Eccleſię bonis quidquā in eum ſumptum erogare præſumant, neque ibidem mulieres admittantur; ne autem horum ignorantiam quiſquam prętendere poſſit, iubemus Cappellanum quolibet anno quindecim ſaltē dies ante feſtū diē principalē Eccleſię hoc decretum vulgari ſermone alta, & intelligibili voce confratribus publicare.

Non-

14 Non ſine multo populorum ſcandalo, & Regularium, clerique noſtri offenſione introductum eſſe audiuimus abuſum, quo in ſuorum conſodalium cadaueribus ad Eccleſiam aſſociandis voluerunt ſodalitates incedere poſt regulares, & clerum ante defuncti feretrum; id igitur ſeriò prohibemus prædictis ſodalibus ſub pœna carcerationis, nec non, & interdicti eorum Eccleſię. Debēt enim iſtæ ſodalitates ſemper regulares, & clerum præire; poſſunt tamen, ſi velint, deferre humeris feretrum, eorūque officiales poſt illud immediatè cum luminibus, & thuris ardentis patinis ſubſequi.

15 Quia lōga docuit experiētia in explodēdis immoderatè *maſcolis*, vt vulgò dicitur, & *arcbibuſijs*, nec nō in igneis ludibus, ſulphureiſque machinis conficiendis eccleſiaſticos redditus inutiliter conſumi, quapropter nec plenè vt par eſt, legatis ſatisfieri, nec ad miſſæ ſacrificium, cultumque diuinum neceſſarijs proſpici pro dignitate poteſt; præcipimus ne in poſterum in huiuſmodi machinis, & maſculis ſupra vnius tantum vnciæ ſummā pro Eccleſiæ feſtiuitate abſque ſpeciali noſtra, vel Vicarij Generalis facultate inſumatur, qui non paruerit, quod ſupra prædictam vnciam expendiſſe inuenitur, de proprio cogatur Eccleſiæ eidem reſtituere.

16 Nemo ex ſodalibus, vel confratribus arma ad Eccleſiam, vel oratorium deferat ſine Vicarij Generalis in Vrbe, in Diœceſi vero ſine Vicarij foranei licentia; qui aliter ſe geſſerit carcere ad noſtrum arbitrū corrigatur.

17 Officiales recēter electi infra dies quindecim prędeceſſorum computa coram Capellano, & Deputato recipiant, & fraudem ſi quam deprehenderint, aut errorem, vel inutiles ſumptus factos eſſe, ad nos deferāt, vt pro delicti grauitate in eos animaduertatur, & vbi expedie-

pedierit ad reſtitutionem legitimè compellantur, & vt rectè geſtæ adminiſtrationis liberationem, quod ad nos tantum ſpectat, faciamus.

18 Ad quæſtuandum neminem mittant, niſi die aſſignata, & obtenta priùs à nobis in ſcriptis licentia, & obſeruatis, quæ de quæſtuarijs infra ſtatuitur.

19 Quidquid autem ex ſodalium induſtria, quæſtuatione, taxa, vel eleemosynis colligitur apud eum, & nomine quidem ſodalitatis deponatur, quē maior eiuſdem pars cum approbatione Vicarij loci conſtituet Depoſitarium; nec inde pecuniæ extrahantur, niſi ad mādatum, vt aiunt trium maiorum officialium, & Cappellani, vel ſchedulas eorūdē ſubſcriptionibus obſignatas.

20 Nemo ex ſodalibus, aut Confratribus, imò nec ipſi officiales ſine expreſſa noſtra, vel Generalis Vicarij licentia poteſt quidquam ſacrum, aut prophanum ipſius ſodalitij, Confraternitatis, vel Congregationis vendere, aut pro pignore dare. Contraueniens carceribus quatuor menſes addicatur, & decem aureos in pœnam eidem Eccleſiæ ſoluat; ipſam verò venditionem, aut pignorationem nos irritam, & nullam declaramus.

21 In creatione officialium ſingulis annis, facienda ſuus ſpecialiter conſtituatur procurator, & theſaurarius, qui pecunias in matrimonia puellarum, vel miſſarum celebrationem legatas diligentiſſimè curet, depoſitaſque conſeruet, quas in alium vſum conuerti minimè patietur; nec in alios Eccleſiæ ſumptus, etiam neceſſarios, mutuas dabit, ſed integras, parataſque apud ſe retinebit, præſtita tamen idonea cautione.

22 Codicem inſuper apud ſe habebit, in quo trāſcribantur actus electionis puellarum nubilium, & pecuniarum ſolutio per ſchedulam, vel inſtrumentum publici

Nota-

Notarij, vt moris eſt facienda; qui contrarium fecerit, officio amoueatur, & carcere, atque dupplicata pecuniæ ſumma puniatur.

23 Ne autem diſſenſiones animorum, inter quos fraterna charitas vigere debet, nutriantur ſine opportuno remedio, maturè rem, & cauſam conſiderantes, experti ſumus illam eſſe præcipuam, qua ſodalitatum Superiores ex odio, aut aliquo partium ſtudio nonnullos dimittunt; ideoque viſum eſt præcipere præſenti conſtitutione, ne quiſquam vllo vnquam caſu dimittatur, aut legitimè dimiſſus iterum recipiatur ſine noſtra, aut Vicarij Generalis facultate in Vrbe, in Diœceſi verò ſine licentia Vicarij foranei; quod item procedit in Cappellano, cui ſolitum ſtipendium augeri, aut minui abſque noſtro ſpeciali mandato non poteſt.

24 Ad publicas Proceſſiones tempori accedant, eaſque debito ordine, & integro ſacco induti, facieque omninò velata obeant, nec quemquam proceſſioni cum prædicto ſacco intereſſe ſinant rectores, qui tres minimũ menſes in ſodalium, aut confratrum numerum coaptatus non fuerit.

25 Caueant in Dominica Palmarum ramos in ſuis oratorijs benedicere, aut ibi benedicto cinere aliquem die prima quadrageſimæ aſpergere; hæc enim pia munera in ſua Parochia, aut in ijs regularium Eccleſijs, vbi moris eſt, quiſque exequatur. Candelas autem die Purificationis Beatæ Virginis benedicere in proprio concedimus oratorio, ſed Eccleſiaſtico præcepto de ſumenda in Paſchate Euchariſtia non ſatisfacient, ſi id in proprijs oratoriis abſque noſtra licentia prȩſtiterint.

26 Sodalitijs, aut Confraternitatibus nemo aggregetur, ſi ſextum ſupra decimum annum non expleuit, & qui

bonis moribus non ſit inſtructus, fideique rudimenta neſciat, aliàs ſuperior ſeuerè caſtigabitur. Votum autem actiuum in electionibus officialium, atque pro eiuſdem ſodalitatis, vel confraternitatis rebus grauioribus decernendis neminem dare poſſe volumus, qui in eadem ſodalitate, vel confraternitate profeſſionem de more nõ emiſerit, & qui vigeſimum ętatis ſuę annum ſaltem non agat.

27 Cappellanus ſodalitatis, vel Confraternitatis intra menſem ſaltem ſodalium confeſſiones ſacramentaliter excipiendi facultatem obtineat, aliàs ab officio ceſſet.

28 Suas Eccleſias, aut oratoria, regularibus concedendi tractatus ſine expreſſo noſtro conſenſu ne inſtituant.

DECRETVM VIGESIMVM OCTAVVM.

DE ELEEMOSYNARVM Quæſtoribus.

1 VIcarijs omnibus pręcipimus ne in poſterum aliquem permittant quęſtuari cum capſula, vel cũ patina, aut cum tintinnabulo, vel aliqua ſacra imagine ſine noſtra, aut Generalis Vicarij licentia in ſcriptis data; contrauenientes grauiter puniant, & exterminent.

2 Si Eccleſia aliqua, aut confraternitas à nobis prędictam quęſtuandi facultatem obtinet in ſcriptis, ijs viris hoc munus demandetur, qui ſpectata virtute ſint, & honeſta vita; & quidem quotannis, ſi commodè fieri poteſt, eligantur noui, qui vel gratis, vel ſaltem tanta mer-

cede

cede id officium pręſtent, quanta ſolum ad ſe eo die pro ſua conditione ſuſtentandos eſt neceſſaria; cęterum nullo modo eos eleemosynarum volumus eſſe participes; nec quęſtuari, pręter eos hebdomadę dies à nobis ipſi confraternitati, ſeu Eccleſię conceſſos.

3 Ante quęſtuandum iuramentum Cappellano eiuſdem Eccleſię pręſtent fideliter pecunias, triticum, aliarumque rerum quantitatem Theſaurario Eccleſię, cuius nomine id faciunt, conſignandi; furantes autem, occupantes, vel fraudantes eiuſmodi eleemosynas ipſo facto excommunicationem incurrant.

4 Pauperum puellarum honeſtati, quoad fieri poteſt; conſulentes in Domino decernimus, ne vicatim eleemosynam quęritent, quę decimum annum ętatis exceſſerint, neque vlla mulier noctu, ideſt poſt datum ſignum veſpertinum Salutationis Angelicę, per vicos, & plateas ſtipem emendicet, aliàs fuſtigationis opprobrium ſubeat.

DECRETVM VIGESIMVM NONVM.

DE MINISTRIS PIORVM LOCORVM, de legatis pijs, & de Hoſpitalibus.

Cap. I.

De Piorum locorum Adminiſtratoribus, & de legatis pijs.

1 OMnium prorſus piarum diſpoſitionum tam inter viuos, quam mortis cauſa factarum Epiſcopos

Ss 2 iudi-

iudices, & exequutores tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos conſtituit Sacra Tridentina Synodus; non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili priuilegio, vel ſtatuto.

2 Quapropter viſum eſt nobis in primis ab hæredibus, cæteriſque, ad quos ſpectat etiam, atque etiam orare; obteſtarique in viſceribus Ieſu Chriſti Domini noſtri, vt quam primum pijs relicta locis legata, & eleemosynas perſoluant, adimpleantque; aliàs omni iuris rigore contra eos agi mandabimus.

3 In virtute quoque ſanctæ obedientiæ mandamus ſingulis teſtamentorum, aliarumque piarum cauſarum executoribus, nec non & cæteris quibuſcunque Rectoribus, Gubernatoribus, fideicommiſſarijs, alijſque ad quos attinet officialibus piorum operum, aut locorum, quoquo nomine appellentur, vt bona ipſa fideliter adminiſtrent, & ad vnguem in præſcriptos à teſtatoribus, ſeu fundatoribus vſus expendant; aliàs præter grauis peccati maculam, quam contrahunt, ſeueras nobis pœnas dabunt, & malè expenſos nummos de proprio compenſabunt.

4 Imò ante quam adminiſtrationem ſuſcipiant teneantur iureiurando promittere ſe fideliter, & accuratè munus illud exequuturos eſſe, poſtea verò ſuſcepta adminiſtratione teneantur noui officiales intra dies octo rationes accepti, & expenſi immediatè præteritorum Rectorum, & Theſaurarij exigere, & ſi quod reliquū fuerit exigendum, ab ijſdem nouis adminiſtratoribus ſine mora exigatur; liberationem autem ne faciant, vt diximus, antequam à nobis in viſitatione omnia examinentur.

5 Mandamus etiam ſub ijſdem pœnis, & præcepto vt ele-

electiones puellarum in matrimonium per ipſos collocādarum faciant eo ipſo die, qui à teſtatore deſignatus eſt; ſecus electio ad nos ipſo iure deuoluta intelligatur.

6 Diſtrictè etiam præcipimus eiſdem officialibus vt librum conficiant, quo ſingulorum illius Eccleſiæ legatorum cum ſuis oneribus dilucida ratio habeatur; alium inſuper, qui ſolutiones, & ceſſiones nuptis puellis factas demonſtret.

7 In excommunicationem ipſo facto incurrere declaramus eos omnes, qui ſpe facilitandi piorum legatorum ſolutionem, aliquid à legatarijs extorquent, aut propinquiores cōſanguineas remotioribus poſtponēdas recepto, ſeu promiſſo munere, aut alio iniuſto fauore curant.

8 Publicis quoque notarijs excommunicationis pœnam indicimus, niſi intra tres menſes à teſtamento, vel codicillis, alijſque ſcripturis factis, & faciendis nobis, vel loci Vicario deferant in ſcriptis, ſuaque manu obſignatis quidquid in pias cauſas, vel in rei malę partæ, ſeu ablatæ, aut furti ſatisfactionem, vel compoſitionem legatum eſt.

9 Cum autem non rarò contingant vt deperditæ conſcientiæ homines ad huiuſmodi legata conſequenda falſis teſtibus, & ſcripturis conſanguinitatem comprobent, eos admonemus damni, quod proximis agunt, & reſtitutionis, quam omninò debent, nec non per annū carceribus eſſe addicendos; Vt autem eiuſmodi fraudes euitentur cum conſanguinearum electio eſt facienda, menſe antecedenti, publicum proponatur edictum, vt omnibus ius habentibus, aut quouis prætextu prætendentibus innoteſcat; ſemper autem ſtrictior gradus, & conſanguinitas affinitati præhabeatur, ita tamen vt elapſo prædicto menſe, & facta iam electione, ſi quæ alia

com-

compareat, & electæ iam præferri contendat, nullo modo pro ea vice, & anno audiatur; ſed præſtolari cogatur donec aliud ad aliam electionem alterius anni præſtandam edictum exponatur; ſic enim quamplures, quas ſecus ſuboriri lites experti ſumus, ſuffocabuntur, & dolis aditus præcludetur, & negligentes debita mulctatos eſſe pœna intelligent.

10 Confeſſarios quoſcumque admonemus, ne infirmorum animos, caputque importunè diuexent, vt ſibi, aut ſuis Eccleſijs legatum relinquatur, ſed teſtatorum voluntates ſua vti libertate ad extremum vſque ſināt; cōtrauenientibus ipſo facto audiendi confeſſiones facultas ſuſpenſa ſit.

11 Nemo ſit, qui directè, vel indirectè Confeſſarios, aut eos Sacerdotes, qui adiuuandi cauſa in tam graui periculo infirmum, aut notarios, qui ad eiuſdem diſpoſitiones ſtipulandas accedunt, impedire præſumat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, alijſque noſtro arbitrio.

12 Notarij petentibus capitulum teſtamenti ad legata pia ſpectans negare nequeunt, nec eos cogere, vt totiùs exemplaris mercedē ſoluant: aliàs vnciarum decem pœnam luent.

13 Quia ob temporum viciſſitudines, & calamitates maxima diminutio cenſuum, reddituumque ad pias cauſas facta eſt, adeò vt nequeant defunctorum voluntates ad vnguem adimpleri; nos, quorum curæ eſt vltimas exequi voluntates, mandamus quatuor intra menſes ab huius Synodi celebratione omnibus Rectoribus, ſeu adminiſtratoribus piorū legatorum, vt ad nos autenticè ſcriptas eiuſmodi diſpoſitiones, quibus non adimpleri poteſt teſtatorum voluntas, deferant, vel mittant, vt cum noſtris

ſtris ad id Deputatis conferẽtes opportunum cuique remedium adhibeamus; ſecus faciens viginti exoluet vncias.

14 Cæterum ſciant omnia hoſpitalia, montes pietatis, ſeu charitatis, Confraternitates laicorum, aliaque pia loca, exceptis ijs, quæ de iure exemptione fruuntur, nobis à Sacro Concilio Tridentino, & à Sacris Canonibus ius tributum eſſe viſitandi, non obſtantibus quibuſcumque 1. 1 cap. quia contigit de relig. domib.

15 Caueant piorum locorum Rectores, ſeu adminiſtratores ne bona immobilia, aut pretioſa mobilia contra Sacrorum Canonum formam, & abſque noſtra approbatione quoquomodo alienent, aut pignori dent; ſecus ſi fiet, acta irrita, & nulla eſſe ex nunc pro tunc declaramus, & ſeuerè in eos animaduertetur; ſi quæ autẽ Eccleſiarum bona pignori data inueniuntur intra tres menſes expignorari mandamus ſub pœna noſtro arbitrio; bona autem, quæ locanda ſunt, liberè, & publicè ad extinctionem candelę de more proponantur; ipſi autem officiales nullo modo, neque per ſe, neque per alios ea ſibi locare audeant; hoc enim eis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus, quod maximè notatum volumus pro officialibus Eccleſiæ Matricis Ciuitatis Platiæ. Volumus quoque locatores huiuſmodi, & conductores idoneum fideiuſſorem præſtare, ſecus locatio, aut conductio irrita ſit, & nulla.

16 Irrita quoque & nulla eſt locatio facta vltra tempus à iure ſtatutum, tres nimirum ſupra annos, quibus non abſolutis nullus denuò conficiat gabellæ contractũ, niſi prius noſter acceſſerit aſſenſus.

17 Procuratores, ſeu adminiſtratores ſumere ne audeant anticipatas ſolutiones, quæ poſt ſui officij tempus fieri

fieri debebant, nec gabellas, cenſus, fructus, prouentus poſt ſui officij tempus maturandos cedant, vel expédant, aliàs irrita ſit ſolutio, vtpotè illegitima miniſtro facta, qui de proprio cogatur malè partum ſoluere.

18 Vbi Eccleſiæ cuiuſuis confraternitatis, ſodalitij, aut alterius loci pij prouentus, redditus annuales, vel eleemosynæ quinquaginta ſcutorum ſummam tranſiliũt, Theſaurarius omninò eligatur, penes quem illi redditus, ſeu prouentus, & eleemosynę deponantur, aliter debitores ſoluti cautela legitima carere intelligantur.

19 Vbi verò tenuitas eſt prouentuum, redditúum, atque eleemosynarum, quidquid colligitur in arcula tribus clauſa clauibus reponatur, quarum ſingulas tres maiores officiales habeant.

20 Expenſiones neceſſariæ pro Eccleſia, aut legati pij exequutione faciendæ non niſi de omnium Rectorũ, ſeu maiorum officialium mandato, & in ſcriptis fiant; aliàs de proprio ſoluere prędicti officiales cogantur. In his autem mandatis, verę, non ſimulatę expenſionum cauſę declarentur ſub pœna excommunicationis latę ſententię.

21 Apud eundem Theſaurarium, ſeu depoſitarium ſint capitalia cenſuum, aliorumque bonorum Eccleſię pretium, nec niſi in alijs redditibus ex noſtro, vel Vicarij Generalis, in diœceſi verò foranei approbatione, aut in eo, quod fundatores pręſcripſerunt, applicetur; ſecus de proprio Theſaurarius teneatur. Dum autem capitalia demortua (vt vulgo dicitur) penes depoſitarium ſeruantur, hic eorum notam, & fidem ad noſtram M. Curiam mittere obligatur, & tertio quoque menſe de illorum illæſa cuſtodia nos admonere; qui in hoc negligens fuerit vncijs plectetur decem.

Porrò

22 Porrò hic Theſaurarius ſeu Depoſitarius nullo modo depoſitas pecunias mutuas etiam ſufficienti, argenteoque, vel aureo pignore retento, dare queat, aut negotiationi exponere, nec apochas, aut ſolutionum fictarum chirographa, niſi re vera omnem nummorum ſummam receperit, conficere poſſit, aliàs ipſo facto ſit excõmunicatus.

23 Expẽſas alicuius mométi, etiã pro fabricis, vel ornamentis, adminiſtratores ne faciãt, nec debitoribus dilationem concedant, aut cum eis tranſigant, componant, bona obligata eximant, liberentque, nec vllam exordiantur litem ſine noſtra licentia; aliàs noſtro arbitrio grauiter multabuntur.

24 Denique noſtrorum prædeceſſorum veſtigijs inhærendo, & idemnitati bonorum Eccleſiaſticorum conſulentes diſtrictè mandamus cuicumque in noſtra diœceſi beneficia, aut pia legata poſſidenti, nec non ſingulis Eccleſiarum noſtrarum Rectoribus, piorumque locorum adminiſtratoribus, vt intra tres menſes à die publicationis huius ſynodalis conſtitutionis recognitorios actus cenſuum ad ſe ſpectantium conficiant, & ad noſtram hac de re deputationem deferant, nec non bonorum ſtabilium ſubiugatorum renouanda Confinia curent, quod deinceps quolibet decennio adimplere teneantur; aliàs beneficiales, ſeu legatarij prouentibus vnius anni careant; ſinguli verò Rectores, ſeu adminiſtratores vnciarum quatuor pœnam ſoluant. Denique de Procuratoribus, & Officialibus piorum operum, & Eccleſiarum idem omnino dictũ volumus, & obſeruandum, quod ſtatuimus de officialibus Confraternitatum, & ſodalitiorum.

Cap. II.

De Hoſpitalibus Infirmorum.

25 Noſtræ curæ eſt ſuper hoſpitalia Infirmorum, & quæcumque alia pietatis refugia inuigilare, vt fideliter, atque ſedulò ab aſſignatis adminiſtratoribus gubernentur, etiam ſi hi ſint aliàs à noſtra iuriſdictione exempti.

26 Non niſi probatiſſimis viris, ac timoratæ conſcientiæ id munus mandetur, ſeruata forma Clementinæ conſtitutionis 1, neque ex illis, qui hoſpitali eidē, aut alteri, vel alicui pio loco debitores ſint, inde œconomi, aut procuratores aſſumendi ſunt.

1 c. quia cō tingit de re lig. domib. Trid. ſeſſ. 7 c 15. de reform. & ſeſ. 25. c. 8.

27 Officiales Hoſpitalis ſuppellectilem, medicamenta, ac bona omnia, iuraque vtiliter tractent, procurent, atque in bonum infirmorum vſum, curamque conuertant, ſtudeant in primis vt omnes infirmi ad hoſpitale accedētes quam primum Sacramento pænitentiæ animæ maculas mundent, & cœleſti cibo reficiantur, ad patientiam, & cum diuina voluntate conformitatem animent, aſſidueque adhortentur.

28 Atque hic medicos ſui officij commonemus non ſolum pro hoſpitalium infirmis, verum etiam pro omnibus alijs, cuiuſcumque ſint ſexus, ac dignitatis, vt ſcilicet eos, niſi infra triduum confeſſi ſint, ne viſitare præſumāt; excipimus tamen caſus, quibus id eis permittunt graues Doctores, interpetrantes bullam Pij V. hac de re editam 2.

2 8. Martij 1566.

29 Præcipimus vt Deputati, & Procuratores hoſpitalium infra duos proximos menſes librum conficiant introitus, & exitus, habeantque inuentarium omnium bo-

norum

norum mobilium, ſtabilium, iurium, & actionum, illiuſque exemplum publici notarij manu ſubſcriptum in archiuium Curiæ noſtræ deferre teneantur ſub pœnis arbitrio noſtro. Inſuper vt ſingulis menſibus Deputati prędicti & Procuratores cum interuentu Vicarij loci congregentur in loco eiuſdem Hoſpitalis ad id deſtinato ad examinanda computa, introitus expenſiones, nec non ad diſquirendum an Hoſpitalis officiales exactè munus ſuum exequantur; quod ſi neglexerint ab officio remouebuntur.

3 Hoſpitaliũ œconomi Infirmos, qua decet, charitate, prompto animo, & hilari vultu recipiant, nec quidquam illis deeſſe patiantur, quod neceſſarium exiſtimatur vt ſalutem recuperent. Mulieres ſeiunctis à virorum lectulis, imò etiam & ædibus collocentur, atque omnibus quæ corpori, ſed præſertim animæ opportuna iudicantur remedia ſubminiſtrentur.

DECRETVM TRIGESIMVM.

DE MONIALIBVS.

1 QVemadmodum vnanimi Sanctorum Patrum cõſenſu comprobatur ſanctimoniales illuſtriorem eſſe portionem gregis Chriſti, ita maiorem, præcipuamque curam, & cogitationem in illas boni Paſtores conferre conſueuerunt, quorum ſanctè impreſſis veſtigijs inhęrentes, hæc inuiolabiliter ſeruanda ſancimus.

Cap. I.

De Clauſura Monialium.

1 HOrtum concluſum illarum monaſteria ſalutarunt Sancti Doctores; cuius in primis illa eſt prærogatiua, vt nemini pateat aditus, niſi cui per Dominum legitimum licet; & quidem interioris animi receſſus à ſęculo, quem moniales Deo vouerunt, nullum maius indicium eſt, quàm exterior, & rigoroſa monaſterij clauſura.

2 Quamobrem oſtia, quibus ad monaſterium intratur, ſemper clauſa maneant, vbi verò opus eſt aperire, ita fiat, vt nulla inde monialium aſpici, aut aſpicere queat, neuè tunc aliqua ad fores accedat ſine expreſſa Abbatiſſæ licentia; neque igitur monialis vlla, aut ſęcularis puella, ne ipſæ quidem præfectæ quemquam, licèt ſint parentes, & conſanguinei ſtricto gradu coniuncti, aut eiuſdem monaſterij officiales ad hanc ianuam alloquantur; inobediens tribus ieiunijs in vna tãtum hebdomada mulctetur, quod ſi obſtinatior eſt, ad nos deferatur, vt de grauioribus infligendis pœnis cogitemus.

3 Porrò per huiuſmodi ianuã non intromittatur, niſi quod per rotam introduci, aut exire nequit.

4 Clauſuræ leges pontificijs, & congregationis ſacræ, atque noſtris conſtitutionibus obfirmatæ ab omnibus, & ſingulis, quæ intra monaſterij ſepta quacumque ex ca uſa degunt, & cuiuſuis ſint generis ſeruari omninò debent, quare non ſolum monialibus profeſſis, ſed nequidem nouitijs puellis, educandis, & ſeruis clauſuram ſine graui piaculo, pœnisque frangere, vel è clauſuræ porta ſine licẽtia Epiſcopi exire fas eſto. In virtute igitur Sanctæ obedientiæ

centiæ cunctis, & ſingulis præfatis mulieribus præcipimus, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, atque carceris rigoroſi intra aliud monaſterium ad noſtrum beneplacitum, & pro qualitate delicti aſſignandi ne audeant quouis prætextu clauſuram Sacris canonibus præſcriptam, & à claſſicis doctoribus interpetratam frangere, aut ex illa fugere, vel quoquomodo ſine noſtra licentia ſcriptis obſignata è monaſterij ſeptis exire.

5 Nemini virorum, aut fœminarum ſecularium, quacumque dignitate prefulgeant, intra monaſterij clauſtra gradum, & pedem inferre licet, ſub penis per bullas pontificias nõ ſemel hac de re editas ineuitabiliter ſoluendis, præſertim verò excõmunicationis late ſententie & Romano reſeruate Pontifici preter eas, quas ad noſtrum arbitratum etiam & rigorosè dabunt; & ſi clericus eſt ſuſpenſus ab executione ſuorũ ordinum remaneat, quod ſi etiam beneficiarius eſt, ipſo facto priuetur, & preſentis decreti auctoritate fructus ſuos non facit 1; excipimus tamen caſum apoſtolicis permiſſum Conſtitutionibus, in quo ea ſunt ad apicem ſeruandæ circumſtantiæ, & cautiones, quas ipſe ſanctiones apoſtolicæ præſcribunt.

1 c. pericul. de ſtatu regul. & 5 Pius V. in conſt. circa paſtor. officij 29. Iunij 1566 Gregor. 13. in Conſtit. de ſac Deo virginibus 21. Ian. 1573.

6 Et ſanè non mulieri ſolum grandioris ætatis, ſed nec puellis, nec infantibus intra moneſterij clauſtra liberum aditum patere licet, ſine noſtra facultate ſcriptis expreſſa; quod ſi contrarium auſerit, & ingreſſa, vel intromiſſa vſum habeat rationis ſit ipſo facto excommunicata, ſicuti etiam ipſa Abbatiſſa, aut quæuis alia monialis, nouitia, educanda, vel famula, ſi id permiſit, aut ad talem ingreſſum auxilium, conſiliumue dederit; eamdem pœnam incurrat ſi quæ predictam infantem aut puellam rationis vſu expertem intra clauſuram introduxerit, vel ad id conſilium, aut auxilium praſtiterit.

Mo-

7 Monaſterij parietes à priuatorum ſæcularium, ſeu aliorum regularium virorum, & mulierum domibus diſtinctæ ſint, & ſeiunctæ, adeò vt, quo ad fieri poteſt, inſulas imitentur; quod ſi fortè aliqua adhùc inueniantur antiquitus conſtructa monaſteria, quæ à prædictorum adhærentibus domibus debitam diſtantiam obtinere non potuerunt, ipſorum monaſteriorum ea ex parte parietes obuallentur antemurale, vt non modò nullam habeant cum monaſterijs communicationẽ, ſed ne in illis habitantium ſermones obaudiri poſſint, & ad tantam parietes excreſcant altitudinem, vt omnis in prædictorum vicinorum domos, & feneſtras mutuus impediatur obtutus.

8 Monaſterij muri, qui ad ſæcularium ſunt vias, feneſtris careant, quod ſi ad lucem interiùs neceſſariam recipiendam aliquas oportuerit patefacere altiori, quo poteſt, conſtruantur loco, adeò vt ad eas difficilis monialibus pateat acceſſus, nec non ferreis intra quatuor mẽſes communiantur cratibus, ſecùs Abbatiſſa per menſes ſex ab officio ſuſpenſa remaneat; ſi verò aliquæ ſint intra ipſum monaſterium feneſtræ, quæ faciliter à ſæculariũ vicinioribus domibus ſpectari queant, ligneis ſaltem ſępiantur cancellis, aliàs ſuperior per menſem ſuſpenſionis pœnam ſubeat.

9 Meretrices, ceteræque mulieres commaculatę famę propè monialium monaſteria non habitent; contrauenientes Vicarius loci per annum carceribus publicis retineat.

10 Nec ſpectacula, ludos, ſaltationes, nec queuis profana exercitamenta prope monaſteria permittat Vicarius; contrarium audentes excommunicationis pęna ligabit.

11 Maiorem Eccleſię portam (minores enim intrinſecùs

ſecùs obfirmentur;) ſic etiam poſtici, ſeu porticus ianuam vectis valida à parte exteriori clauſurę occludat, cuius clauem ſemper cappellanus retineat, qui per ſe ipſum non ante ſolis ortum, nec poſt eiuſdem occaſum hęc oſtia aperiat, nec collocutorij ianuas aperiri, vel claudi permittat ſine vrgentiſſima neceſſitate, de qua ſtatim Vicarium loci commonefaciat, aliàs ſuſpenſionis ab officio per annum pœnam luet.

12 Tempore ęſtiuo, nempè à Kalendis Iunij ad primam Octobris lucem eiuſmodi Eccleſię, & collocutorij oſtia poſt omnium miſſarum celebrationem clauibus occludantur, nec niſi abſolutis in choro Veſperis aperiantur: huius decreti obſeruantiam curent omninò Vicarij foranei, & Cappellani, ſi nolint grauiter à nobis puniri.

13 A parte verò interiori ianuę porticus, qui clauſuram terminat compactę artificio, & diuerſis claudendę clauibus ſint ſerę inſertę, quarum vna penès Abbatiſſam, altera penès Vicariam ſeruetur; ſecùs per menſem, quę in re tanti momenti negligens fuerit ab officio ſuſpendatur.

14 Scalę ligneę, quę ad nutum loco moueri poſſunt, nec in parte interiori clauſtri, nec in exteriori, neque in ipſa Eccleſia detineantur ſine Vicarij loci licentia, quā pro minoribus tantum ſcalis dabit, & ſummè neceſſarijs; ſub pœna depoſitionis Abbatiſſę

15 Nemo eccleſiaſticus ille ſit, vel laicus, quacumque dignitate pollens interdiù, noctuuè ſepta monaſterij fidibus, aut alio quouis muſico inſtrumento circumire audeat, aut cantilenas emodulari; ſecùs per ſingulas vices eius temeritas vigintiquinque vncijs punietur; nec quiſquam ad monaſterij incolas erudiēdas muſica,

aut

aut aliquod inſtrumentum pulſando ſine noſtra expreſſa licentia accedere audeat; inobedientes vnum menſem carceris pœnam ſubeant.

Cap. II.

De Monialium Eccleſijs.

16 SAnctimonialium Eccleſias decet præcipuo quodam modo ſanctitudo, & decor, quippe quæ, & Chriſti Domini ſponſæ ſalutantur.

17 Ea igitur omnia, quæ de Eccleſiarum fabrica, ornatuque, atque diuinis officijs ſupra diximus, hic etiã pro Monialium Eccleſijs reſpectiuè mandata intelligãt.

18 Inſuper volumus in monialium Eccleſijs ſanctiſſimam Euchariſtiam ſeruari in altari maiori extra monaſterij ſepta vt à Tridentina Synodo ſancitum eſt.

19 Nemo Sacerdos regularis ille ſit, aut ſæcularis ſine noſtra, ſeu Vicarij Generalis in Vrbe, in Diœceſi verò ſine Vicarij loci licentia celebrare audeat in Eccleſia monialium ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis. Ij autẽ Sacerdotes, quibus facta fuit poteſtas inibi celebrandi, ſacrificio peracto, & redditis deuotè Deo gratijs vna cum miniſtris, vlla ſine mora, diſcedant, nec ad moniales alloquendas declinent, aliàs acceſſus ad earum Eccleſias in poſterum denegabitur, vltra pœnas, quas cum monialibus ſine licentia colloquentes incurrunt.

20 Idẽ de reliquis omnibus viris dictũ eſſe volumus, qui illas viſum Eccleſias, aut ad Deum ibi preces dandas, vel quauis alia de cauſa, veniunt; imò nec exteri viri, aut mulieres concionibus, quę ad moniales habẽtur ad Eccleſiæ, aut locutorij crates poſſunt intereſſe

ſub

ſub pœna ad noſtrum beneplacitum infligenda.

21 Non alibi quam in Eccleſia ad ſacras peragẽdas confeſſiones duæ feneſtellæ conſtituantur, quibus laminæ ferreę perforatę affigantur, quę intrinſecus tela obductæ ſint, ita vt nec ipſæ moniales inde cerni, nec quępiam ſpectare poſſint; Tertia etiam in Eccleſia ſit feneſtella cęteris ornatior, & decentiori, atque patentiori loco ſita, vnde Sacra Euchariſtia monialibus communicari commodè valeat; ea autem ſit altitudinis vnius tantum palmi, latitudinis tamen dimidij, binis portulis ligneis, totidemque clauibus intrinſecus ſcilicet, & extrinſecus occluſa; & ad nullum alium finem aperiatur; ideoque omnibus, etiam ipſi Abbatiſſę interdictum ſit ſub pœna excommunicationis ea feneſtella vti ad colloquendum.

22 Cum ſollemnem aliquem diem celebrare continget, caueat diligenter Abbatiſſa, & Cappellanus, ne nimię ſint moniales in ſuis ſonandis campanis, & in campanarijs turribus morando; quare ter ſolum in peruigilio campanas pulſare permittimus, nempè in aurora, meridie, & prima noctis hora, ita vt pro qualibet vice eiuſmodi ſonus continuus, vel interruptus non excedat vnum horę quadrantem. Similiter vbi aliqua ad Nouitiatum eſt admittenda, vel ad profeſſionem, nonniſi tribus tantum ante diebus hęc ſacra functio campanarum ſolemni ſonitu celebretur, ſcilicet tribus ſolum in dies vicibus, in aurora, meridie, & prima noctis hora. Denique idem omninò mandamus obſeruandum in funeribus, vel monialium, vel cuiuſcumque alterius perſonę; quod ſi in prędictis, vel prędictorum aliquo contraueniatur, ſit Abbatiſſa per menſem ab officio ſuſpenſa, alijſque ad noſtri arbitrium pœnis ſubiecta; & quę in

eiuſmodi ſonũ has pręfixas regulas fregerunt pro ſingulis vicibus ieiunio pane tãtũ, & aqua mulctentur.

Cap. III.

De ijs, quos opus eſt intra Monaſterij ſepta aliquando introduci.

23 ET ſi ſacroſanctè monaſterij clauſuram cuſtodiri mandent Sacri Canones, non indè tamen eſt, vt ijdem in caſibus infirmitatis, ſeu alterius neceſſitatis non concedant officialibus neceſſarijs ad illud aditum, inter quos primum locum obtinet Cappellanus, & ordinarius Confeſſarius.

24 Huic igitur mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ne in monaſterium ingrediatur niſi ad infirmæ vita periclitantis, & de conſilio medici confeſſionem audiendam, ſacro viatico, & extrema vnctione muniendam, atquè ad eam, ſi opus eſt, in vltimo agone piis Eccleſiæ precibus confortandam, vel aliquoties in anno ex licentia Vicarij loci, & Abbatiſſæ ad aures prębendas confeſſionibus illius, quam longus morbus in lecto, aut cubiculo detinet abiectam.

25 In his autem, & ſimilibus caſibus, quibus ei licet intra clauſtra ingreſſus, meminerit quamque inuiſere non poſſe, nec confeſſiones audire extra locum infirmis deputatum, niſi fortè caſus repentinus accideret, in quo vrgens neceſſitas perſuaderet alibi confeſſionem ſacramentalem faciendam; cęterum ſi ſecus fecerit ipſo facto Cõfeſſarius ab audiendis omninò confeſſionibus ſuſpenſus maneat.

26 Cum ad huiuſmodi pietatis officia præſtanda ingre-

gredi contigerit, ſignum campanæ detur, quo omnes tã moniales, quam ſęculares moneantur vt à virorum conſpectu, ſicuti virgines decet, modeſtè ſe ſubtrahant, tum Comitatrices ab Abbatiſſa cum Vicarij approbatione deſignatæ, quæ annum ætatis ſuæ quadrageſimũ expleuerint, Confeſſarium à ſecunda ianua ad infirmæ locũ vſque, recto tramite comitentur, nec aliæ præter eas illum alloquantur ſine licentia ſuperiorum. Excipimus tamen caſũ, quo panis Euchariſticus alicui infirmæ participandus eſſet, tunc enim omnes moniales cum luminibus ad interioris ianuæ limina Sanctiſſimum Chriſti Domini Corpus venerari, comitarique debent.

27 Quod de Confeſſario dictum eſt, multò magis de medicis, tonſoribus, fabris, agaſonibus, & cæteris quibuſcumque viris, ſi quando in monaſterij clauſtra intromitti neceſsè eſt, intelligi volumus; hi enim non niſi cum prædictis comitatricibus, dato priùs conſuetæ campanulæ ſigno, recto tramite, & abſque eo quod alicubi curioſitatis cauſa ſiſtant, vel cum aliqua ſermonem habeant, ad deſtinatum locum modeſtè ire debent, aliàs in eo officio à monaſterijs ſeruiendis perpetuò excluſus maneat, & menſtruę carcerationis mulctam habeat.

28 Antequam eiuſmodi ſęculares in ſepta monaſterij pedem inferant, arma, ſi quę habent, foris deponant, nec in monaſterium inferre audeant ſub pœna carcerationis.

29 Eoſdem monemus vt ſedulo caueant ne data vtãtur facultate, niſi vera, & neceſſaria adurgeat cauſa; & tunc licentiam in ſcriptis à Vicario gratis datam ex noſtro conſenſu penès ſe habeant, quam ſingulis annis mēſe Septembri per eumdem Vicarium ad noſtrum itemum renouandam curent; Inſuper aduertant ne ad ſuum ibi opus exercendum accedant ante ſolis ortum,

 nec

nec poſt eiuſdem occaſum; excipimus tamen caſum imminentis periculi, prçſertim pro medicis, & tonſoribus, quibus etiam atque etiam commendamus ne ibi longas nectant moras.

Cap. IV.

De Monialium Choro.

30 NIhil magis cœlicolum Choris ſimile, & diuinis auribus gratum in terris perſonat, quam ſacrarum Virginum pſalmodia; hanc vt benè moniales in Choro exerceant, obſeruent in primis vt mentem, cordaque ad Deum eleuent, ne de illis tunc improperari queat, populus hic labijs me honorat, cor autem corũ longè eſt à me.

31 Statutis diei, noctique horis omnes attentè, diſtinctèque ſacra officia recitaturç interſint choro, à quo non niſi iuſtas ob cauſas, & de Abbatiſſç licentia poteſt aliqua ſe ſubducere, adſint autem tempori, adeò vt officiorum initium daturç ſimul inueniantur; nec ſine publica neceſſitate illorum tempus deſignatum varietur.

32 Decenti habitu indutç ſiat, & ſuis quçque locis, niſi neceſſitas aliud efflagitauerit, ad finem vſque officij perſeuerent in Choro; in quo ea accendantur lumina, quç ſatis eſſe prudens diſcretio Abbatiſſç exiſtimauerit.

33 Cantus, & modulationes pro feſtorum dierum, atque feriarum diuerſitate varientur, genuflexiones, ſeſſiones, capitum inclinationes, ceterçque ceremoniç ad ordinis, rubricarum, & regularum normam ritè componantur.

34 Non niſi orandi cauſa, vel diuini officii perſoluẽdi

di penſum in Choro immorentur, à quo ſi legitimè im-pedita abeſt aliqua, priuatim horas canonicas, & deuotè recitare ne omittat, à quibus eas tātū excuſaret impotétia arbitrio prudentis Confeſſarii, & Abbatiſſę. In prima, & Completorio ad Confiteor nihil addāt, pręter id quod in Breuiario habetur, nihiluè immutent; nec vice *Pater, & fratres*, tibi *mater, & vobis ſororibus* dicant 1. 1 ex decreto S. Cong. §. 141.

Cap. V.

De Collocutionibus exterorum cum Monialibus.

35 IN hac re ſemper Summorum Pontificum, concihorum, & Pręſulum potiſſima deſudauit induſtria, vtpotè omnium malorum, quæ in monaſterijs deplorantur, origo eſt, & radix; ijs autem vt quam poſſumus maximo ſtudio occurramus, viſum eſt hæc conſtituere inuiolabiliter obſeruanda.

36 Et primò quidem locus collocutionibus deſtinatus ſit omninò extra Eccleſiam, ideoque ſi aliquam ad Eccleſiæ crates ſermonem cum exteris miſcere deprehenderit Abbatiſſa, eam ſtatim die ſequenti ieiunio cum pane tantum, & aqua caſtiget; quod ſi in eadem perſeuerauerit temeritate, ad nos deferat, vt ad grauiora deueniamus. Si quę autem auſa fuerit in feneſtella Sacræ communionis cum exteris loqui, ſit ipſo facto excōmunicata.

37 Ædes colloquijs deputata, quam vulgò *Parlatorio* appellant, munda ſit, & ſacris ornata imaginibus cum ſuis ſcamnis, & cratibus ferreis illis ſaltem, quæ ſęculares reſpiciunt, & duplicatis, ita vt anterior, & ferrea

rea ab interiori, quæ lignea poteſt eſſe, palmum ſaltem diſtet, & diſſideat: *Harum verò cratum foramina ſint* ita anguſta, vt per ea nec puellæ quidem manus traſmitti poſſit; quod ſi vna tantum ſit ea acutis, & ad digiti longitudinem protenſis armetur clauis, ita vt loquẽtis facies illis nequeant adhęrere; vel certè ferrea lamina foraminibus paruis perforata, quales in confeſſionalibus haberi ſolent, apponatur; omnes tamen obſerari à parte interiori debent crates, & earum claues apud Abbatiſſam ita diligenter cuſtodiri, vt abſque eius facultate nemini liceat recludere ſub pœna carceris per hebdomadam. Similiter rotarum, quæ in Eccleſia, vel in locutorio circumaguntur, porta interior claue, quæ penès Abbatiſſam ſit, claudatur.

38 Ad collocutorium nulla niſi de Abbatiſſæ licentia accedat; in ea vna ſaltem auſcultatrix ſemper interſit, vt quos cum externis quibuſuis ſermones moniales ibi habent, audiat; excipimus tamen caſum, quo collocutio ſecretum expoſtulet, quod tamen nonniſi de eiuſdem Abbatiſſæ expreſſa licentia, & primò tantum conſanguinitatis, vel affinitatis gradu coniunctis, & his quidem raro permittatur.

39 Quapropter auſcultatricem iubemus munus hoc exequi ſtudioſè, & fideliter animaduertendo ſi quidquã proferatur non decens ſacratas virgines, & Abbatiſſæ eodem die renunciet ſub pœna trium ieiuniorum pane tantum, & aqua.

40 Affixa ſemper in ipſo collocutorio permaneat noſtri edicti formula, quam de collocutione exterorum cum monialibus nuper edidimus, & altera quidem interiùs pro ipſis monialibus, altera exteriùs pro accedentibus ad eas alloquendum patenti exponatur loco, à

quo

quo nemo auferre, vel abellere audeat ſine noſtra facultate ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

41 Eas igitur, quæcumque illæ ſint, quæ intra monaſterij cuiuſuis clauſtra vitam viuunt nemo regularium, clericorum, imò nec ſecularium alloqui audeat ſine noſtra, aut Vicarij Generalis facultate ſcriptis, & gratis danda, & non niſi eo tempore, loco, & circumſtantijs, quæ nos Sacrorum Canonum, & noſtrorum prædeceſſorum altè impreſſa ſequentes veſtigia hac Synodali cōſtitutione ſtabilimus; inobedientes ſint ipſo facto excōmunicati.

42 Alij ſint dies, quibus viri ad coloquendum poſſunt venire, ab ijs, qui externis mulieribus ſunt aſſignati; nempè feria tertia, & ſexta viris, cęteris verò diebus fœminis liceat, ſeruatis tamen ſeruandis.

43 Mulieribus à primo ad quartum incluſiuè consāguinitatis, vel affinitatis gradum coniunctis cum monialibus, aut ſecularibus monaſterij colloqui ità per nos conceſſum eſſe volumus, vt à prima Dominica aduentus Chriſti Domini ad eiuſdem ſacram natiuitatem excluſiuè, & à quarta Cinerum feria vſque ad Sabbatum ſanctum incluſiuè eas non adeant; excipimus, quæ primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctæ ſunt, quibus eo tempore bis in menſe id permittimus.

44 Declaramus noſtræ mentis non eſſe facultates huiuſmodi dare loquendi tempore, quo ſacrū, vt aiūt, conuentuale peragitur, vel diuina recitantur officia, aut in epulo cęleſti accumbunt, vel ad corporum refectionem communi aſſidunt menſæ.

45 Viri etiam pluries in anno iuxtà prudentiæ regulas ad loquendum ventitare poſſunt cum ijs, quas inter primus conſanguinitatis, aut affinitatis gradus intercedit;

dit; in aduentu tamen, & quadrageſima nonniſi ſemel in menſe; reliquos verò, qui ſecundò ſunt conſanguinitatis gradu obſtricti, & ſi bis in menſe ad colloquendum accedere non recuſamus, attamen in aduentu, & quadrageſima his crates adire pœnitùs interdicimus; Inobedientes, clerici ſint vel laici, vnciarum decem pœnam luant.

46 Cæteris verò quibuſcumque viris laicis moniales, vel puellas, aut famulas in monaſterio commorantes alloqui ſine noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licētia ſcriptis obſignata, gratiſque conceſſa ſeuerè prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt in edicto noſtro collocutorijs affigendo expreſsè quiſque legere, & timere poteſt.

47 Inſuper mandamus vt huiuſmodi facultatibus à nobis conceſſis moniales non vtantur, niſi poſtquam per ipſam Abbatiſſam viſæ fuerint, & prudenter approbatæ.

48 Quæ ſupra regularibus tanquam delegati Apoſtolici indiximus circa collocutiones cum monialibus hic etiam confirmamus, & ipſiſmet monialibus, atque puellis, & famulis monaſteriorum dicta eſſe intelligantur ſub ijſdem pœnis.

Cap. VI.

De Vita communi Monialium, & obſeruantia Regulæ.

49 AD monialium diſciplinam reſtituendam, promouendamque nihil antiquiùs nobis fuit, quā vitam communem in eis meliori, quo poteſt modo, intro-

troducere, vel collabentem reſtaurare; quod, & ſi opus arduum ſupra quam credibile eſt, eſſe non negamus, Deo tamen Optimo Maximo fauente, & miſerente, ipſis monialibus volentibus, fore vt ex animo contingat ſperamus.

50 In nomine igitur Ieſu Chriſti noſtri ſeruatoris decernimus,& indicimus vt omniũ noſtræ diœceſis monaſteriorum Abbatiſſæ vna cum Vicario loci, procuratore,& Cappellano ſub pęna priuationis officij intra quatuor menſes à die publicationis huius Synodi, ſcriptum conficiant, & ad nos mittant, quo temporalis ſtatus ipſius monaſterij, reddituum videlicet introitus, & exitus,nec non onerum, debitorum, atque creditorum,quæ nunc liquidò monaſteriũ habet, expreſsè declaretur, & numerus moniali ũ, puellarũ ſęculariũ, famulorũ,atque officialium omnium, qui in monaſterio continentur, quique extrinſecus eidem mercede, ſeu ſalario inſeruiunt; vt diligenter perpenſis omnibus à prudentibus arbitris per nos ad id ſeriò deputatis, ad eamdem vitæ cõmunis formam monaſteria, noſtrę diœceſis ſaltem in rebus ad victum, & veſtitum principaliter neceſſarijs componamus, ſeu potiùs reducamus.

51 Diſtrictè etiam præcipimus ne qua monialium peculium, aut quidquid proprietatem oleat apud ſe retineat;Inobediẽtes nouerint ſe in pœnas cõtra proprietarios ſacris fulminatas canonibus incidiſſe, quapropter omnes etiam atque etiam oramus, obteſtamurque, vt ſtatim ac hęc noſtra conſtitutio ad earũ peruadit aures, ad Abbatiſſam,ſi proprium fortaſſe poſſident, deferant, vt promiſſo ijs, qui relictis omnibus pauperem Chriſtum Dominum ſequuntur, pręmio potiantur.

52 Ideoque omnium monialium vnus, & idem ſit

veſtiendi modus, & color; nihil ſericum ſupra ſe habeât, ſed lana, vel lino contentę ſint.

53 Abbatiſſa, quę ad annonam neceſſaria eſſe iudicauerit tempori comparanda, & bonę qualitatis, conditioniſque curet: nec frumentum, vinum, oleum, & reliqua ad victum neceſſaria inter moniales diuidat, aut diſpertiat, vt ad ſuum ſingulæ arbitrium vtâtur, diſponant, vendant, commodent, donentue: hæc enim omnia monialibus interdicimus; ſed quæ neceſſaria ſunt ad vitam commodè, religioſèque ſubſtentandam communi exhibeantur in menſa, æqualiterque diuidantur; nec inde liceat cuiquam ſine expreſſa facultate Abbatiſſæ portionem aliquam comeſtibilium, aut potabilium auferre ſub pœna carceris per hebdomadam.

54 Dum corpus in menſa reficitur, ſuum etiam à lectione ſacra animæ alimentum tribuatur, & in dies ſingulos vnum aliquod ex regulæ capitibus prælegatur, ibique à cunctis ſilentium obſeruetur.

55 Vicaria antequam detur edendi ſignum, coquinam inuiſat, vt iudicet num omnia parata ſint, & conſueto tempore poſſint moniales ad refectoriũ accedere?

56 Quia autem à nimia negligentia Abbatiſſarum, vel potiùs indulgentia, & intolerabili ipſarum monialiũ libertate donandi, deuotęque Deo paupertatis contẽptu nonnulla monaſteria in maximas viuendi anguſtias deueniſſe, damnaque monaſticę diſciplinæ irreparabilia orta fuiſſe non ſemel, nec ſine ingenti animi angore obſeruauimus, viſum eſt nobis in Domino monialibus æquè, & conuerſis in virtute ſanctæ obedientiæ interdicere, ne cuiquam perſonæ, etiam charitatis, vel pietatis, aut eleemoſynæ prætextu dona, munera, pecuniam, aut aliud quidpiam, etiam ex ijs rebus, quæ ſibi

in

in vſum à monaſterio tribuuntur, licet potabiles ſint, aut comeſtibiles, vt panis, caſeus, vinum, oleum, cæteraque obſonia tribuere, aut largiri, aut vendere: contrauenientes profeſſas præter læthalē inobedientiæ culpam pro materiæ grauitate, proprietarum notam coram Deo, & hominibus incurriſſe declaramus, quod etiam intelligimus de ijs redditibus vitalitijs, quos pro libito dare ſine noſtra, vel Abbatiſſæ licentia nequeant.

57 Quod ſi recta dictet ratio, & legitima cauſa efflagitet, vt aliquid alicui à monialibus donetur, vel tribuatur, id nonniſi de Abbatiſſę licentia expreſſa fiat, contrarium nec Abbatiſſa, nec rotarum Præfectæ permittant; ſecus officio per annum priuentur; ne autem erga conſanguineos, vel benefactores grati animi officia hic omninò prohibuiſſe videamur, ſingulis monialibus bis in anno, videlicet natiuitatis, & reſurrectionis dominicæ feſtis diebus eſculenta, vel alia leuiora munuſcula ijs largiri concedimus, hæc tamen non excedāt vnius aurei ſummam pro qualibet vice, & dummodo id ſemper fiat ipſa ſciente Abbatiſſa; aliàs in ſuprapoſitas pœnas incurrent inobedientes.

58 Sciant omnes inſtrumenta publica, & contractus, quibus moniales de ſuis annuis redditibus vita durante, vel etiam, vt poſt ipſarum mortem alia ſuccedat, diſponunt nullius valoris eſſe, quaproptèr quacumque monialium profeſſarum ſuum obeunte diem monaſterium, cui ex tunc ea omnia bona, & redditus iuraque fuerunt acquiſita, ſuo iure ſuccedit: idcircò in his caſibus ſedulò curet Abbatiſſa ne qua cognationis, amicitię, ſeruitutis, aut alio quouis titulo quidpiam ex demortuę ſuppellectili ſibi vſurpet; contrarium præſtans, & Abbatiſſa permittens ipſo facto ſit excommunicata, à qua

cenſura nemo eam abſoluat, niſi priùs monaſterio reſtituat.

59 Nulla monialis cuiuſcumque generis res eſculẽtas, edulia, bellaria, ientacula, confectiones, vel alia ſimilia conficiat, aut coquat ad vendendum, neque ex aliorum expenſis cibos præparet ſine Abbatiſſæ licentia, quæ nonniſi pro primo gradu coniunctis infirmis detur; aliàs carceribus ad menſem includatur.

60 Sub pœna priuationis officij Abbatiſſę pręcipimus ne cuipiam carnium, ouorum, aliorumque comeſtibilium crudorum portiones diſtribuat; omnes enim vbi benè valent ad refectorium; ſi malè ad Noſocomiũ, reficiendarum virium cauſa communi cibo venire debent.

61 Cum & rixarum, & perturbationum vberem radicem eſſe ab experientia didicerimus ſi quæ monialis priuato ſtudio ſibi proprias in monaſterio educet colũbas, feles, catellos, aues, aliaque id generis animantia; ideoque pręſenti edicto cauemus ne in poſterũ hęc peculiaris cura, & proprietas alicui monialium, aut ſęcularium in monaſterio permittatur. Inobediens ipſo facto ijs animalibus priuetur, & carceribus menſem addicatur; noſtræ tamẽ mẽtis non eſt prohibere Abbatiſſę, quin poſſit alicui moniali concedere educare ſibi paucas gallinas ad propriũ tãtũ vſum, pręſertim in infirmitatibus, vbi monaſteriũ eas, vt par eſt, nequit ob pauperiem ſubminiſtrare.

62 Ne verò communitas quid detrimenti patiatur permittimus vt in monaſterio is numerus gallinarum, columbarumque in communi habeatur, qui ſatis monaſterio futurus videbitur.

63 Viciſſitudo munerum inter moniales, & ordina-

rium Confeſſarium, ſeu Cappellanum, & procuratorẽ monaſterij omninò prohibeatur ab Abbatiſſa, cui in virtute ſanctę obedientię pręcipimus, vt nos quamprimum certiores faciat, vbi huius decreti notabilem, frequentemque inobſeruantiam aduertit.

64 In ſingulis monaſterijs locũ pręparari volumus ſitu illuſtrem, & amęnum, ad quem moniales laborãdi, ſeu manualium operum cauſa conueniant, ibique magiſtra perficiatur; niſi id per ſe Abbatiſſa pręſtare malit. Interea lectio vitę alicuius Sancti, aut miracula ab vna perlegatur voce intelligibili; ſermones autem, vel cantus ne miſceantur, nec inde alicui diſcedendi facultatem Abbatiſſa facilè concedat ante pręfinitum tempus; lucrum autem ex communibus induſtrijs, & laboribus monialium Abbatiſſę in totius monaſterij vtilitatem tradatur; quę id in libro diſtincto pernotet.

65 Non licet ſine noſtra facultate depoſiti, & cuſtodię cauſa in monaſterijs pecuniam, gemmas, veſtes, aut eius generis res vllas pluſquam tres dies habere, quod ſi fortè aliquando neceſſitas vrgeat, vel à nobis impetretur facultas, vt huiuſmodi res pretioſę, vel nummorum ſumma intra monaſterium aliquod ſeruetur; volumus ea omnia diſtinctè, & inuentario priùs facto Abbatiſſę coram tribus monialibus antiquioribus conſignari; prohibemus enim id generis depoſita tradi veluti cęco quodam modo in capſis, vel arcis occluſa, & inuiſa.

66 Nemini intra monaſterij ſepta degenti quouis prętextu ſine noſtra facultate ſcriptis obſignata permittatur famulam habere peculiarem, & eius tantum famulatui deſtinatam. poterit tamen Abbatiſſa cum Vicarij foranei conſenſu aliquam aliquando ex communibus monaſterij famulis, vel conuerſis alicui deſignare,

quę

quę propter ſenectutem, aut infirmitatem illius miniſterio indigere iudicabitur; ne autem vnius priuato ſeruitio addicta eſſe cum aliarum offenſione videatur, ſubinde, & ex induſtria eam Abbatiſſa mutabit, aliamque ſubſtituet.

67 Nulla poteſt proprias habere cellas ſine noſtra expreſſa licentia, quam ęgrè, nec ſine iuſtiſſima cauſa dabimus; peruetuſtum enim, & probatum vſum communium dormitionis locorum ſemper, & vbiquè retineri mandamus; in ſuis autem cellulis nihil, niſi neceſſaria reponant; nam veſtimenta, cęteraque omnia in loco ſeparato, omnibuſque communi, quem *guardarobba*, appellant, ſunt aſſeruanda claue, quæ penès cellerariam, vel Abbatiſſam erit. Serica conopæa, puluinaria, culcitras, & ſtragulas in lectulo ſericas ſub pœna noſtro arbitrio tenere non audeant, & meminerint ſemper rerum mobilium vſum iuxta Trid. 1 ita eis eſſe permiſſum, vt earum ſupellex ſtatui paupertatis non repugnet.

1 ſeſſ. 25. c. 20.

68 Nulla in poſterum ſit monialis, quæ velo vtatur ſericò, vel curioſè, eleganterque plicato.

69 Nulla item profeſſa velum nigrum è capite habitualiter deponat ſine noſtra in ſcriptis obtenta facultate.

70 Si quæ monialium peculiares, & vita durante redditus habet, vel quid illi nummorum donatum, aut legatum ſit, hoc à Procuratore monaſterij eſt exigendū, vel ab eo, quem Abbatiſſa iudicauerit, atque apud ipſam Abbatiſſam, vel aliam depoſitariam deponendū, vt quādo neceſſitas occurret monialis, cuius cauſa exactum eſt, impendatur; quod autem ſupereſt in totius monaſterij conferendum eſt vſus ad ipſiuſmet monialis arbitrium, quod ſimiliter dictum volumus de ijs, qui

ma-

manuum ſuarum induſtria, atque labore, ex licentia Abbatiſſę, mercedes ſibi comparant, ſub pœna priuationis totius illius ſummæ, quam deprehendantur habere, aliaque ad noſtrum arbitrium.

71 Singulis ſaltem menſibus conſtitutiones, noſtra decreta, & edicta, quę propterea in vnum compilari, & vernaculæ reddi lingue mandauimus in refectorio, vel alio opportuno loco perlegantur, atque ſuper ijs varia capitula, vt aiunt, antiſtita teneat, & obſeruantię ſingulorum perdiligenter inuigilet.

72 Omnes moniales vnius horę spatiū quotidie diuinarum rerum meditationi impendant, quæ verò mēte celeſtia contemplari ignorant, Beatæ Mariæ Virginis Roſarium, aliaſque vocales orationes attentè, diſtinctè, & deuotè recitare id temporis, voce tamen ſubmiſſa, & quę cęteris contemplantibus moleſtię non ſit, ſtudeant.

73 Niſi morbus, aut legitima cauſa arbitrio Abbatiſſę excuſationem faciat, iubemus omnes monaſterij incolas quotidie ſacro intereſſe, & concionem, aut ſermonem, cum in earum templo, aut ad crates habetur, audire. Inobedientes prima, aut altera vice ieiunio corrigantur, quod ſi contumaces fuerint, ad nos deferantur, vt carceribus pro noſtro libito addicamus.

74 Ad vanas luctus oſtentationes, ſuperſtitioneſque in morte coniunctorum pœnitùs è Dei domibus exterminandas nullo modo Antiſtita permittat eam comploratu plurium, & fœmineis vlulatibus proſequi, nec pullato, atque lugubri moniales indui veſtitu in huiuſmodi occaſionibus, nec vltra primum à die obitus triduum à refectorio, & choro abeſſe patiatur, ſed à miſſę ſacrificio nunquam; ſecùs moniales inobedientes,

prę-

prçter excommunicationem, priuatione vocis actiuæ; & paſſiuæ mulctabuntur; & Abbatiſſa id permittens menſes ſex ab officij exercitatione ſuſpenſa remaneat; eamdem priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnam ſubibunt illæ, quæ trium dierum ſpatio elapſo perſiſtẽtem in luctu contra hoc decretum monialem audebunt inuiſere.

75 Nemini monialium vnquam licet, nec recreationis cauſa tempore bacchanaliorum, ſe virorum habitu veſtire, arma cingere, aut perſonatam incedere; contrauenientes excommunicationis latæ ſententiæ vinculis innodamus. Mandamus inſuper Abbatiſſæ ne repræſentationes, ſeu ſçcularium actiones cum habitu profano vllo vnquam tempore monialibus permittat; ſecus trium ieiuniorum pane tantum, & aqua pœnam ſoluet, aliaſque ad noſtri arbitrium.

76 Epiſtolas, ſchedulas, vel cuiuſuis generis litteras ad externos ſcribere, vel ab eis miſſas recipere cuicumque monialium, prçter quam Abbatiſſç, pœnitus interdictum eſto; quæ non paruerit carceri per menſẽ mãcipetur, quod ſi euenerit vt aliqua ipſis epiſtola à parentibus, vel à ſanguine propinquis deferatur, eam nec reſerare, nec legere poſſunt, ſed obſignatas Abbatiſſæ tradant aperiendas, legendaſque, quæ ſi in Domino iudicabit eas tradere poterit, ad quam diriguntur.

77 *Sub* eadem pœna prohibemus monialibus tùm profeſſis, tùm nouitijs ne libros à nobis non approbatos, aut qui ſpiritum non ſapiunt, detineant, perlegãtuè.

78 Nullo modo patiatur Abbatiſſa pecunias monaſterij, multoque minus alicuius monialis, vel ſçcularis educandæ mutuo exponi cum fœnore, & pignoribus, aut alicui negotiationi cum palliata vſura; aliàs tùm

Abba-

Abbatiſſa, tum monialis, vel educanda inobediens vltra pœnam proprietariorum, excommunicatione ligabuntur.

79 De corporis, & animi puritate, earumque omnium, quæ in Domo Dei ſunt, caſta conuerſatione, non eſt cur multa dicamus, cum certum ſit ſanctimoniales Angelorum imitatrices eſſe debere, vt diuinum agnum, qui paſcitur inter lilia, ſequi mereātur quocumque ierit; & aſſequentur proculdubio ſi ſenſus externos, præſertim oculorum, aurium, & linguæ diligenter cuſtodiant, ſi à perniciosis familiaritatibus abhorreant, ſi corpus prudenti, aſſiduaque caſtigatione in ſeruitutem redigant, ſi denique pœnitentię, & Euchariſtiæ ſacramentis ex Confeſſarij conſilio frequentem, & cum ſumma animi deuotione operam nauent.

80 Atque hic aduertimus, quod Conciliũ Triden. 1 mandat omninò à ſanctimonialibus obſeruandum, nimirum vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, vt eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas.

1 ſeſſ. 25. de regul. c. 10. Clemen. ne in agro § ſane, de ſtatu monial.

81 Ad plures animi perturbationes euitandas, & ſcandala præcipimus ne quos intra monaſterij clauſtra moniales, præſertim ſuperior, defectus committit, externis dicant, neque cum his de Abbatiſſæ, aliarumque officialium electione agant, aut de controuerſijs, quæ alicui fortè monialium intercederet cum Superiore, Abbatiſſa, alia moniali, viſitatoribus, Confeſſarijs, Cappellanis, & ſimilibus: ſecus facientes carceri per mēſem emancipentur, & excommunicationi ſubiaceant.

82 Totam in dormitorio noctem lampas ardeat; antequam decumbant ſignum tintinnabuli detur, vt vna-

colligenda deputamus; non propterea prohibitum volumus Abbatiſſæ ne munuſculum aliquod comeſtibiliũ totius communitatis nomine ad huiuſmodi viros grati animi ergo mittere poſſit.

87 Vbi de noſtra licentia concio ad crates erit habenda, claudantur ianuæ Eccleſiæ, nulluſque in ea remaneat præter monaſterij Procuratorem, & Sacriſtam, quorum alteruter concionatorem adducat, & reducat; admonemus autem regularem concionatorem tunc ei non licere cum monialibus miſcere confabulationes.

88 Nemini ex ijs, quæ in monaſterijs noſtris degũt, nec quidem ipſi Abbatiſſæ licet venditionum, emptionum, locationum, pignorationis, tranſactionum, apocarum, aliorumque contractuum genera ſuper bonis ipſiusmet monaſterij ſine licentia noſtra, aut Vicarij Generalis, in Diœceſi verò ſine aſſenſu, & præſentia Vicarij foranei. Inobedientes voce actiua, & paſſiua perpetuò priuabuntur, & ipſe Notarius ſeuerè caſtigabitur; eos autem contractus ſine prædicta facultate, vel præſentia nullam habere vim declaramus.

Cap. VII.

De Infirmis.

89 NE valetudinis recuperandæ, ſeu conſeruandæ prætextu, quod ſœpè ſępiùs accidit, paupertas religioſi ſtatus præſidium labefactetur, iubemus in quouis monaſterio vnum, aut alterum cubiculũ, vt neceſſitas poſtulat, deputari, vel quantocyus extrui valetudinarij inſtar, in quod omnes moniales, & conuerſas tàm profeſſas, quàm nouitias ægrotantes deduci

volumus; atque in virtute ſanctæ obedientię mãdamus; ibique humaniter, benignèque tractandas, & à ſingulis alternatim viſendas, dulcibuſque alloquijs ſolandas curet Abbatiſſa

90 At ſi quæ infirma fortaſſe, quod abſit, ſanctæ obedientiæ contemptrix deprehendatur, & ad comune noſocomiũ venire obſtinatè detrectet eam nec à medico viſitari, neque medicinas illi præſcribi, imò nec à cõfeſſario audiri, abſoluique permittatur ſub pœna excõmunicationis. Excipimus hic tamen caſum repẽtinum, qui aliud iuxtà prudentiæ leges fieri dictauerit.

91 Quia virentis obſeruantiæ ſignum non obſcurũ eſt in monaſterijs cura, & charitas erga ægrotas, ideoque iubemus, vbi ea viget omni ſtudio Abbatiſſam incumbere ad infirmis tempori præſtãda ea omnia, quæ medicus præſcribit, atque ſuppeditare omnes ſumptus, qui ad earum curandos morbos, & valetudinem confirmandam iudicabuntur prudenter, & religiosè neceſſarios iuxtà monaſterij obſeruantiam.

92 Præterea vni, aut alteri monialium patientia, charitate, & viribus corporis pollenti ægrotantium ſororum curam demandet, quæ, vbi opus eſt, ex conſilio, & facultate ipſius Abbatiſſę aliquot ad tẽpus determinatum auxiliatrices famulas ſibi adhibeat, reliquis autem ſiuè monialibus, ſiue ſęcularibus expreſsè prohibitum ſit cognationis, aut particularis familiaritatis titulo ęgrotantium ſeruitio, ſine approbatione Abbatiſſę ſeſe immiſcere, aliàs hebdomadam carceris pœnam ſubeant.

93 Porrò ſicuti in valetudinario cõmuni verè ęgrotantes febri, vel alio graui morbo laborantes commorari omninò iuſſimus; ita conſcientiam earum monia-

lium, ipſiuſque medici, qui ad id conſilium prębuit, oneramus, ſi ſine legitima cauſa, & vera infirmitate in huiuſmodi cubiculis degere, & infirmantium alimenta, atque medicamina ſumere audent, & reſtitutionis reas eſſe declaramus.

Cap. VIII.

De Nouitijs admittendis, & inſtituendis.

94 AD vitam communem in monaſterijs, quæ vehementer nobis cordi eſt, promouendam, obfirmandamque mandamus nullam in tyrocinium deinceps admitti, niſi in eo monaſterio, in quo communis vita, & regularis viget obſeruantia.

95 Nulla autem in nouitiarum numero reponatur, niſi præhabita priùs in ſcriptis noſtra, aut Vicarij Generalis facultate, nec antequam ætatis ſuæ annum duodecimum ſaltem agat, & honeſtis ſit parentibus, atque legitimo matrimonio procreata.

96 Iam verò vbi aliqua ſtatum religioſum, & tyrocinij initia ponere efflagitat, hæc ad amuſſim ſeruanda ſtatuimus, vt primò coram Vicario, vel Viſitatore, aut eo ad id à nobis deſtinato Profeſſę omnes capitulariter congregentur; quę deinde in maiorem Dei gloriam, & monaſterij vtilitatem animum intendentes, ſecretò ſuffragium ferant, atque ſi ex tribus partibus capituli duę recipiendam eſſe cenſebunt, admittatur, ſecùs excludatur 1.

97 In habitus ſuſceptione gentilium feminarum nomen

1 ita etiam mādatū eſt in antiqua Synod. Catan. Torres fol. 212. n. 80.

men non aſſumant, ſed Sanctarum, quarum in martyrologio memoria recolitur; nec *Don*, vt vulgò dicitur, ſuo nomini prępona; non enim hoc, nec inter moniales Benedictinas, conſuetum eſt.

98 Ad profeſſionē autem nulla admitti debet ſi ſextum decimum ętatis annum non expleuerit, & confirmationis ſacramento munita non fuerit, nec quę legere neſcit, & diuinum officium recitare; hanc autem ſcientiam in commiſſarum profeſſione non requirimus.

1 ſeſſ 25. c. 15. 99 Iuxta Concilium Tridentinum 1 nullam illius profeſſionem declaramus, quę ante exactum, & integrum nouitiatus annum emiſſa eſt.

100 In tyrocinium receptę habitu nouitijs ex regula ſtatuto omninò vtantur; ſecùs illud tempus pro nouitiatu non computetur.

101 Nouitię cuiuſcumque dos monaſterio aſſignāda ducentarum minimum vnciarum quantitatem expleat, vel decem ſaltem vnciarum redditus annuales liquidò conficiat pro capitali ducentarum vnciarum ad rationem ſaltem quinque pro centenario, ſalua tamen conſuetudine loci, de qua certior fieri debet Prę atus quando caſus continget.

102 Dotium autem pretium, quod ad numeratam pecuniam redigitur, ſic etiam capitalium quorumcumque ſummas, aliorumque monaſterij nummorum depoſita, vel penes Depoſitarium à nobis electum, vel intra ipſum monaſterium in Arca ibidem ad id deputata conſeruari iubemus, cuius arcæ vnam clauem Abbatiſſa, alteram Celleraria, & tertiam in vrbe Vicarius Generalis, in Diœceſi verò foraneus Vicarius retineant, nec in alium effectum, quàm in reddituum emptionem vltrà ſummam vnciarum decem, & hoc etiam de Epiſcopi

pi licentia applicentur dotium capitalia, quod etiam in reemptione aliorum reddituum obſeruandum eſt, aliàs contractus nullos eſſe declaramus, & grauiſſimis pœnis contrauenientes exercebimus.

103 Alimentorum pretium tempore, quo Puella Tyrocinium ponit, anticipatè ſoluendum eſt, quod etiā de educandarum alimentis dictum intelligatur.

104 Sub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus monialibus, Abbatiſſis, Procuratoribus, alijſque officialibus, ad quos pertinet, ne quid, etiam ſponte oblatum, recipiant pro admittenda nouitia, præſertim ex ijs, quæ ad certum numerum ex pia teſtatorū voluntate in aliquod monaſterium gratis recipi debent.

105 Tàm in habitu ſuſcipiendo, quàm in emittenda profeſſione vani omninò euitentur ſumptus, & pompæ, ſed is Eccleſiæ ornatus tantum adhibeatur, quæ ſpiritualis letitię ſigna pręſeferant; quapropter & igneorum tormentorum, ſeu *maſculorum*, vt vocant exploſionē, & aliarum campanarum, prętermonaſterij ipſius, ſonū ſolemnem, & feſtos ignes in feneſtris, & campanilibus in poſterum ob huiuſmodi occaſiones omninò prohibita eſſe volumus; nec denique in eiuſmodi celebritate pluſquam quindecim, aut viginti ſummum ſcuta impēdi poſſit; quæ ſecus Abbatiſſa permiſerit ſex menſes officij adminiſtratione ipſo facto ſit interdicta.

106 Quia viduas honeſtas aliquando iuſtiſſima cauſa dictat in monaſterium admitti, ſtatuimus eas ibidem laicorum modeſto habitu, non verò monialium indui.

107 Non ſine ingenti admiratione percipimus aliquot eſſe in noſtris monaſteriis nouitias, quę multos ab hinc annos Tyrocinium protrahunt abſque ſpe, imò, quod peius eſt, & intolerabile, abſque voluntate profeſſio-

feſſionis faciendę, nec etiam monaſterio alimenta ſol-uendi; ideoque diſtrictè pręcipere in virtute ſanctę obedientię viſum nobis eſt omnibus, & ſingulis Abbatiſſis, vt elapſo nouitiatus anno, ſi quæ detrectat, vel non poteſt ſolemnem profeſſionem nuncupare, ad nos ſtatim deferant, idemque ne è noſtra elabatur memoria ſingulis anni menſibus replicent, vſque dum illa vt nos efficaciter curabimus, profiteatur, vel habitu religioſo priuetur, aut ſi opus eſt è monaſterio expellatur; illæ verò, quæ in præſenti nouitiæ antiquatę inueniũtur infra quatuor menſes à die publicationis Synodi numerandos, vel ſe ſolemni ligent profeſſione, vel ſuam petant domum, quod ſi aliqua de cauſa intra monaſterium commorari debẽt, ſtatim religioſo habitu exuãtur ſub eadem pœna, & pręcepto.

108 Duos menſes antequam nouitia ſuę probationis annum compleat nos Abbatiſſa commonefaciat de illius moribus, & ſufficienti dote, item ſi profectum in virtutibus fecit, & an diuinum ordinare, & recitare officium calleat, vt ſeruatis, quę hac in re Tridentinum mandat Concilium, ei tempeſtiuè facultatem impertiamur ſolemnia vota nuncupandi. Debet interea Abbatiſſa, & Tyronum Magiſtra ipſorum votorum onus, & naturam explicare nouitię, eamque adhortari vt vitam communem, & regulas pro ea datas ad mortem vſque ſeruari ſtudeat, promittat, & ſi ita fert animus iure iurando confirmet.

109 Ex monialibus profeſſis, & antiquioribus vna ſeligatur prudentia, & virtutibus conſpicua, cui nouitiãrum magiſterium, & inſtitutio committatur, huius officium eſt nouitias monaſticis moribus imbuere, regulas edocere, ad legendas, ordinandaſque horas canoni-

nonicas, & ad vitę ſanctimoniam ſuis præſertim exemplis erudire.

110 Segregata ſit à reliquis nouitiarum habitatio, in qua nulla alia, etiam ſtrictiſſimo gradu coniuncta, monialis, præter nouitiarum magiſtram, degat; quæ Tyrones ſuas cum ſæcularibus externis nec viris, nec mulieribus ſermonem miſcere vllo modo ſinat, præter quam in caſibus, in quibus ſolum accedere propinquos ad craticulas colloquutorij permiſimus.

111 Singulis annis, quantum fieri poteſt, mutanda eſt nouitiarum Præſes. Præcipimus etiam ne vltra numerum pro quolibet Monaſterio à nobis in inſtructione vulgari deſignato aliqua nouitia recipiatur. Inſuper ne tertia ſoror ſi apoſtolicam non impetrauerit licentiam in monaſterio, in quo duæ aliæ manent moniales, recipiatur ad profeſſionem.

112 Nouitiarum magiſtra librum habeat, ſeruetque penès ſe perquam diligenter, in quo diem, quo aliqua religionis habitum aſſumpſit, & Tyrocinio nomen dedit, & quo profeſſionem ſolemnem emiſit, cui illa monialis, quæ profitetur propria manu ſubſcribat, vel ea ſcribere ignorante id præſtent duæ ex antiquioribus monialibus, vt de ſingulis in poſterum certa ratio habeatur.

Cap. IX.

De Puellis Sæcularibus, quæ in monaſterijs educantur.

113 SAncitum olim fuit, & maximè cautum vt illæ dumtaxat puellæ in monaſteria reciperentur,

quæ in ijs ſolemnia vota profitendi firmum habuiſſent animum: nihilominus re poſtea iterum, iterumque diſcuſſa, Sacra Congregatio 31. Auguſti an. 1575. poſſe declarauit puellas honeſtas in ſanctimonialium domibus recipi, & educari, vt vel inſpirante diuino afflatu regularem ſuo tẽpore recipiant habitum, vel ad ſæculum pro ut meliùs in Domino ipſis expedire iudicauerint, regrediãtur; dũmodo huiuſmodi monaſteria ante Concilium puellas eius generis recipere conſueuerint, cæteræque conditiones ſeruentur, quas ad hunc finem Sacra Congregatio ſtabiliuit; & nos pręſenti Synodali decreto libenter recipimus, & approbamus, eorumque diligentem obſeruantiam omnibus, ad quas attinet diſtrictè iniungimus.

114 Pręterea ad has puellas educationis nomine legitimè recipiendas requiritur noſtra ſcriptis ſignata facultas, deinde vt maior pars profeſſarum ad id capitulariter congregatarum per ſecreta ſuffragia conſentiat.

115 Monaſterio alimenta de more taxata ſingulis ſemeſtribus anticipatè ſoluere debent; ſecùs ad ſuam remittentur domum. Ad maiorem autem horum alimentorum ſecuritatem idoneam priùs cautionẽ, & quo ad fieri poteſt clericorum à nobis probandam pręſtent, ſuper cuius ad nos informatione Vicarij, Procuratoris, ipſiuſque Abbatiſſę conſcientiam oneramus; nullo autem modò permittendum, quod earum parentes, aut alio gradu adſtricti puellis in dies victum traſmittant, ſicque à ſoluendis alimentis eximantur; hoc enim in aliquibus monaſterijs factum aliquando eſſe vehementer dolemus, & ne deinceps fiat ſub depoſitionis ab officio Abbatiſſę prohibemus.

116 Quod ſi ſemel illarũ aliqua è monaſterio exie-

cit ampliùs in idem non recipiatur; niſi fortè infirmitatis cauſa de noſtra, & medicorum licentia exierit; vel niſi in eodem vitam monaſticam decreuerit amplecti.

117 Dum in monaſterio degunt nullam prorſus ſecum ſociam, aut famulam adducant.

118 Puella educanda minor ſeptem, aut maior 25. annis admittenda non eſt, quod ſi in monaſterio degés vigeſimum quintum annum compleuerit, nos ſtatim Abbatiſſa commonefaciat, vt niſi vrgentiſſima neceſſitas contrarium dictauerit, egredi mandemus.

119 In monaſterio fuſci coloris veſtibus, non ſericis vtantur, nec vllo prętextu vana, exquiſitaque ornamenti forma ſe ornent, nec vultum colorent, tingãtque capillos; vſum verò ceruiſſę, aut purpuriſſi tũ monialibus, tùm ſęcularibus ſub excommunicationis latę ſententię pœna interdicimus; à cincinnis in auribus, torquibus, monilibus, cęteriſque eius generis profanis delicijs omninò abſtineant.

120 Lectulum ijs, quibus moniales vtuntur, ſimilẽ habeant, modeſtiam vndique, & compoſitionem redolentem; & quidem in loco ſeparato à monialibus, nec ſociatæ dormiant ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, quin & interdiù à loco, quo ipſæ moniales communiter manuum operibus vacãt abeſſe debent; niſi aliter aliquando iudicauerit Abbatiſſa.

121 Cum nulla monialium nimia ſe familiaritate adſtringant; cum externis, præterquam cum cõſanguinitate, vel affinitate proximo gradu coniunctis, nullam conſuetudinem habeant, nec amicitiam incãt, in quo ipſarum Antiſtitum conſcientiam oneramus, vt ſtatim delinquentes ad nos deferant.

122 Clauſuræ leges dum in monaſterio viuunt eaſ-

dem prorſus, & ſub ijſdem pœnis, quas omnes præſenti conſtitutione pro puellis educandis hic renouamus, & iniungimus, ſeruare debent ſicuti ipſæ moniales.

123 Si eatum aliqua matrimonio fuerit collocata, ſtatim ad parentes, vel propinquos remittatur; quod ſi id cum ea maxima celeritate, qua iubemus fieri ex legitimo impedimento nequeat, nos Antiſtita admoneat, vt ſi expedire in Domino arbitrabimur, commorandi eidem puellæ facultatem faciamus ad alium menſem, quã ſanè denuò non protrahemus. Interea verò ſponſum ne alloquatur niſi præſente Abbatiſſa, vel aliqua è ſenioribus monialibus à nobis deſignanda. Sed nec interim vllo modo, precibuſque ſe ſinat eadem Antiſtes, & Vicarius vt mulierculę Cinerarię, ſeu Ciniflones intra clauſtra, vel ad monaſterij ianuas, aut quod ſummę impudentię eſſet, è ſacrę communionis oſtiolo, ad exornandã ſpõſam accedant; ſpõſa munera ſponſo ne mittat, aut ab eo recipiat ſine expreſſa licentia Abbatiſſę; puella contraueniens hebdomadam ne ad crates accedat cohibeatur, & Abbatiſſa negligens, ſeu contra hanc conſtitutionem in aliquo indulgens, ſeu conniuens ſuſpenſione per ſex menſes ipſo facto mulctetur.

124 Puellę quę monaſterio alimenta non ſoluerunt conſtringantur intra quatuor menſes poſt hanc Synodum publicatam ſoluere, aliàs domũ ſuam remittantur.

Cap. X.

De electione Abbatiſſæ, & reliquarum monaſterij Officialium.

125 De Abbatiſſę, ſeu Antiſtitis monaſterij, quouis no-

nomine nuncupentur, electione, quod Sacroſancta Tridentina Synodus preſcripſit ſeruandum omninò precipimus, ſcilicet vt per vota ſecreta eligatur; is verò qui electioni preeſt Epiſcopus, ſiue alius ſuperior clauſtra monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam, vota ſingularum audiat, vel accipiat.

126 Deinde ne minor 1 annis quadraginta, quorũ octo ſaltem poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit, eligatur, quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis de conſenſu Epiſcopi eligi poſſit; at ſi neque hoc commodè euenire poteſt, ex ijs que in eodem monaſterio annũ trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profesſionem, rectè vixerit, eligendam mandabimus, que autem votum vltra eligentium medietatem habuerit, ipſa ſit, & intelligatur canonicè electa. 1 Trid. ſeſſ. 15. de regul. cap. 7.

127 Moniales profeſſe, que ius ferendi ſuffragium obtinent ne aliquam in Abbatiſſam eligant, in qua predicta etas, & conditiones non adſint, aliàs & ipſe priuationis vocis actiue; paſſiueque ad annum pœnam ſubeant, & electio ſit ipſo facto nulla.

128 Ad euitandas omnes perturbationum occaſiones, pleraque monaſterij incommoda, que ſepiſſimè ſubſequuta ſunt ad electionem in Abbatiſſam conſanguineam illius, que immediatè preceſſit, atque vt bono regimini conſulamus, viſum eſt preſenti conſtitutione prohibere, vt omni rigore prohibemus, ne in Abbatiſſam eligatur, quæ primo conſanguinitatis gradu cũ immediatè præcedenti Antiſtita coniuncta eſt; ſecus irritam, & nullam electionem prædictã eſſe declaramus, ipſaſque votantes in priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ incurſas.

Imò

129 Imò etiam, quoad monialium numerus, & monaſterij vtilitas patietur curandum volumus ne reliquis germanis ſororibus Abbatiſſæ officium aliquod demandetur.

130 Ne quis ambitioni locus detur, ſub eadem priuationis pœna, & excommunicationis latæ ſententiæ iubemus moniales omnes, ſingulaſque ad id ſuffragia neque per ſe, neque per alias perſonas etiam externas ſibi emendicare, aut ſuum ſibi dare. Imò ante electionē quod datura quæque eſt votum ſi alicui euulget, aut pro ea electione munus quodcumque acceeptet, ſit ipſo facto excommunicata.

De Celleraria, alijſque Officialibus.

131 Ad eam ſpectat neceſſaria monaſterio curare, & ſubminiſtrare monialibus. Impenſas quotidie in libro deſcribat, quod etiam in ſuo præſtabit procurator, & ſingulorum menſium vltimo die coram Abbatiſſa, & duabus decanis, ſeu diſcretis, ac Procuratore, Cappellano, & Deputato perlegat, & ſubſcribere faciat.

132 Quæ pro edulijs totius communitatis expenſæ fiunt diſtinctæ in libello à Celleraria ſcribantur, & eiuſdem hebdomadæ ſabbato in fine mēſæ coram omnibus perlegantur, vt cuique compertum ſit quantum pecuniarum ſingulis diebus, atque hebdomadis expendatur.

133 Sacriſtæ, Rotariæ, & Auſcultatricis munus ijs committatur, quæ quadrageſimum ſaltem ætatis ſuæ annum agant, vel ſi id facilè in quolibet monaſterio cōtingere nequit, eæ ſeligantur, quas maturior ætas, & ſpectata virtus commendat.

134 Ianitrices aperiendis, claudendiſque ſuo tempore

pore foribus, iiſque diligenter cuſtodiendis iugiter aſſiſtant, & omni ſollicitudine, quæ ad colloquutorium vocantur accerſant, tempore diuinorum officiorum, & quo ſancto ſacrificio communitas intereſt, neminem vocet.

135 Auſcultatrices ſuum officium fideliter exequantur, ſtudioſè animaduertendo, ſi quidquam interloquendum cum externis proferatur indignum ſacris Virginibus, & Abbatiſſæ renuncient, quam ſi negligentem in procuranda emendatione, & caſtigando hoc delicto vident, ad nos ſcribant.

136 Præter Abbatiſſę officium, reliquarum omnium vltra annum protrahi ſine noſtra licentia non poteſt; volumus enim ſingulis annis prima die Septembris officiales monaſterij mutari, niſi aliud aliquando in Domino iudicauerimus.

De Cappellanis.

137 Confeſſarij ordinarij monaſteriorum, qui & Cappellani vulgò dicuntur, à nobis, vel à noſtro Vicario Generali tantum deſignati, mutarique poſſunt, ad vnius dumtaxat anni ſpatium perdurare volumus, ideoque vltimo eiuſdem anni menſe, tùm ipſe Cappellanus, tùm Abbatiſſa nos commonefaciat, vt opportunò tempore, quę noſtra ſit ſententia declaremus.

138 In collocutorio cum monialibus loqui omninò refugiant, niſi eſſet Abbatiſſa, Vicaria, ſeu Prioriſſa, ſacriſtæ, atque auſcultatrices, & cum his quidem loqui tantum ibi poterunt de rebus, quę eorum interſunt prouincię.

139 At verò in confeſſionalibus cum nulla longum miſceant ſermonem, qui ad conſcientię directionem,

rerum-

rerumque ſpiritualium inſtructionem non ordinetur; ſecùs ab officio deponentur.

140 Muſicos vel ad miſſas decantandas, vel aliud diuinum munus celebrandum, præcinēdumque ad Eccleſiam ſuam accedere ne permittãt ſine noſtra litteris expreſſa faculta:e; excipimus tamen diem ſolemnem titularis Eccleſiæ, & eos omnes quibus ſanctiſſima Euchariſtia, pro quadraginta horarum, vt vocant, oratione, expoſita manet; nec ſi qua intra monaſterij clauſtra muſicę ſcientia perita eſt cum externis cantoribus concinere ſinant, aut conſonare ſub pœna ſuſpenſionis per annum ab officio, cuius loco ipſa monialis, ſeu ſęcularis delinquens ergaſtulis duos concludatur menſes.

141 Æquibonique conſulere debent quandocumq; extraordinarios Confeſſarios ad monaſterium mittimus, ideoque ſciant nobis in eos maximè animaduertendum fore Cappellanos, qui ęgrè, & iniquè id ferendi ſignum dabunt.

142 Regularem diſciplinam magis magiſque in dies curent promouendam, nec Theologorum remiſſiores ſententias ad praxim reducant, aut pœnitentibus ſuggerant; ſic enim & habenas conſcientijs cum euidenti pręcipitij periculo laxabunt, & noſtrorum præceptorũ robur infirmabunt; quare ſi quos huius vitij reos eſſe ex noſtris Cappellanis offendemus, carceribus ſtatim ad annum; & ab officio perpetuo depoſitos addicemus.

143 Hoc etiam, atque etiam regularibus extraordinarijs Cõfeſſarijs commendatum volumus, quod ſi quis eorum contraierit, & laxiorum opinionum inter noſtra monaſteria ſeminator erit à monialiũ monaſterijs perpetuò exterminabimus, dabimuſque ad illorum ſuperiores noſtras non contemnendas quęrelas.

De

De Procuratoribus, & cæteris monaſterij externis Officialibus.

144 Monaſteriorũ procuratores, aduocati, exactores, theſaurarij, protectores, medici, & tonſores nonniſi de Epiſcopi conſenſu eligi poſſunt, & commutari; eorum officium pro monaſterijs vltra triennium non protrahatur in cuius duobus vltimis menſibus tùm Vicarius loci tum ipſa Abbatiſſa nos commoneant, vt quos mutandos, quos verò confirmandos, & id quidem rariſſimè faciemus, iudicauerimus, tempori notificemus, & iubeamus.

145 Procurator pecunias monaſterij penes ſe non retineat, ſed ſtatim ac exigit Theſaurario, vel Abbatiſſæ in arca ſeruandas, vt ſuprà diſpoſuimus, tradat.

146 In fine cuiuslibet menſis dati, & accepti rationem Abbatiſſæ coram Cappellano, nec non, & Deputato aſſignato, ac diſcretis Monaſterij reddat, & ab eiſdem ſubſcribi faciat; Deputatus autem in prima generali deputatione ſtatum Monaſterij referat.

147 Negotiorum particularium monialium nullus procurator, aut exactor, vel aduocatus curam aſſumat ſine licentia Vicarij. De monaſterij litibus, debitis, creditiſque cum alijs monialibus ne loquantur, ſed tantum cum Abbatiſſa pertractent ſub pœna priuationis per annum.

148 Nullum contractum celebrari patiatur procurator de bonis monaſterij; ſiue locationis, venditionis, emptionis, pignorationis, ſiue cenſualis, vel alius cuiuſuis generis, nec debitoribus dilatio detur ſine noſtræ deputationis licentia, vbi ſumma decem vncias ex-

cedit, vel ſi minor eſt ſine licentia, & aſſiſtentia Vicarij foranei per Diœceſim, in Vrbe verò vnius ex Deputatis in ſcriptis ſemper exaranda, ſub pœna Abbatiſſæ ſuſpenſionis ab officio per menſem, & quo ad procuratorem carceris ad noſtrum arbitrium.

De Mulieribus famulis, & Conuerſis.

149 Mulieres, quæ de noſtra licentia ad inſeruiendū communicati vnde communiſſæ vulgò dicuntur, vel illæ, quæ etiā ex ſpeciali noſtro indulto ad alicui moniali, vel ſęculari famulandum admittuntur, ſint Virgines, bonæ vitæ, & famæ ſuper quo ipſius loci Vicarij, & Abbatiſſæ conſcientiam oneramus, aduertentes noſtram illos incurſuros iram, & grauem punitionē, ſi quid fraudis, vel negligentiæ in hoc commiſerint.

150 Porrò ſi huiuſmodi famulas infirmitatis, vel alia de cauſa ex facultate Vicarij foranei ſemel è monaſterio egredi contigerit, iterum non admittantur ſine noſtra expreſſa licentia.

151 Curet autem Abbatiſſa vt huiuſmodi famulas prudentiores, & virtutum, præſertim charitatis, patiētiæ, atque humilitatis ſtudio magis addictæ conuerſarū, ſeu Commiſſarum habitu induantur, cum alijs monialibus ſacram communionem accipiant, & regulam obſeruent.

Admonitio Generalis.

152 Quoniam in viſitatione ob morum, & peruetuſtarum conſuetudinum diuerſitatem peculiares pro ſingulis monaſterijs conſtitutiones reliquimus, eas tamquam hic de verbo ad verbum inſertas, & expreſſas obſer-

ſeruari præſenti decreto mandamus ſub pœnis ibi impoſitis.

153 Notam denique facimus omnibus excommunicationem latam à Sacroſancta Tridẽtina Synodo cõtra cogentes virgines, vel viduas, aut alias quaſcumque mulieres, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad monaſterium quodcumque ingrediendum inuitas, vel ad habitum monialium ſuſcipiendum, aut ad vota religionis ſolemnia profitendum, quique conſilium, auxilium, vel fauorem dederint, quique ſcientes eam non ſpontè ingredi monaſterium, aut habitu induere, aut profeſſionem emittere quoquomodo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubijciuntur à Sacro Concilio Tridentino, ij qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel habitũ accipiẽdi, vel voti emittendi quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint.

Cap. XI.

De Mulieribus, quas Conuertitas appellant, de Orphanis, & reparatis.

154 PRo huiuſmodi mulieribus, vel puellis omnibus vna nequit aſſignari viuẽdi ratio, ſed quã tempus, & loci, atque perſonarum cõditio dictat: ideòque ſatiùs eſſe duximus pro earũ ſingulis domibus proprias, & vulgari idiomate præſcribere conſtitutiones vti faciendas mandauimus dum earũ peregimus viſitationem, cui eos omnes domos, piaque opera ſubiectas eſſe declarauimus, has regulas ad vnguem obſeruandas curet Superior, Cappellanus, & Deputati, ſeu Prote-

ctores, aliàs noſtris erunt non leuibus mulctandi pœnis.

155 Solùm hic omittere nequimus excommunicationem ipſo facto incurrendam à nobis fulminari cõtra eos, qui auſu temerario, & ad malum finem, aut etiã prætextu matrimonij ineundi, aliquam harum mulierũ perturbare tentauerint, & facultatem exeundi, vel quod peſſimum eſt, & planè diabolicum, ab illius domus ſeptis fugiendi, auxilium præſtiterint ſuaſerint, vel conſenſerint; nec non vnum annum ſtrictiſſimi carceris pœnam, quam ipſa mulier, ſi infra duos dies, ſuæ ſuperiori illum tractatum non reuelet, vel ſi cõſentiat, & excommunicationem latæ ſententiæ quoque incurrat.

DECRETVM XXXI.

DE TERTIARIIS Mulieribus.

1 Tertiariæ mulieres, quas *Monache di caſa* vulgus appellat, cuiuſuis ſint ordinis, & conditionis tum in habitu regulari ſuſcipiendo, tum in modo viuendi, atque in domibus ſęcularium habitandi obſeruare omninò tenentur, & nos totis viribus retinendam curabimus conſtitutionem de eis editam à Sanctiſſimo Domino Papa Nicolao IV 1 & decreta ſępè ſępiùs cõfirmata, & repetita à Sacra Congregatione regulariũ, præſertim illud editum Romæ 20. Decembris 1616. in noſtro Regno exequutum 23. Ianuarij 1642.

1 quæ incipit ſuper montem.

2 Quo decreto in primis cauetur, & nos quoque pre-

præſenti conſtitutione vetamus, ne in poſterum vlla ſecularis mulier habitum regularem, nec etiam ex voto geſtare prę ſumat, niſi illum ab eiuſdem ordinis ſuperiore peculiari ritu de more, ac ſeruata decreti forma ſuſceperit ſecus ſeuerè à nobis punietur, & habitu priuabitur.

3 Deinde ne mulieres tertiarias ſuperiores regulariũ admittant, caſque habitu religioſo indui permittant niſi ſint probatæ virtutis, & ætatis ſaltem agant quadrageſimum annum; nec non quæ de proprio habeant, vnde ſufficienter, & pro ſui ſtatus conditione honeſtè viuere queant, ſub eadem pœna.

4 Inſuper ne cum alijs viris, quam cum conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi coniunctis cohabitent, aliàs prædictam luent pęnas.

5 Mulieribus verò quæ nõ adeo honeſta ſunt fama, & nomine ſine noſtra facultate vllo regularium habitu veſtiri Inhibemus, ſecus fuſtibus per Vrbem actæ cedantur, & ſi nobis viſum fuerit abibunt exulatum.

6 Suas regulas obſeruent, domos alienas ne frequẽtent, & curent vt ſuæ ne frequententur, cum infamibus perſonis, cum meretriculis, & male audientibus ne cohabitent, imo neque ijs facultatem præſtent, nec comitatum, nec ſermones familiares commiſceant, ſecus exilij mulctam ad noſtrum arbitrium dabunt.

7 Atque vt harum conſtitutionum firmetur robur, & ſtatim videatur obſeruantia diſtrictè mandamus ſub pœna priuationis habitus, alijſque ad noſtrum beneplacitum, vt eiuſmodi tertiariæ infra duos menſes in Vrbe quidem noſtro Vicario generali in diœceſi vero foraneo à die prę ſentis Synodi legitima publicatione ſe ſiſtant vt conſtet de eorum ętate, vita, & moribus, habitatione, & licentia habitum deferendi. DE-

DECRETVM XXXII.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTIcorum, eorumque bonorum.

1 COmpertum eſt inter Catholicos Clericis, cæteriſque Eccleſiaſticis ſpecialem deberi reuerentiam vtpo'è ſpecialiter in diuinum cultum deſtinatis; Ideoque Sacri Canones eorum perſonis indemnitatem, & ſecuritatem à qualibet iniurioſa percuſſione deberi ſtatuerunt, quod dicitur priuilegium Canonis, quia à Canone *ſi quis ſuadente diabolo* conceditur. Inſuper exemptionem à iudicio, & iuriſdictione laicali tàm quo ad perſonas, quàm quo ad ſua bona, & hęc dicitur eccleſiaſtica libertas, ſeu immunitas, & beneficium fori; ſic enim eorum dignitas magis commendatur, & maior illis reuerentia exhibetur: Vnde in Bulla Cęnę Domini grauiſſimis pęnis, præſertim excommunicationis feriuntur, qui auſu temerario eccleſiaſticis perſonis, & bonis damna inferunt.

2 Nos igitur huius bullæ, aliorumque ſacrorum Canonum veſtigijs inhęrētes fori ſęcularis Iudices, & magiſtratus monere ſtatuimus ne vllo vnquam pacto regulares in ſacris ſint, nec cuiuſuis ordinis Clericos, atque ad Eccleſiaſticum forum perſonas quaſcumque ſpectantes, niſi in caſibus à iure permiſſis, & poſt ſententiam Iudicis competentis capere, in vincula conijcere, aut detinere audeant, nec proceſſus aduerſus ipſos conficere; quod ſi auſi fuerint tàm ipſi officiales, quàm eorum miniſtri, imò & ad id conſilium dantes, ex-

exitantes, & fauentes excommunicationis pœnam ſe nouerint incurriſſe.

3 Excommunicationem etiam latæ ſententiæ incurriſſe ex nunc pro tunc declaramus publicanos, qui à Clericis, vel à regularibus per ſummam iniuriam datia, & gabellas exigere directè, vel indirectè auſi fuerint, eoſque ab hac cenſura abſolui non poſſe, donec plenè ſatisfecerint: præterea ſi quis ea ab his exemptis perſonis exegiſſe per vim, aut fraudem conuictus fuerit, vnciarum decem pęnam incurrat prima vice, grauiùs in poſterum puniendus, ſi in idē lapſus eſſe oſtendatur.

4 Clericorum nemo ſuas cauſas in laicali Tribunali agitari, & decidi patiatur, aliàs vnciarum viginti pœnam dabit; ſciatque ſe nec volentem, aut lubentem ſuo foro eccleſiaſtico renunciare poſſe.

5 Quia frequenter ad aures noſtras, non ſine ingēti dolore, peruenit eſſe aliquos, qui Eccleſiaſticæ immunitatis priuilegia manifeſtè non valentes, ſubdolis modis iniquè infringere, aut debilitare pertentant, nimiſ Clericis res carius vendentes, quàm cæteris, aut eis quantitatem, numerumque rerum, quas Clerici emēdas, aut à ſuis campis percipiendas curant, auarè pręſcribentes contra id, quod eorum neceſſitas, & decor exigit, imò etiam quæ ad victum, & veſtitum eis neceſſaria ſunt, & laicis publicè venduntur, per ſummam tamen iniuriam Clericis vendere recuſant; Vt igitur tantæ iniquitati obſiſtamus, qui huius criminis notam incurriſſe probabitur, præter eas, quibus ius commune ſubijcit pœnas, vncias decem ſoluere cogatur.

6 In excōmunicationē quoq; incurriſſe eos declaramus, qui bona, aut iura Eccleſiarū vſurpare, deſtruere, aut diſſipare auſi fuerint, à qua minimè abſolui poſſint, niſi

niſi facta in integrum iurium, bonorumue reſtitutione.

7 Sub eadem pœna mandamus, vt ſpatio quindecim dierum à legitima publicatione huius noſtræ Synodi computando; in poſterum verò à prima cuiuſque loci viſitationis die, qui ſciuerint vt nobis, aut noſtro Vicario Generali eorum nomina deferant, qui Eccleſiarum iura, aut bona vſurpaſſe, diſſipaſſe, aut quomodolibet alienaſſe, & læſiſſe videntur.

8 Noſtrorum etiam Prædeceſſorum veſtigijs ſanctè impreſſis inhærendo diſtrictè vetamus, ne prædiorum, bonorumue, quæ ad dignitates, canonicatuſue tàm Cathedralis Eccleſiæ, quàm Collegiatarum ſpectant locatio fiat perſonis ad idem Capitulum pertinentibus; tunc enim, & ipſo facto contractus omnes irritos, & nullos eſſe declaramus, ipſoſque conductores noſtro plectendos eſſe arbitratu. Idem de eorumdem propinquis, & conſanguineis, qui primo, aut ſecundo eis gradu iunguntur, niſi quod ad hos propinquos attinet, Epiſcopus cognita euidēti Eccleſiæ illius vtilitate, id ſcripto conceſſerit.

9 Cum accidat 'pleraque' ſtabilia bona redditibus iuxta formam Apoſtolicarum Bullarum per obligationem obnoxia oneroſo, 'vel lucratiuo titulo in Eccleſiaſticas perſonas transferri, & multoties ad hoc vt Regis Alphonſi g. m ſanctioni huiuſmodi redditus priuilegio proſequenti, non obnoxiæ, per exequutionem non moleſtentur, atque ita fieri, vt id generis bona alienantes, eorum fructibus, & obuentionibus pacificè in præiudicium creditorum, per ſummam iniuriam fruantur, id quod ob falſa in his frequenter inita iuramenta, in ani-

ma-

marum, ac Reipublicæ detrimentum tendere conſiderantes, cum creditores ſua actione, ac debito priuetur, Mandamus, atque decernimus, vt ſi bona huiuſmodi redditibus affecta, atque obnoxia penes Eccleſiaſticas Perſonas quouis modo peruenerint, contra illa exequutiuo modo procedi poſſit, ex præſcripto pragmaticæ ſanctionis à Rege Alphonſo promulgatæ: ita tamen vt Eccleſiaſticis nec perſonaliter, nec in proprijs bonis quibuſcunque moleſtia exhiberi poſſit.

10 Eo vſque peruenit nonnullorum Clericorum impudentia vt quam immunitatem eorum bonis in eccleſiaſticę dignitatis reuerentiam concedunt canones, dolo malo laicis aliquando mutuant ad horum fallacias contegendas, vitandaſque atque non ſine euidenti iurium iniuria, creditorum damno, iuſtarum gabellarum fraude, & iuſiurandi falſitate, fictis contractibus enormibuſque colluſionibus, quod verè ſęcularium eſt, ſe dominos eſſe demonſtrant; vt igitur huiuſmodi per iniquę funditus euertantur machinę, mandamus Clericis omnibus, vt laicis, ad quos ſpectant, infra ſpatium duorum menſium à die publicationis Synodi huius enumerandum iura, bonaque reſtituant, & ſi quę extant renunciationes, teſtamenta, patrimonia, beneficia, aliaue quocumque titulo inſtrumenta in Clericorum perſonis ficta reſcindant, nullaque eſſe declarent; qui in re tanti momenti inobediens eſſe conuincetur, reſtitutionis omnium damnabitur, quę paſſus eſt detrimentorũ creditor legitimus, aut publicanus, & annum integrũ ipſarum met gabellarum oneri ſubiacebit.

11 Quemadmodum cunctis noſtrę Curię Epiſcopalis miniſtris à nobis ſcripto deputatis ſerio interdicimus ne officij prętextu quidquam contra fas, & ęquum audeant,

deant, aut tentent, ita dum ſua munia exercent aliaque muneri ſuo adnexa, neminem reſiſtere, aut quoquomodo vim eis inferre poſſe ſciat; ſi ſecus quis fecerit in pœnam excommunicationis latę ſententię, nec non carceris, aut exilij, vel triremium juxtà criminis, reique conditionem, & ad noſtrum arbitrium ſe noueric incurriſſe.

12 Denique vt Sacerdotum perſonas aliqua etiam in cauſis ciuilibus prærogatiua condecoremus, viſum eſt conſtituere nullum Præsbyterum poſſe carceribus adſtringi pro ſumma non excedente vncias ſex; pro minori enim ſumma poteſt eis aſſignari aliqua Eccleſia, facta iniunctione competenti de retinendo illam pro carcere.

FINIS

Seſſionis Tertiæ.

SES-

SESSIO

QVARTA.

DE IIS, QVÆ AD FORVM Iudiciale ſpectant.

EA tandem Synodorum Concluſionis ſumma conſueuit eſſe, vt publica ſcandala, & prauæ conſuetudines remouerentur, liteſque, & controuerſiæ forenſes meliori, quo poteſt, modo componerentur per Curiæ Epiſcopalis officiales, qui ſi, qua par eſt, induſtria in Diœceſis noſtræ cultura deſudabunt, morum integritas, & ſanctarum legum extirpatis radicitus abuſibus refloreſcet. Sit igitur.

DECRETVM XXXIII.

DE PVBLICIS SCANDALIS, & abuſibus extirpandis.

Cap. I.

De feſtis diebus colendis.

1 QVemadmodum ad pietatem augendam valdè conducit dierum feſtorum deuota, & religioſa celebratio 1. ita eorumdem contemptus latiſſimam

1 Trid. ſeſſ. 25. decr. de delect. cibor. & feſt.

viam impietati aperit, & ſcandalis, quæ vt remoueantur, meminiſſe debent in primis fideles ideò feſtos dies ab Eccleſia deputatos eſſe, vt quem Deo externum cultum cæteris temporibus exhibere nequeunt ob rerum humanarum occupationes, & curas, his commodiùs præſtent, ab operibus ſeruilibus vacando, diuinæ pietatis officia obeundo, atque nobis à Deo collata beneficia grato animo impenſiùs recolendo.

2 Quapropter Sancta mandat Eccleſia, vt à media præcedentis peruigilij noctc vſque ad ſequentis noctis dimidium eorum feſtorum, quæ eiuſdem Eccleſiæ, aut aliquando noſtro præcepto coluntur ab operibus ſeruilibus quiſque ferietur, quod ſi inobediens eſſe deprehendatur tam in Ciuitatibus, & oppidis, quam in cãpis pro prima vice tarenorum ſex, pro ſecunda duodecim, pro tertia vnius vnciæ pijs operibus applicandæ pœna mulctabitur; quod ſi deinceps contumax idem ſcelus temerario auſu patrabit, ſeuerioribus, etiam carceris pœnis Epiſcopi iudicio corripietur.

3 Comeſtibilia ad populi commodum deferri feſtis diebus hac conditione permittimus, vt per vias ad vẽdendum non circumferantur, neque vlla eorum dierum hora, niſi cum officinæ oſtiolo dumtaxat aperto, vel certè ianua maiori ex parte clauſa vendantur, nulloque modo ante fores exponantur; qui ſecus fecerit, prima vice tarenis quatuor mulctabitur, & rebus, quas ante oſtium propoſuerit; ſecunda vero vncia vna; grauiores etiam pœnas daturus; ſi pertinax erit; omnium autem pœnarum quarta pars officialibus deprehendentibus, cedat poſt datam ſententiam.

4 Vetamus inſuper ne autentica inſtrumenta cuiuſuis ſint generis notarij conficiant, neue Iudices ius dicant,

cant, aut ſententias executioni mandent, præter quam in cauſis ab ipſomet iure ſine dubio permiſſis. Sequentes etiam atque laudantes Regni huius ritum, per quem nec tribunalia forenſia diebus feſtiuis ex præcepto, nec quemquã perſonaliter ob debitũ ciuile carceribus conſtringi permittitur, omni rigore præcipimus, ne magiſtratus quiſquam, aut illius ſæcularis miniſter feſtis ex præcepto diebus aliquem ciuili cauſa capere, aut carceribus addicere præſumat ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, à qua nemo eos abſoluere valeat, niſi prius captum, aut vinctum ad priſtinam reſtitutus fuerit libertatem. ſatellites verò, ſeu vt nominant, *Sbirri*, qui id auſi fuerint in pœnam vncias quatuor luant 1. 1 c.finali de ferijs in decretal.

5 Porrò huiuſmodi, aliarũue pœnarum nulla ab officialibus deprehendentibus exigatur, ſed tantum loco pignoris aliquid capiatur, quod apud Vicarium ſeruetur, donec de pœna certè conſtet, reſtituendum quidem dominis poſt vbi pœnam ipſam ſoluerint, quarta parte officialibus, vt ſupra, data, reliqua apud depoſitarium in ſingulis locis noſtro conſenſu à Vicario ob id eligendum, deponatur, pijs eiuſdem loci operibus ab Epiſcopo applicanda.

6 At ſi euenerit vt aliud in prædictis, & ſimilibus caſibus pietas, aut neceſſitas poſtulauerit, à Vicario Generali in Vrbe, & à foraneis in Diœceſi, cauſa diligenter expenſa, facultas concedatur, gratis quidem, liberè, & ſine vllo prorſus pretio, etiam ſponte oblato, aut pacto directè, vel indirectè inito iuxta antiquorum Canonum, & modernioris decreti ab Vrbano VIII. editi formam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Eiuſmodi facultates Vicarij vbi dari oportere alicui mul-

multitudini, vel communitati in Domino iudicauerint; veluti tempore meſſis, ſerici, ſeu ſementis, alteriuſue ſimilis caſus; diſpenſatio publico inſtrumento in eius Curia ſpirituali eam tranſcribendo fiat, & nunquam ſine hac conditione, ſcilicet vt opus illud ſeruile nemo, niſi prius audita miſſa, vbi eſſe poteſt, aggrediatur.

7 Feſtos dies, ſanctorumque ſolemnitates tragœdijs, comœdijs, ludiſque ſcenicis, alijſque eius generis actionibus nullo modo agi volumus ſine Epiſcopi, aut Vicarij Generalis venia ſub carceris pœna noſtro arbitrio ijs, quorum interfuit ea mandare, & exequi imponēda.

8 Quia non ſemel, nec ſine magna animi diſplicentia notauimus Veſpertinas horas diebus ſolemnioribus non ijs, quas mandat Rituale, cæremonijs celebrari, ideò viſum eſt hac Synodali lege ſtatuere, & iubere primas omnes, & ſecundas Veſperas feſtiuitatum primæ claſſis in noſtræ Cathedralis, Collegiatarum, aliarumque Matricum Eccleſiarum choro cantari ſeruatis ijs omnibus, quo ad veſtes, incenſum, & reliquos ritus, quæ Cæremoniale præſcribit; nec non in Deiparæ Virginis, atque Apoſtolorum primis, & ſecundis Veſperis Presbyterum cum pluuiali choro intereſſe, & incenſum dari mandamus; inobedientes quinque aureos eidem Eccleſiæ in pœnam luant.

9 Venerando Miſſæ ſacrificio omnes rationis compotes tùm viri, tum mulieres legitimè non impediti ea, qua decet, animi deuotione interſint, ijs ſaltem diebus, quorum feſtiuitates Eccleſiæ præcepto celebrantur; neque vero fœminæ vllæ luctus domeſtici prætextu ob mortem mariti, alteriuſue ſanguine coniunctiſſimi excuſentur; vnde quācumque contrariam conſuetudinē, ſeu potius abuſum Vicarij loci penitus tollendam curent,

rent, moneantque nullum aliud maius beneuolentiæ ſignum in vita functos eſſe, quam eos orationibus, ſacrificijs, communionibus, eleemosynis, indulgentijs, aliiſque pijs ſuffragijs ſtatim, & in Eccleſia præſertim, in qua eorum cadauera condita ſunt exhibitis, adiuuare.

10 Moneant ſæpè ſæpiùs Parochi, & Concionatores populum opera ſeruilia non ideò his diebus prohiberi, quia turpia, aut mala ſint, ſed quia hominum mentes à diuino cultu, qui finis præcepti eſt, diſtrahunt; Ideoque ſuadendum eſt eidem vt quoad fieri poterit manè concioni, ſero ſanctis exercitijs, veſperis chriſtianęque doctrinę interſit, vt ęgros homines, præſertim in Noſocomijs viſant, in vinculis detentos viſitent, mœrenteſque ſolentur, vt in ijs denique pijs operibus eos inſumant dies, ad quę ſanctè, auguſtèque ſunt inſtituti.

11 Ideoque valdè expedit vt cum celebrior alicuius Sancti, præſertim verò eius, in cuius tutela Ciuitas, oppidum, aut Eccleſia Mater, vel parochialis eſt, dies inſtat, vt incolę admoneantur ad eius peruigilium ieiunio, feſtumque ſacra honorandum communione.

12 Laudabilem, atque ex antiquis Eccleſiæ chriſtianæ Præſulibus traditam conſuetudinem, vbique noſtræ Diœceſis locorum retineri volumus, nimirum vt animarum Curati inter miſſarum ſolemnia die Dominico, feſtorum dierum, qui ea hebdomada ex præcepto ſeruandi ſunt, populo denuncient, & hortentur ne cuiuſuis negotij cauſa vrgenti iter aggrediantur, niſi poſt quam Sancto Miſſæ ſacrificio interfuerint.

13 Quatuor aureorum pœna mulctandi ſunt, qui ante quam Miſſę, quam maiorem appellant, ſacrificium peragatur, ludere etiam permiſſo ludi genere audeat. Sed grauiorem dabunt, qui eodem tempore, vel cum diui-

diuina habentur officia, & conciones prope Eccleſiam ludere prǽſumpſerint; aut diebus Veneris Martij, vel in maiori ſacrę Paſſionis hebdomada.

CATALOGVS DIERVM FESTORVM, *qui in noſtra Diœceſi ex præcepto obſeruantur.*

14 NE feſtorum præcepto colendorum ignorantiã quiſquam alleget, eorum hic ſubnectemus indicem.

Menſe IANVARIO.

1 Circumciſio Domini.
6 Epiphania Domini.

FEBRVARIO.

2 Purificatio B. Mariæ Virginis.
5 S. Agatha Virgo, & Martyr.
24 S. Matthias Apoſtolus. *In biſ. ſt.* 25.

MARTIO.

19 S. Ioſeph Confeſſor, & Sponſus B. M. V.
25 Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis.

MAIO.

1 SS. Philippus, & Iacobus Apoſtoli.
3 Inuentio S. Crucis.

IVNIO.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ.
29 SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli.

IVLIO.

25 S. Iacobus Apoſtolus.
26 S. Anna Mater B. M. V.

AVGVSTO.

10 S. Laurentius Martyr.

15 Al-

15 Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
17 Translatio S. Agathæ. *Per Vrbem tantum.*
24 S. Bartholomæus Apoſtolus.

SEPTEMBRI.

8 Natiuitas B. Mariæ V.
21 S. Matthæus Apoſtolus.
29 Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

OCTOBRI.

28 SS. Simon, & Iudas Apoſtoli.

NOVEMBRI.

1 Feſtum omnium Sanctorum.
30 S. Andreas Apoſt.

DECEMBRI.

8 Conceptio B. M. Virg. *in cui⁹ peruigilio per noſtram Diœceſim præcipimus ſeruari ieiunium.*
21 S. Thomas Apoſtolus.
25 Natiuitas D. N. Ieſu Chriſti.
26 S. Stephanus Prothomartyr.
27 S. Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta.
28 Sancti Innocentes.
31 S. Syluester Papa.

FESTA MOBILIA.

Paſcha Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti cum duobus ſequentibus diebus.

Aſcenſio D. N. Ie ſu Chriſti.

Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus diebus.

Solẽnitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Dies octauus eiuſdem, *Poſt meridiem in Ciuitatibus, & Oppidis tantum.*

Omnes dies Dominici totius anni.

Ii itidem dies, quos in quolibet Diœceſis loco ex voto coli conſuetum eſt.

Cap. II.

De funeribus, & exequijs.

15 Semper in Eccleſia Dei mos viguit ſacra, & ſollemni pompa cadauera humandi, quem etiam priſci Ethnici piè cuſtodierunt, eumdem noſtris conſtitutionibus commendari, & præcipi decet, ſed in primis, quæ in Rituali Romano felicis record. Paulus V. circa mortuos ſepeliendos, & proſequendas exequias tam paruulorum, quam adultorum conſtituit omnia, & ſingula diligenter obſeruari iubemus, & præſertim aduertere, quibus Eccleſiaſtica ſepultura iure deneganda eſt, quod ſi circa hoc dubietas ſuboriatur nos Curatus, & Vicarius omnino conſulant.

16 Statim ac quiſque cedit è vita, illius Eccleſię æs campanum funebre ſignum det, ad quam deferẽdum eſt cadauer; caueant tamen Eccleſię Rectores, ne Sacriſtę, aut quiuis alius ſępius, & cum moleſtia auditorum pulſet; ſatis enim erit, vt ſupra innuimus ter, vel quater in die, & ſingulis quidem vicibus non amplius quam per vnum horę quadrantem; at noctu, ideſt poſt ſecundam noctis horam, vel ante datum maturinę ſalutationis angelicę ſignum, quod *Pater noſter* vulgus nominat, nullo modo funebris campana pulſetur: contraueniens ſonator duo ſcuta, totidemque Eccleſię Rector ſoluat in mulctam; quod ſi regularis ſit in eius Eccleſiam ſuſpenſionis pœna procedetur.

17 Vt autem grati animi, & verę pietatis officia in communem Paſtorem, & Patrem dilectiſſimi filij, & oues ſelectę exhibeant, Epiſcopi morte renunciata à ſin-

ſingulis Sacerdotibus tum in vrbe, tū in Diœceſi miſſa pro eius anima quam primum celebretur, nec alia, alij Clerici, & laici ſuffragia ad Deum fundere moreantur, quod in primis Vicarij Generalis ſede vacante ſit indicere, & vt addecet exequutionem ſtudioſè curare, tum etiam vt in qualibet maiori Eccleſia ei debito parentetur honore, & ſollemnis miſſa defunctorū pro eodem celebretur. In Cathedrali verò nouendialibus Epiſcopo iuſta ſoluantur.

18 Mandamus etiam ſingulis Sacerdotibus pro cuiusſibet Sacerdotis anima, qui eodem in loco vita functus eſt ſacrum ſemel facere.

19 Pro fidelium Cadaueribus ſepeliendis in propria Eccleſia, ſeu ad aliam quamuis aſſociandis, nullas Curati pactiones ineant (ne dicamus extorſiones faciant,) aliás ſeuerè à nobis punientur. Contenti enim eſſe debent ordinarijs diſtributionibus; à pauperioribus verò nihil prorſus exigant, quinimò Curandum eſt vt fidelium ſubſidijs ſepelliantur; ſecus facientes noſtram non vitabunt indignationem, vltionemque.

20 Nec ante ſolis ortum, nec poſt occaſum, niſi more impatiens neceſſitas aduſſerit, nec denique, inter miſſę maioris, aut diuinorum officiorum recitationem, cadauera ad Eccleſiam deduci permittant; Interea verò, dum funus deducitur, crux pręferatur, Clerus pſalmos, precesque iuxta Eccleſię ſanctę conſuetudinem recitet, incedens modeſtè, ſine riſu, aut colloquijs tum ſuperpellicio, & birreto, abſque galero, aut pallio, nec quiſquam Clericorum ab Eccleſia diſcedat niſi ſacris de more ſepulturę peractis ceremonijs; ſingularum deinde Eccleſiarū Clerici ſuam quiſque Crucem comitans ad proprias Eccleſias ſimul re-

deant, contraueniens in aliquo prędictorum, vnius ſcuti pœna mulctetur applicanda Hoſpitali infirmorum.

21 Si quando Capitulum noſtræ Cathedralis ad defuncti cuiuſuis exequias comitandas, atque cohoneſtādas inuitatur; quotquot poſſunt Dignitates, Canonici, Secundarij, & reliqui eiuſdem Cathedralis officiales debito ordine, & grauitate eant, capituli Crucem ſequentes, & cum eodem ordine ad Cathedralem vſque, vnde progreſſi ſunt, cum Cruce redeant, qui ſine iuſta causa, & obtenta à Priore, vel ab illo, qui Prioris loco, tunc pręſidet venia diſcedit, aut quoquomodo huic decreto non obedit priuetur Eleemosyna, quę tunc ei dāda eſſet; propterea mandamus huiuſmodi, non niſi poſt prædictum reditum in ipſa Eccleſiæ ſacriſtia, aut aliquo decenti loco ſemotis Laicorum turbis capitulo, & clero diſtribui, ſub pœna duorum aureorum ſingulis vicibus ſoluendorum ab ipſo diſtributore, ſi ſecus aliquando fecerit.

22 Vbi vero Cādelæ, vel Intortitia ab hæredibus demortui diſpenſantur, accenſas ſemper quiſque manutenere debet, & non niſi perſolutis exequijs extinguat, aliàs cereo ipſo priuetur.

23 Si contingat defunctum in ęorum numero eſſe, qui alicui congregationi, ſocietati, vel confraternitati nomen dedere, ideoque ad eius funus comitandum eiuſmodi piorum virorum cætus cum ſuis cęreis aduenīat, geſtent paruas candelas, quas *Blandoni* vulgò appellant; non intortitia, aliàs quartā eorumdem cereorū menſę Epiſcopali teneātur ſoluere. Declaramus autem ab hac quarta funerali ſoluenda eccleſiam nullam, nullamque congregationem, & confraternitatem, ſocietatem, ſeu perſonam in noſtra Diœceſi (vt ex antiqua traditio-

ditione conſtat) exemptam eſſe. Quo autem ad præcedētiam meminerint obſeruare quæ de ſodalitatibus agētes præſcripſimus 1. 1 fol.319.n.14.

24 Parochorum, ſeu curatorum curæ relinquimus ne nimis præpropere cadauera humentur, ſed ne domi diù poſt mortem retineantur; namque intra horas ſummum viginti quatuor ad Eccleſiam deferenda curabūt, eos tamen, qui repentina correpti ſunt morte, non ante elapſos vigintiquatuor horas ſepelliri permittant, nec niſi eo anno ſacramenta Pęnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſcepiſſe conſtiterit.

25 Laici defuncti corpus cuiuſuis ſit conditionis à Clericis efferri Vicarius ne ſinat.

26 Vbi prægnantis mulieris obitus accidat, & viuum adhuc in vtero infantem eſſe probabilis coniectura, & prudentum medicorum, ſeu obſtetricum opinio dictat, mora nulla cędatur matris iam demortuæ vēter à chirurgo, & viuus infans à quo primū poteſt baptizetur.

27 In funeribus proſequendis Regulares eumdem, quem in Vrbis ſolemnioribus proceſſionibus, ſeruent locum, & ordinem; dignioris Parochię Crux digniorē locum obtineat poſt Cathedralis Eccleſiæ Crucem.

28 Quem nonnulli abuſum introducere quādoque tentant, è noſtra Diœceſi radicitùs extirpari iubemus ſub grauibus pœnis arbitrio noſtro exigendis, nimirū vt cadauera in Rhedis nullo luminum, alioue Eccleſiaſticæ pompæ ſplendore, nullis pijs precibus, nullis cæremonijs, ac ritibus adhibitis ad ſepelliendum deportentur. Mandamus inſuper ne cuiuſuis Perſonæ cadauer clam, & furtim ad Eccleſiam, aut alium quemcūque locum ſepeliendi, humandique cauſa deferatur; publicè enim id ſemper fieri, & vno ſaltem Sacerdote

præ-

præſente cum ſuperpelliceo & ſtola defunctum comitante volumus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & interdicti eius Eccleſiæ.

29 Lamentatrices, ſicubi adhuc, quod neſcimus, ad mortuos deplorandos venire non ceſſant, ne id officij deinde exerceant interdicimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & carceris ad noſtrum beneplacitum; ſub eadem etiam pœna vetamus nequid ſuperſtitioſum in defuncti manibus, vel feretro, aut eius ſepulchro reponatur; mulieres quoque poſt cadauera vlulatibus compita, & Eccleſias replentes ne permittantur à Vicario; inobedientes ſeueriori coerceantur ſupplicio.

30 Quia eo peruenit aliquorum inſania, vt demortuarum mulierum facies, vnde tunc magis fallacis pulchritudinis vanitatem mortales addiſcere deberent, figmẽtis audeant colorare, viſum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibere, ne quis cadauerum vultum fucet, atque artificioſo candore, ruboreque tingat, qua in re Vicariorum, & demortuę Confeſſariorum conſcientiam oneramus.

31 Cadauerum exhumatio, atque eorumdem traslatio de vna ad aliam Eccleſiam, imò de vno ad alium locum eiuſdem Eccleſiæ ne fiat ſine licentia Epiſcopi; tranſgreſſores vt ipſe in primis Eccleſiæ Preſes vnciarum viginti pœna corrigantur, & Sacriſtæ, vel qui ad id cooperati ſunt, ſex menſium carceres ſubeant.

32 Nullius prorſus defuncti anniuerſaria peragantur diebus dominicis, aut ceteris ex præcepto feſtis, quibus nullę campanæ, præſertim mane funebri pulſentur ſono ſine noſtra licentia in Vrbe; in Diœceſi verò ſine conſenſu Vicarij, quæ rarò, & in caſibus extraordinarijs concedi debet.

Cap. III.

De Excommunicatis.

33 Quamuis ex Conſilio Tridentinæ Synodi 1 ſobriè, magnaque circumſpectione, nec pro quacumque re vulgari excommunicationis pœna vtemur, quæ fulmen, gladius, atque neruus dicitur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; vnde Diuus Auguſtinus putauit grauiùs eſſe à ſpirituali gladio feriri, quàm materiali; vel quàm ſi à feris deuoraretur, aut ſi flammis vreretur homo; & excommunicatum à diabolo poſſideri; idcircò Eccleſia pro illo non orat, nec mortuo; nihilominus ſi quando in domino expedire iudicabimus aliquem excommunicare, cum id principaliter fiat, vt reſipiſcat, & Dei, atque Eccleſiæ præceptis obediat; debet quicumque ille ſit maximo è Cœlo iniecti fulminis timore perterritus contremiſcere, ſe ab Eccleſijs, & aliorum conſortio amouere, ac parti, ſi quam læſit, ſatisfacere, ſtatim poſteà ſumma, qua decet demiſſione, & paratus exequi quęcumque iniuncta fuerint à placato ſuperiore eſflagitare vt ad piorum ſocietatem, & communionem admittat.

1 ſeſſ 25. de refor. c. 3.

34 Quapropter vehementer execrandi ſunt illi, qui licet per libellos, ſeu cedulones, vt appellant, declarati ſint excommunicationem iam incurriſſe, & diris deuincti; impudenti tamen proteruia quòlibet publicè incedunt, & quoſuis hominum cętibus, & concilijs ſe adiungere non verentur, ideòque contra hoſce nequiſſimos homines, vt de hęreſi ſuſpectos procedendū eſſe declaramus, & Parochus cuiuslibet Matris Eccle-

ſiæ

ſiæ ſi intra trium menſium ſpatiū à die denunciationis enumerandorum, abſolutionis beneficium aſſequi neglexerint, in tabella notatos, dum ſolemne celebratur ſacrificium, quolibet dominico die ad valuas eiuſdem Eccleſiæ appenſa publicet; Vicarius verò eorumdem nomina ad nos tranſmittere teneatur, aliàs ſeuerè corripietur.

35 Excommunicationis litteræ, quas poſt trinam admonitionem loco, & tempore congruo, & de more adhibitam, pro rebus amiſſis, vel furtim ſublatis dari conſuetum eſt; poſthac ne concedantur, niſi rerum deperditarum, vel ſubreptarum valor ſummam ſaltem vnciarum octo attingat; reuelationes autem, ſeu denunciationes pro huiuſmodi rebus deperditis, vel ablatis in noſtra Curia receptæ, & repetitæ non publicentur, niſi pars cum iuramento actioni cuicumque criminali ob hanc cauſam competenti renunciauerit; ſecus *ipſa* reuelatio nec in iudicio, nec extra iudicium ei veritatem comprobet, fidemque faciat; quin ſi eiuſmodi reuelationibus in noſtra Curia factis quis auſus fuerit *vti*, pars ipſa, & Iudex latæ ſententię excommunicationem incurret, & acta ſint irrita, & nulla.

36 Si quis excommunicationis prędictę vinculo irretitus antequam in Curia nominatim denuncietur, ablata, vel inuenta, vna cum expenſis eius cauſa factis parti reſtituat, poterit à Confeſſario approbato abſolui, at ſi denunciatus fuerit, & res in iudicium deducta, abſolui quidem poterit, ſi reſtituerit, ſed cum onere ſe coram nobis pręſentandi, vt iuxtà Eccleſiaſtici fori cōſuetudinem abſoluatur.

Ca-

Cap. IV.

De Blaſphemis.

36 In blaſphemię ſcelus perſępè in hac vita eſſe à Deo ſeuerè, ac vehementer vindicatum ſacræ teſtantur paginæ; vt noſtras quoque illud patrantes pœnas experiantur; ſtatuimus, vt qui nefaria, impiaque in Deum Optimum Maximum, Deiparam, vel Diuos, Cœliteſque verba iactaſſe probabitur, vel dęmonem humani generis teterrimum hoſtem per ſummam impudentiam Sanctum vocauerit, carceribus addicatur, & pro grauitate blaſphęmię arbitrio Epiſcopi corrigatur; In ſuo robbore alijs per Sacros Canones, & Sum. Pont Leonem X. & Pium V. permanentibus pœnis.

37 Qui autem ſic blaſphęmantes audit, quoad fieri poteſt aſperiùs obiurget, quod ſi id minimè licuerit, ad noſtram Curiam, vel ad foraneum Vicarium deferat; ſciantque omnes ſe indulgētiam decem annorum 1 cōſequi ſtatim, ac eos denunciant.

1 ex cōceſ. Leon. X. in Cōc. Later.

Cap. V.

De Maleficis, & eorum exorciſmis.

38 Adeò nonnullorum excreuit inſania, vt quidquid mali ſibi ſuiſque aduenerit, maleficijs inimicorum, ſeu inuidorū vertant, vnde ad maleficas perſonas, vt per nouū vetus maleficium diſſoluant, confugiunt, vel ad vanos ariolos ad ſibi futura pronuncianda declinant, aut denique ad alium quemuis finem magorum opem

implorant; vt autem ab huiuſmodi malis artibus, vel impijs recurſibus noſtri ſubditi abſtineant, præter à ſacris Canonibus, & Summis Pontificibus, & Sancti officij Inquiſitoribus fulminatas pœnas, haſce etiam imponere viſum eſt.

39 Si quis in noſtra Diœceſi deprehendatur, vel denūciatus probetur fœdera, ſeu pacta cū dæmone noſtræ ſalutis infeſtiſſimo hoſte expreſsè, vel tacitè iniјſſe, aut familiaritatem habuiſſe, necromantiam, geomantiam, hydromantiam, cęteraſque huiuſmodi artes prohibitas, ſortilegia, maleficia, ac veneficia exercuiſſe; incantationibus ad aliquid impetrādum, ligaturis, vt aiūt, characteribus, aut alijs quibuſuis magicis artibus, & deceptionibus amatorijs vſus eſſe, præter excommunicationem, quam ipſo facto incurriſſe declaramus, carceribus ſaltem annum detineatur, nec inde liberetur niſi prius ante actam vitam frequentius confeſſionibus verè mutaſſe cognoſcatur. Eidem ſubiaceant pœnę qui magicis opificijs nocere, vel prodeſſe contendunt, promittunt, vel etiam ſimulant, finguntque, nec non ſagę, vel lamię, quæ vulgò *ſtriges, magara* vocantur; denique ſub eadem pœna pręcipimus vt qui alicuius, vel aliquorum ex prędictis notitiam habuerit intra terminum dierum trium nobis, vel noſtro Vicario loci illius, in quo ipſe reperitur reuelare teneatur, & Vicarius præfatus intra eumdem terminum nos certiores facere.

40 Porrò eiuſmodi perditiſſimorum hominum notitiam habentes Confeſſarij ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſacramenti pęnitentiæ ipſo facto incurrēda non abſoluant, niſi prius nobis, aut Vicario Generali, vel Vicario loci rem omnem, & perſonam manifeſta-

ſtauerint. Per hæc autem eos adſtringere non intendimus, qui debitum munus hoc reuelandi apud officium Sanctæ Inquiſitionis præſtiterint.

41 Atque vt omnis omninò vanis, ignaris, ſeu ad ſuperſtitionem propenſis mētibus hac in re peccandi occaſio remoueatur, præcipimus omnibus, & præſertim mulieribus in virtute ſanctæ obedientię ne audeant ſuper quemquam infirmitatis prætextu, orationes à nobis non approbatas, approbatas verò nonniſi intelligibili voce applicando recitare.

42 Quoad verò exorcizandum ſeruetur, quod agētes de vita, & honeſtate Clericorum ipſis iniunximus; & quidem ad hoc munus exercendum nemo nec eccleſiaſticus, nec laicus deueniat, niſi obtenta priùs ab Epiſcopo in ſcriptis facultate; & nonniſi religionis decorē præſeferens, & ſpiritualibus armis, nempè magna fide, deuotione, humilitate, atque ſancto pœnitentię Sacramento immediatè munitus; attentè conſiderans, & prudenter diſcernens an infirmus, vel infirma exorcizanda morbo potiùs laboret, licet medicis nondū noto, quod ſæpè ſæpiùs contingere viri in hoc munere arbitri expertiſſimi nobis dictarunt, quam à Dœmone vexetur.

43 Inſuper hoc officiū non alibi quàm in Eccleſijs Sacramentalibus præſtari iubemus, niſi tamen obſeſſus ægrotet, aut ſit perſona nobilis, idque obtenta à nobis venia. Caueat etiam ne vllus intercedat quæſtus, aut vlla curioſa percunctatio, præſertim quæ ad diuinationem pertineat; denique exorciſmis tantum, verbis, modo, & ſacris veſtibus à Catholica Eccleſia approbatis vti mandamus; quare reliquas inſolitas preces, ritus, & cæremonias, quæ in Rituali Romano poſtremo edito nō præſcribunturr, eijcimus, & reprobamus; caueat autem

exorciſta ne vllam medicinam obſeſſo ſuadeat; aut ipſe tribuat, ſed eam curam medicis relinquat; qui in aliquo prædictorum obtemperare neglexerit in carcerem conijcietur ad noſtrum beneplacitum, vel quatuor vncias pijs operibus in pœnam luet.

Cap. VI.

De venditione, & eſu carnium diebus vetitis.

44 Magnæ ſemper fuit piorum animis offenſioni, rudique plebi ſcandalo publica venditio, & emptio carnium diebus quadrageſimæ, quatuor temporum, peruigiliorum, atque feriæ ſextæ, & ſabbato cuiuſuis hebdomadæ, huic malo vt patenti remedio occurramus, hac synodali conſtitutione ſancimus, ne quiſquam publicè exponere, aut vendere carnes prædictis diebus audeat ſub pœna vnciarum quatuor infirmorum Hoſpitali ſoluendarum; imò eidem ſubiacere pœnę declaramus ſi ei quamuis ſecretò vendat, qui fidem, ſeu ſchedulam Medici, & Confeſſarij ſubſcriptam non affert, qua teſtentur iuſtam infirmitatis cauſam habere iiſdem prohibitis diebus carne veſcendi illum, cuius nomine emitur.

Cap. VII.

De Concubinarijs, Adulteris, Sodomitis, Inceſtuoſis, Stupratoribus, Raptoribus, & Lenonibus.

45 Graue peccatum eſſe homines ſolutos concubinam habere, grauiſſimum verò, & in ſacramenti matrimonij contemptum admiſſum ſcelus vxoratos in hoc

dam-

damnationis ſtatu viuere, ac habere concubinas, quãdoque etiam cum vxoribus domi alere, & retinere, nemo eſt qui neſciat, & vbique ſacræ teſtantur paginæ, acriter reprehendunt Sancti Patres, & ſacroſancta Tridentina Synodus 1 condemnat; quapropter nos eorumdem tam altè impreſſis veſtigijs inhęrentes; pœnas à Sacris Canonibus contra huiuſmodi ſceleſtos homines impoſitos renouamus, atque omnibus, & ſingulis cuiuſcumque ſint dignitatis, & conditionis præcipimus ne vllo vnquam tempore, aut prætextu domi propriæ, vel alienæ concubinam alere, & retinere præſumant; Inobedientes ſi ambo ſoluti ſunt bimeſtri carcere, & vncijs quatuor pro prima vice plectentur, & fiat iniunctio de non conuerſando, grauioribus quidem caſtigandi ſi recidiuos eſſe conuincentur; ſi autem ambo, vel alteruter adulteri ſint, triplicatę pœnæ ſubiaceant, alijſque maioribus ad noſtrum arbitratum.

1 ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 8.

46 At ſi opus erit huiuſmodi homines excommunicari, ſeruetur Concilij Tridentini decretum; *in ſeſſ. 24. de refor. matri. c. 8.* Videlicet *Ordinarius ter eos commoneat; quod ſi concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excommunicatione feriantur, à qua non abſoluantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint; quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres verò coniugatæ, ſeu ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu concubinarijs publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim, ſi id eiſdem ordinarijs videbitur, inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, eijcian-*

eijciantur; alijs pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus. Hęc Tridentinum: quæ à nobis, & noſtris Vicarijs ad vnguē erunt obſeruanda, iuxta tamen Sacrę Congregationis declarationes, quibus ſępiſſimè enunciatum eſt trinam hanc monitionem tantum requiri, quando id generis nequiſſimi homines ob ſuam obſtinationem eſſent excommunicandi, vt ſupra innuimus, non verò quando pœnis pecuniarijs, alijſque vel à iure communi, vel à Synodo Diœceſana ſtatutis eſſent puniendi.

47 Vt autem omnis procraſtinationis aditus eis pręcludatur, eos omnes pręſenti conſtitutione iterum, iterumque, & tertio monemus, ne in hoc perditiſſimo ſtatu concubinatus, vel adulterij perſeuerent, ſed reſipiſcant, ad bonam redeant cum Chriſto Domino gratiā; proinde declaramus hanc in Synodo factam monitionem trinę vim, ac robur obtinere, præter eam, quę in edicto ſolito feria quarta Cinerum, vel prima Dominica Quadrageſimę in noſtra Diœceſi publicatur.

48 Contra enormiſſimum, & neſandum ſodomię crimen patrantes procedatur grauiſſimis à Iure, & Regni conſuetudine pœnis taxatis, alijſque ad Epiſcopi arbitrium.

49 Similiter contra inceſtuoſos pœnis procedatur grauioribus, nimirum in primo conſanguinitatis gradu quinque annos triremibus; at in primo affinitatis gradu duos annos eiſdem triremibus deputabitur; ſi verò ſe quis eodē ſcelere in ſecūdo cōſāguinatis gradu cōtaminauerit, duos annos in noſtris carceribus; ſed ſi in ſecundo affinitatis gradu, annum vnum ibidem explebit; poterunt tamen hę in pœnas pecuniarias commutari ad Epiſcopi iudicium: Cęteris verò in gradibus vn-

cijs

cijs viginti, vel carceribus ad noſtrum arbitrium plectetur; quam pœnam etiam ſubibunt, qui vinculo affinitatis ſpiritualis colligati peccabunt quod ſi cum inceſtu coniungatur & adulterium ex vtraque, vel altera parte, pœnę prędictę duplicabuntur.

50 Si quis virginem ſtupraſſe probetur, pœnis in Iure Canonico inflictis ſubiaceat, alijſque noſtro arbitratu; dum verò videtur an eam in vxorem ducere debeat, vel dotare noſtris carceribus cautè detineatur; donec plenè per eum ſententię noſtrę ſatisfactum fuerit, quod ſi raptus acceſſerit tres annos in carceribus inſumet.

51 Si quis infame, & omnibus ſęculis, atque nationibus ſemper damnatum lenonis officium exercere cōuincatur, & fuſtigatione publica, & duorum annorū ab ea Vrbe, vel oppido caſtigetur exilio.

52 Parentes filias proprias proſtituere per ſummā impudentiam pręſumentes, fuſtibus per Vrbem verberati, exilio ad noſtrum nutum duraturo mulctentur.

Cap. VIII.

De Vſurarijs.

53 In vtroque 1 Dei Domini noſtri teſtamento vſurarum ſcelus improbum, atque abominabile prohibetur, adeò vt nihil prorſus, nec vnicum denariolum ob merum, & pręciſum, vt aiunt, mutui titulum ſupra ſortem principalem, ſeu nummorum mutuatorum ſummam vnquam licitè accipi poſſe permittatur, id vt pœnitus è noſtra Diœceſi exterminetur modis omnibus curent noſtri Tribunalis Miniſtri. Et quidem ſi quis vſurę, aut illicitę negotiationis ſordibus inuolutus repe-

1 Eccl. cap. 18. pſal. 14. Leuit c 25. S. Luc. c. 6.

tia-

riatur, ſtatim denuncietur, vt pœnis per Sacros Canones preſcriptis mulctetur, atque vncijs preterea viginti quinque pro qualibet vice, alijſque ad noſtrum arbitriũ puniatur.

54 Contrahentes in caſibus à iure ob palliatas vſuras prohibitis, item ipſe tabellio, ſeu notarius inſtrumentum vſurarium conficiens, proxenetę, ſeu mediatores ad eam negotiationem, & contractum ineundum, & quotquot ad illum cooperati ſunt, ſciant cogendos à nobis omnino eſſe, & ad reſcindendum contractum, & ad reſtitutionem faciendam ſub grauiſſimis pœnis.

55 Confeſſarij eos ne abſoluant niſi certò conſtiterit reſtituiſſe, quod per vſuras peſſimè partum eſt; imò Parochi vſurario manifeſto defuncto Eccleſiaſticam ſepulturam denegent; quod ſi in fine vitę reſipiſcens mãdauit ex ſuis ſubſtantijs per hęredes, aut alium quemuis fidei commiſſarium pro vſuris, quas recepit, ſatisfieri ijs, ad quos attinet, adhuc tamen interdicatur ſepultura, donec re ipſa, & plenariè ſatisfactum fuerit, vel de reſtitutione facienda noſtro Vicario Generali in Vrbe, Vicario foraneo in Diœceſi, idonea fideiuſſio præſtita ſit.

Cap. IX.

De nonnullis alijs remouendis puniendiſque Delictis.

56 Ad eam cœcã inſaniã pleroſque perduxit iracũdia, vt parentes percutere, vel in eos violentas manus injjcere auſi fuerint; ij ſi humili loco nati ſunt per Vrbẽ vapulẽt. Si autẽ honeſtis ſint natalibus orti, rigoroſo car

cere pro delicti grauitate detineantur, nec inde liberẽtur, niſi ad parentum ipſorum pedes procumbentes veniam ab ijſdem exorent.

57 Tanta eſt quorumdam aliena negotia inueſtigãdi curioſitas, vt eorum literas non ſine ingenti offenſione aperire, vel præoccupare non vereantur. Ideoque ne quis in poſterum id audeat, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus.

58 Vt debitus Eccleſiaſticis deferatur honor, edicimus ne quis eos iniurijs, conuicijs, aut verbis ignominioſis proſequatur, secùs carceribus ad noſtrum arbitrium addicatur, & niſi parti offenſæ ſatisfaciat excõmunicetur; qui autem eoſdem percuſſerit, vel violentas manus in illos iniecerit, vltra excommunicationem quam ipſo facto incurrit, nouerit quod ſi leuis fuerit percuſſio, pœnam vnciarum quatuor, vel carceris quatuor menſes inibit: Si verò cum leui ſanguinis effuſione fuerit, vncias octo ſoluet, vel menſium octo carcerem ſuſtinebit. Si ex ictu ſequetur notabilis deformitas, aut mutilatio, aut cicatrix valdè apparens remaneat; viginti vncias pendet, aut duos ad annos noſtris carceribus mancipabitur. At ſi percuſſio mortem Clerico, aut regulari defert, præter Canonum pœnas, perpetuo carceri, vel decem annos damnabitur triremibus.

59 Quod ſi Clericus, aut Sacerdos laicum quempiam iniurijs, ſeu contumelijs affecerit, aut percuſſerit noſtro punietur arbitrio, & quidem pro grauitate delicti, & iuxtà ſuperiùs memorata.

60 Qui Curiæ ſpiritualis in Vrbe, vel in diœceſi miniſtros per nos conſtitutos, aut verbis, aut opere occaſione eorum officij irreuerenter tractare præſumpſerit, nouerit pro iniuriarum grauitate, & qualitate perſona-

rum offenſarum grauiter noſtro arbitrio fore plectēdos.

61 Si quis è noſtrorum miniſtrorum manibus aliquē ciuili de cauſa captum eximere auſu temerario tentauerit, aut re ipſa exemerit, parti debitum ſoluet, & Curiæ noſtræ vncias viginti pijs applicandas operibus; atque annuum carcerem patiatur; ſi verò cauſa fuerit criminalis, tres annos triremibus, aut quinque carceri emancipetur.

62 Qui verò noſtris miniſtris eam reſiſtentiam fecerint adeò vt illi noſtra, vel Vicarij Generalis, aut foranei mandata exequi nequiuerint, vncijs puniantur viginti, vel ſolidum annum vinculis caſtigentur.

63 In noſtris carceribus detenti, quicumque illi ſint, ſi eos frangere, vel, vt vulgus loquitur, *diſcalare* tentauerint, & cum inſtrumentis deprēhenſi fuerint, noſtrū plectentur ad placitum; quod ſi fuga ſequuta ſit, vltra pœnas delicto, ob quod incluſi detinebantur, commeritas, remis, vel carceri ad triennium deputabimus, & criminis confeſſionis, atque ſufficientis probationis nobis ipſamet fuga erit argumento; qui autem ad id cōſilium, aut opem dederit excommunicationem latæ ſētentiæ incurret, & alijs noſtri arbitrij mulctis punietur.

64 Si accidant in carceribus rixæ, tumultus, graues contumeliæ, percuſſiones, & vulnera, nouerint contra delinquentes ſummatim, & ſine vlla iuris ſolemnitate procedendum fore ad compedes, ad ſtrictiora vincula, &, vt aiunt, *ad tractus cordæ* illicò deueniendum.

65 Qui in Cœmeterio, vel Eccleſia quauis rixauerint citrà ſanguinis effuſionem, ſex ſoluant vncias, vel in carcerem ſex menſes detrudantur; at ſi ſanguis effluxerit, excommunicationis, & viginti vnciarum pœnas perſoluant; ſi mors ſequuta fuerit, & excommuni-

catio-

cationis, & carceris diuturnioris pro delicti circumſtā-tijs mulctam dabit.

66 In ſacris conſtituti, vel Clerici beneficium obtinentes, à quo ſingulis annis octo ſaltē vncias percipiūt, quotidie diuinum officium tenentur integrè recitare; ſi quis horum pluries in hebdomada ſine iuſta cauſa illud omiſiſſe probetur, præter à Sacris Canonibus, & bullis apoſtolicis inflictas pœnas, carcerem ſubibit nobis arbitrarium.

67 Famoſos libellos tùm qui componunt, tùm qui ſcribunt, tum qui publicis in locis, aut priuatis domibus affigunt, in excommunicationem ipſo facto incurrant, alijſque per Sacros Canones, & Apoſtolicas cōſtitutiones pœnis ſtatutis ſubiaceant.

68 Occultantes pia legata, atque vſurpantes bona Eccleſiaſtica, vel ſcripturas publicas, aut priuatas ad illa pertinentia præſenti conſtitutione anatematizamus, & in excōmunicationē latæ ſententiæ incurſos eſſe declaramus, ni infra octo dies poſt huius decreti publicationem reuelent, & reſtituant.

DECRETVM XXXIV.

DE FORO IVDICIALI, & Officialibus Curiæ Epiſcopalis.

1 REceptam à noſtris prædeceſſoribus iudiciorum formam, & leges municipales, quò ad fieri poteſt, retinendas eſſe cenſemus, tum quò ad probatoria in cauſis tam ſummarijs, quàm ordinarijs, tum ad terminos præfigendos, tum ad ordinatoria; ſed in deciſorijs,

& cauſarum inſtantijs à Iuris Canonici præſcripto, nec latum vnguem recedere volumus: Atque vt omnis numorum extorſionis ſpecies à noſtra Curia arceatur, & tàm officialibus quid eis eſt ſoluendum, quàm *ipſis litigantibus* innoteſcat, diligentes taxationes, ſeu pandectas perpetuò ſeruandas edere ſtatuimus, & hoc Synodali decreto corroborare, quas vulgari idiomate reddendas citiſſimè curabimus; vt publico in loco ſui officij omnes Magiſtri Notarij exponant cuilibet legẽdas, & ad amuſſim ſeruent ſub pœna vnciarum decem, quarum vna ipſi deferenti cedet.

Cap. II.
De Vicario Generali.

2 Vicarius noſter Generalis, qui debet eſſe Clericus, & vtriuſque Iuris, vel ſaltem Iuris Canonici Doctor, aliàs 1 in deciſione cauſarum votum alterius *Doctoris* ſequi debet, quantum fieri poteſt, eique ſe ſubſcribere; nę ſit perſonarum acceptor; ſi quæ alicuius momenti in Diœceſi accidant, Epiſcopo deferat; licet Vicarij Generalis, & Epiſcopi vnum, & idem ſit Tribunal, vnde in cauſis ordinarijs eamdem poſſit exercere iuriſdictionem, in nulla tamen re, aut negotio recedat à forma noſtrę commiſſionis; quapropter ab his, quæ ſpeciale mandatum requirunt, vt conferre beneficia, litteras dimiſſorias, & habitum clericalẽ concedere, atque diſpenſare ſupra ætatem pro receptione, vel adminiſtratione ſacramentorum à Sacris Canonibus, vel à nobis præſcriptam, & à ſimilibus prorſus abſtineat; niſi fortè pro his quoque, vel eorum aliquo ipſe Vicarius Generalis ſit à nobis deputatus.

1 Nauarr. Carſ. Vn. de off. Vic. & la è Iacob. Sbrollius in Tr. de Ver. Ep. l. 1. q. 36

Denique ad eum in primis ſpectare ſciat quidquid de forancis Vicarijs præſcribimus. Ca-

Cap. II.

De Vicarijs foraneis.

3 Vt vno tandem veluti intuitu quidquid ſui officij eſt perſpiciant Vicarij foranei noſtras haſce Synodales conſtitutiones diù, noctùque verſent; in earum enim obſeruantia, & ſuis factis exprimenda, atque in alijs ſedulò curanda, promouendaque toti eſſe debent; ſed in primis perquàm diligenter illi noſtri gregis portioni inuigilent, cuius curam eis commiſimus, vt non modò vitiorum ſaltus euitet, verum etiam per virtutum ſemitas dirigatur, & proficiant; videant num Parochi, cæterique ſacramentorum adminiſtri prompto, & alacri animo munus ſuum exequantur, ſi requiſita ſcientia, morumque integritate ſint prædíti, an ſtatuta die ad caſus conſcientiæ diſcutiendos, vel lectionem audiendam Confeſſarij congregentur; perſcrutentur Sacerdotum, & Clericorum vitam; num miſſarũ oneribus iuxta teſtatorum voluntates ſatisfaciant, & an Subdiaconi, Diaconi, & reliqui in minoribus conſtituti Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, inſeruiant, atque ſacramentorũ vſum frequentent: non eos lateat ſi quis regularium grauitèr extra clauſtra deliquit; ſi intra monialium ſepta ad regulam, & præſcriptiones viuitur; Eccleſias noſtras tertio quoque menſe viſitent, earumque cultui operam non ſegniter nauent; Eccleſiaſtica bona conſeruari curent; piorum operum, atque legatorum adminiſtrationem, exequutionemque inueſtigent: aduertant num Sodalitates, Congregationes, & Confraternitates noſtræ ſubiectę iuriſdictioni ſanctè, & pacificè inſtitutum

tutum

tutum teneant; num quæ in noſtra viſitatione, aut alijs ſubinde miſſis edictis cauta ſunt accuratè exequutioni mandentur: an peregrini, & ignoti presbyteri ad miſſas celebrandas ſine noſtra licentia admittantur, & ſi quid in prædictis peccari aduertat nos quamprimum, ſed ſincerè certiores faciat, vt opportunis occurramus remedijs; & ipſe Vicarius pœnarum hac noſtra Synodo ſtatutarum exactor ſit, & ad noſtros nutus expenſor; idcircò ſingulis ſaltem menſibus ad nos literas dare teneatur, de horum omnium cęterorumque noſtris hiſce Conſtitutionibus Synodalibus decretorum obſeruantia niſi malit priuationis pęnam ſubire.

4 In ijs ciuitatibus, & oppidis in quibus nullus ex antiqua conſuetudine exiſtit cum ſua ordinaria iuriſdictione Parochus, ſed merus, & ad nutum amouibilis Coadiutor, ſeu Cappellanus, ipſos Vicarios in primis ibidem Vice Parochos eſſe declaramus, & huius Synodalis conſtitutionis vigore inſtituimus, ſemper tamen, vt innuimus, ad noſtrum beneplacitum mutandos.

5 Sacerdotes, qui ratione beneficij, vel Cappellaniæ in Eccleſijs ſacramentalibus rem ſacram tenentur peragere, Vicarij compellant ſollemnioribus diebus ad eaſdem venire vt Parocho, ſeu Cappellano curato ad diuina munia exequendā ſuam etiam præſtēt operā.

6 Parocho, ſeu Cappellano Curato in extremis agēte diligentiam opportunè adhibeant Vicarij, ne libri ad illius officium ſpectantes deperdantur, ſed eos cum repertorio penes ſe retineāt nouo Curato ſtatim conſignandos.

7 In proceſſionibus aduertant maximè ſeruari, quæ nos in eorum decreto ſtabiliuimus, ſub pœnis ibidem taxatis; ſed in primis vt nouæ, præter quam in Eccleſia,

aut

aut vltra quingentos paſſus extra Ciuitates, vel oppida ſine noſtra ſcriptis ſignanda facultate non inſtituantur; legitimè verò inſtitutæ vt ſtatis omninò diebus, & hora, vijs, atque terminis cum debita modeſtia, & ordine agantur; vt ij interſint tempori, qui de iure, vel conſuetudine obligantur, & quidem cum decentibus inſignibus, & luminibus iuxtà vniuſcuiuſque inſtitutum; Cõfratres verò ſacco indutos cooperta facie incedere cogat. Libros, imagines, ſtatuas venales exponi ne patiatur priuſquam ipſe Vicarius recognoſcat.

8 Neminem ſine noſtra venia ſcriptis comprobata per Vrbes, oppida, vicos, aut agros, quæſtuari permittat. Sodalitates verò, Confraternitates, aut quæuis alia Eccleſia, quę hanc à nobis facultatem impetrarũt diebus tantùm ſtatutis per nos, & eo ſolum modo, atque cum imagine conceſſum eſſe intelligant.

9 Publicis in hoſpitijs ne inhoneſtæ, atque petulantes mulierculæ degant caueant diligentiſſimè, aliàs & ipſi, & qui hoſpitiorum curam gerunt grauiter erũt puniendi; quin hos publicos hoſpites iubemus ſtatim Vicario renuntiare quoties aliquam fœminam, etiam vnicum diem, aut noctem in ſuis ſedibus, tectiſque oportuit recipere; negligentes pœna vnciarum quatuor mulctentur.

10 In ijs, quæ ad eorum officium actinent, & alicuius ſunt ponderis vtantur opera, & conſilio aſſeſſoris, ſeu Conſultoris per nos, vbique noſtrę Diœceſis locorum deſignandi, ideoque deliberationes, ſeu vt aiunt *prouiſiones, & prouiſtæ* ea forma conficiantur, vt & de Vicarij mandato, & ad prędicti aſſeſſoris relationẽ emanare videantur. Vetamus autem ſub pœna vnciarum viginti noſtrę Camerę impendenda, ne vllus Vicario-

cariorum ſuum ſibi Conſultorem eligat, aut à nobis cōſtitutum amoueat; mutetue ſine noſtro conſenſu ſcriptis expreſſo. Cauſas ciuiles infra vnciarum ſex ſummam ipſimet Vicarij foranei decidere, & terminare poſſunt ſummariè; ſine ſtrepitu, ac figura iudicij, etiam cum de decimarum, primitiarum, ac fructuum beneficiorū, & his ſimilium exactione agitatur; Iudices, qui ſecùs fecerint ſuſpenſionem ab officio per menſem incurrant: ſi verò eam exceſſerint ſummam ad Vicarium Generalem remittant; aliàs eorum ſententiam nullam, & irritam eſſe declaramus.

11 Sciant igitur omnes Vicarij, Iudices, aſſeſſores, alijque Spiritualis Curiæ Miniſtri noſtram intentionē non eſſe litibus fomitem adiungere, earum terminos indebitè differre, deciſioneſque protrahere; quapropter huiuſmodi officialibus præcipimus circa ordinationes, iniunctiones, citationes tum criminalium, tum ciuiliū rerum, proceſſus, cedulas, cæteroſque iudiciales actus, vt breuiori, quo poteſt tempore, paucioribus expenſis, atque minori litigantium incommodo præſtent, ſecùs in eos non leuitèr animaduertemus, & officio priuabimus.

12 Non permittimus modò, ſed etiam mandamus Vicarijs foraneis, vt cautas, prudenteſque delicti cuiuſcumque indagationes faciant, vbi quid illius odorati ſunt, denunciationes, & accuſationes recipiant, imò & reos in carceres detrudant, & ſi mulieres ſunt domibus retineri mandent, niſi exceſſus grauitas aliter ſuadeat, atqui informationes, aliaque omnia acta ad magnam Epiſcopalem Curiam citiſſimè traſmittere debēt, nec eos, quos ob graues cauſas ergaſtulis, ſeu carceribus manciparunt, ſine noſtra, vel Generalis Vicarij licentia abſoluant, liberentque, niſi vt coram nobis ſi-

ſtant,

ſtant, atque ſe præſentent infra menſem, quem *redeundum* nominant; præſtita priùs à commodè viuentibus ſecura fideiuſſione iuxtà delicti, & perſonæ qualitatem; pauperioribus verò data tantum iniunctione; traſgreſſores decem ſoluant vncias, & vicariatu duos annos careant.

13 In ſolemni Corporis Chriſti Domini proceſſione, eiuſque Octaua Præsbyteros ſacra pœnula, quam dicimus *planeta*, *vel caſubula*, aut ſaltem ſtola ornatos incedere faciant Vicarij; in reliquis verò publicis proceſſionibus ſtolam ſolis Parochis, curatiſque Cappellanis primarijs permittant.

14 Informationes quaſcumque in ſingulorũ menſiũ fine ad nos tutò perueniendas curent, & litteras ſui Magiſtri Notarij teſtimoniales, quod aliæ apud ſe non teneant, ſub pœna priuationis officiorum.

15 Si qui ſimplicis concubinatus fuerint primò accuſati informationes Vicarius ad nos traſmittat; eos interim de non conuerſando inuicem ſub grauibus pœnis iniunctos, ſub fidei iuſſione de ſe præſentando ad omne Curiæ mandatum quò voluerint abire nõ impediat; iniunctionum autem quarumlibet, poſtvbi in libro hunc in finem deſtinato eas deſcripſerit, ad nos mittat exẽplar.

16 Si, quod abſit, in aliquod Sacerdos, aut Clericus ſcelus incidat publicum, & ſcandaloſum, informationes ſtatim recipiat Vicarius; at ſi occultum fuerit ſecretò Epiſcopum moneat, vt ſine diffamatione remedium opportunum adhibeat.

17 Ad verſutorum hominum nequitiam comprimẽdam conſtituimus, vt in noſtro iudicio ſpirituali tam actor, quam reus ante quam lis conteſtetur, iuramẽtũ

præſtent iuxtà Canonum Sanctiones à calumnijs abſtinendi, ſi cui verò Clericorum apud ſæculare tribunal ciuiliter, ſeu cum proteſtatione canonica criminaliter agere opus eſt, vt ſcandala, quæ inde oriri ſolent euitentur per procuratorem potius quã per ſe ipſum agat, & litem proſequatur.

18 Ne lites longiùs protrahantur, bis in hebdomada, ſecunda ſcilicet, & quinta feria, vel proxima non impedita, Vicarij cauſas fiſcales cum ſuo Conſultore diſcutiant, & quoad ipſos attinent expediant; negligentes ab officio ſuſpẽdemus ad noſtrum beneplacitũ.

19 Nullis precibus, nullaque ratione à ſe impetrari patiantur Vicarij, vt ſinant contra Canonicas Conſtitutiones Clericos in laicorum Tribunali iuridicè interrogari, aut teſtimonium dicere, neque acta Curię noſtræ Epiſcopalis contra quemuis vllo prætextu, etiã defenſionis colore, aut ſpecie ad ſecularem Iudicem traſmitti: Inobedientes, & pœna excommunicationis, & alijs arbitratu noſtro infligendis, punientur.

20 In ſingulis noſtræ Diœceſis Vrbibus, oppidiſque Magiſtros Notarios Curiæ Spiritualis, Scribas, Commiſſarios, Fiſcales, & Algozirios conſtituere noſtræ ſolius auctoritatis eſt; quare caueant Vicarij foranei iniuſſu noſtro aliquem ſubſtituere, niſi fortè ad breue tẽpus ob abſentiam, aut infirmitatem eorum, quos nos ipſi inſtituimus, secùs noſtram indignationem, & mulctam incurrent.

21 Cæterum Vicarij foranei iuriſdictionis à nobis conceſſę fines non protrahant, aut excedant, ſed noſtra ad amuſſim mandata tueantur; atque in ſui muneris exercitio eos ſe prębeant, quos cæteri omnes ſequantur, atque imitentur, & quam ab alijs exigunt conſtitutio-

num

num Synodalium obſeruantiam, ipſi primariò dictis, & factis exprimant, quæque in Clericis perſequuntur, & caſtigant vitia, ipſi omninò horreant: in rebus difficilioribus tùm ad Synodi conſtitutiones actinentibus, tùm ad reliqua noſtra mandata peculiaria exequenda, tùm ad Clericorum mores, populique corrigendos nos conſulant.

22 Et ne ſua in peragẽdis forenſibus negotijs merces debita deſit, taxationem, ſeu pandectas noſtras ad vngem ſeruabunt, vltra quas nequicquam prorſus exigãt, ſeu vt veriùs dicamus, extorqueant; imò nec etiã ſponte oblatum accipiant, niſi malint annuam, & ignominioſam ab officio depoſitionem pati.

23 Fides, quas approbatorias, vel exculpatorias appellant ſine noſtro conſenſu ne conficiant, aliàs vncijs quatuor mulctabuntur.

24 Eccleſiarum, Monaſteriorum, Montium Pietatis, ſodalitatum, aliorumque locorum ſortes, ſeu capitalia penès generales, aut particulares Depoſitarios à nobis deputatos repoſita ne ſinant nouis applicari cenſibus ſine noſtra ſcriptis exarata facultate, & præcipuè ſi capitalia quinquaginta aureorum ſummam excedant. Cenſuum autem reluitiones, vt aiunt, & capitalia, quæ depoſitariorum prædictorum manibus ſunt facta, nobis tertio quoque menſe ijdem Vicarij exponant, aut per ipſoſmet depoſitarios exponenda curent ſub pœna priuationis officij, alijſque ad noſtrum iudicium infligendis.

25 Delegati per Diœceſim, vbi eos deſtinandi grauis neceſſitas erit, perſpiciant Vicarij foranei quomodo illi ſe gerant, & de eorum moribus nos ſtatim certiores reddant; nec vllo modo ſinant eos datam exercere iu-

riſdictionem, niſi prius à nobis factam poteſtatem oſtẽderint, neque huius limites excedere patiamur.

Cap. III.

De Iudicibus, Conſultoribus, & Aſſeſſoribus.

26 Noſtri Conſultores, ſeu vt dicunt Aſſeſſores vtriuſque Iuris Doctores eſſe debent, vtpotè ex ijs vbi occurret caſus in noſtro Tribunali à nobis Iudices ordinarij conſtituentur; quorum votum nos etiam in ijs, quæ ad forenſes cauſas ſpectant, percontabimur, & quoad fieri poteſt ſequemur.

27 Diligentes ſint in viſione ſcripturarum, & informationum: ſuper cauſis decidendis debitum præmittãt ſtudium, & ſe peculiaribus paſſionibus exuant, iuſtitiæ partes viriliter tueantur, credentes de omnibus nouiſſima die diuino, & inexorabili Iudici rationem reddituros eſſe.

28 Præter mercedes ſibi iuridicè debitas iuxtà noſtrarum Pandectarum normam nihil accipiant, ne venales ſuas ſententias feciſſe audiant; ſecus facientes officio priuabuntur.

29 In negotijs expediendis ſint accurati, & ſolliciti, quapropter terminos à Iure; vel à conſuetudine in noſtra Curia præſcriptos ne prætergrediantur.

30 Denique cum & ab experientia noſmet ipſi didicerimus, & prudentum iudicium aduerterit multoties Conſultores noſtros, ſeu Iudices à partibus recuſari, vt ſuſpectos, non quod re vera ita ſint, ſed vt callidè protrahantur lites. Ideoque ſtatuimus vt circa Iudicum, vel Conſultorum huiuſce Curiæ ſuſpiciones adducendas, & recu-

recuſationes tentandas forma Regiæ Pragmaticæ omnino ſeruetur.

Cap. IV.

De Fiſci Patrono, & Procuratoribus fiſcalibus.

31 Fiſci Patronus; quem & Aduocatum fiſcalem nuncupant, iuſtitiæ leges in noſtro Tribunali obſeruãdas, tuendaſque omni, quo poteſt, ſtudio curare debet; & informationes ſincerè recipere; fideliterque referre diuinum ob oculis ſemper habendo iudicium. Porrò ab ipſo captæ informationes ad Cõſultorem non tranſmittantur niſi facta per Nos, aut per Vicarium Generalẽ, & ipſummet Fiſci Patronum miſſione.

32 In cauſis criminalibus habita per fiſcum ſufficiẽti probatione, & dato ad defenſiones termino duodecim dierum, ad vlteriora procedatur; nec alius prorogetur terminus, niſi aliud nos pro cauſæ qualitate, & actorum, reorumque conditione aliud in Domino iudicauerimus.

33 Procuratores fiſcales principales miniſtri ſunt executionum iuſtitiæ in noſtro Tribunali, & veluti Vicarij Generalis, atque fiſci patroni brachia; Proceſſus omnes Fiſci Patrono denuncient, eorumque de ijs, quæ ibi continentur admoneant, ęrarios in officio coerceant; & ſi in aliquo eos delinquentes nouerint, nobis, vel Vicario Generali referãt, vt debitis pœnis caſtigemus.

Cap. V.

De Magiſtro Notario.

34 Magiſter Notarius ſpeculum eſt Curiæ Epiſcopalis; Caueat igitur perquam diligenter ne auaritiæ

ſordibus commaculatus noſtræ intentionis offuſcet integritatem, vel quid ab ea diuerſum ſuis factis, verbis, & ſcriptis demonſtret, aliàs in eum vltra officij priuationem, grauibus quoque pœnis animaduertemus.

35 Curet ne qua actorum exſcriptio, vel collatio in publicum prodeat, niſi ſuamet manu ſubſcripta fuerit: Acta verò originalia, ſeu proceſſus, quos ipſe confecit, vel qui ad nos, ſeu magnam noſtram Curiam, vt omninò fieri præcipimus, ex quibuſuis Diœceſis locis trãſmiſſi ſunt, nullo modo, aut prętextu inducatur partibus, ſeu earum Procuratoribus, aut Aduocatis tradere, aut oſtendere, aliàs ſit ipſo facto excommunicatus.

36 Claues, quibus huiuſmodi originales ſcripturæ cuſtodiuntur nemini prorſus concedat ſub pœna menſtruę carcerationis.

37 In rationum, iuriumque taxatione integer, & accuratus ſit, caueatque ne vllus miniſtrorum illa exigat, aut recipiat contra noſtrarum pandectarum præſcriptũ; quare in ipſis proceſſibus, & ſcripturis conuenientem ſummam ſua manu notabit, & ſubſcribet.

38 In fideiuſſionibus recipiendis Magiſter Notarius eos ne admittat, qui pauperrimè viuunt, vel qui vltra domos alia ſtabilia nõ poſſidẽt; aliàs de proprio ſoluet.

39 Quilibet Magiſter Notarius Curiæ ſpiritualis librum habeat, in quo legata pia in dies relicta à defunctis adnotet, quæ quidem legata, vt diximus, Notarij infra menſem à die mortis teſtatoris ipſi magiſtro Notario referre ſub pœna vnciarum decem teneantur.

40 Præter hunc alios quoque libros habeat Magiſter Notarius Magnæ Curię Epiſcopalis, in quibus informationum, proceſſuum, & ſcripturarum à Vicarijs foraneis, vel delegatis tranſmiſſarum diſtincta Iuliana

con-

contineatur, illarumque conſignationes ibidem notet, vt partibus inde conſtet eas eſſe iam tranſmiſſas.

41 In fine ſui officij hos omnes libros, & acta à ſe confecta, atque reliquorum omnium in Curiæ arca contentorum inuentarium quilibet Magiſter Notarius ſucceſſori teneatur conſignare; ſi quis in prędictorum aliquo inobediens fuerit, rigorosè punietur.

42 Curet inſuper Magiſter Notarius duplicem apud ſe indicem efformare, in quorum vnum ſupplicationes referantur, quę in Deputationibus, aut alibi iuridicè proponuntur, & in altero decreta, & prouiſiones omnes, quę tum in deputationibus, tum extra illas ſuper ſingulis informationibus fiunt, exarentur.

43 Nullas prorſus in regiſtro litteras traſcribendas permittat, ſi noſtra, vel Vicarij Generalis, & Conſultoris manu non ſint munitę, nec litterę monitoriales, citatorię, inhibitorię, & cuiuſuis generis alię regiſtrētur, quin prius ſint debitis ſubſcriptionibus obſignatę, & dies etiam per Magiſtrum Notarium ſit notata.

44 Singulas deciſiones noſtrę Curię, & decreta iuridica, & regiſtrorum tranſcribi pręcipimus adeò vt illa executioni mandari prohibeamus, ſi in calce ſcriptū teſtimonium regiſtri non pręferant. Rerum Criminalium acta, & ſcripturę proprio in codice ſeorſum à ciuilibus aſſeruentur; quod etiam de vtriuſque fideiuſſionibus dictum intelligatur.

45 Scripturę, ſeu, vt vocant, *incartamenta*, quę ad obtinendas beneficiorum inſtitutiones fiunt, non reſtituantur partibus, ſed Archiuario, ſic etiam litteras dimiſſoriales, quarum virtute alienos diœceſanos ordinauimus, vel matrimonium contrahere permiſimus tradantur conſeruandę.

Ne-

46 Vt ſcripturarum omnium ad Curiam Epiſcopalem directè, vel indirectè pertinentium certa ratio habeatur, & nullo vnquam futuro tempore memoria elabatur Prędeceſſores noſtri locum certum in noſtro Palatio pro illorum Archiuio deputarunt, eorũque inuentarium conficiendum curarunt, eiuſque alteram Clauem Vicario Generali, alteram Magiſtro Notario conſignari iuſſerunt.

47 Nos in eiuſmodi Archiuij curam ſummoperè intendentes, vtpotè qui rem maximi momenti eſſe liquidò intelligamus, ei virum probatæ vitæ, & in forenſibus verſatum præfici mandamus, quem propterea Archiuarium dicimus. Cuius munus præcipuum ſit has ſcripturas fideliter ſeruare, & ſuum cuique locum pro varietate materiæ, & anni aſſignare, atque indicem, inuentariumque conficere, vt facilè quærentibus eas exhibere valeat.

48 Quapropter mãdamus vt quotannis menſe Septembris acta, quæ vel in noſtra Epiſcopali, vel in Vicariorum foraneorum Curia, vel in viſitatione, aut quauis alia ratione fient à Magiſtris Notarijs ad Archiuarium tranſmittantur, vt is peracto eorum inuentario ſuis quæque locis ordinata reponat; atque adeo nonniſi vnius anni currentis acta penes Magiſtros Notarios ſeruari concedimus, at verò ſcripturas ad Epiſcopalem, vel Capitularem menſam quouis modo ſpectantes in arca diſtincta idem Archiuarius tribus occludet clauibus, quarum vna ſit pœnes Vicarium Generalem, alteram Prior, tertiam Capituli Depoſitarius habebit.

49 Sub pœna priuationis officij, & vnciarum viginti Archiuario interdicimus trasferre ſcripturarum archetypos, quos ſcripturas originales nominant, extra

Ar-

Archiuium etiam ad exempla tantum illarum faciẽda: eamdem pœnam, & excommunicationem ipſo facto incurrendam ipſi Archiuario, & cuilibet alij imponimus ſi archiuij ſcripturam aliquam, vel actum violare, ſubripere, mutilare, delere, occupare, aut dilacerare præſumpſerit.

50 Vt autem omni tempore, ſed præſertim ſede Epiſcopali vacante diligentiſſimâ prædicti Archiuij ratio, & cuſtodia habeatur, hoc Synodali decreto ſtatuimus ſtatim ac ſedes vacauerit, duabus clauibus claudi Archiuium, quarum vna Capitulari Vicario, altera Cathedralis Priori tradatur, quod ſi tunc idem Prior ſit Vicarius tradatur ei dignitatem habenti, qui Prioris loco ſuccedit in Choro; qui ſanè de ſcripturis omnibus in inuentario adnotatis futuro Epiſcopo rationem reddere teneantur.

51 Nemini ad quem non ſpectat ratione officij, vel ſcripturæ neceſſariæ efflagitationis, in Archiuium ingredi, nec ſcripturam vllam per ſe ipſum inquirere, aut libros euoluere concedatur ſine aſſidua præſentia Archiuarij, qui ſi negligens fuerit, grauiter punietur.

52 In Archiuio ſequentes codices omninò, & ſemper reperiantur; nempè vnus, qui contineat collationes Eccleſiaſticorum beneficiorum à nobis, ſeu à Sede Apoſtolica factas, atque reſignationum publicationes.

53 In altero ad ordines promoti, & titulus deſcribatur. In tertio Iura patronatus Eccleſiaſticorum. In quarto Præſentationes, & Inſtitutiones beneficiorum de Iure Patronatus laicorum. In quinto litteræ Sacræ Congregationis Cardinalium ad nos, noſtrum Vicariũ Generalem, vel ad hanc Curiam Epiſcopalem tranſmiſſæ. In ſexto excommunicationes, ſuſpenſiones, in-

terdicta, & abſolutiones. In ſeptimo ſententiæ diffinitiuæ rerum ſpiritualium ad cultum diuinum, ac curam animarum pertinentium. In octauo cauſæ matrimoniales. In nono facultates excipiendi confeſſiones conceſſæ. In decimo Index eorum, qui fidei profeſſionē emiſerunt, atque noſtrorum Examinatorum, Deputatorum, Conſultorum, Vicariorum, reliquorumque officialium magnæ noſtræ Curiæ. In vndecimo diplomata, & reſcripta ſummorum Pontificum, & ſententię Apoſtolicorum Delegatorum. In duodecimo adnotētur Pia legata.

Cap. VI.

De Actuarijs, Commiſſarijs, Atrarijs, ſeu Algozirijs.

54 Actuarij Curiæ Epiſcopalis acta omnia à ſe confecta infra viginti quatuor horarum ſpatium teneātur in regiſtrum, & alphabetum redigere ſub pœna priuationis officij.

55 Officiales huiuſmodi ſcribantur in matricula publicè expoſita, vt ab omnibus ſciātur, & Algozirij deferant ſignum, ſeu ſtigmata in pectore.

56 Horum nemo, nec vllus Scriba ſcripturam quāuis alicui tradat iniuſſu Magiſtri Notarij, & quæ ipſius Magiſtri Notarij manu non fuerit obſignata; aliàs carceris pœnam incurret.

57 Sub eadem pœna Actuarijs prohibitum eſto in noſtra Curia ſollicitatoris, aut Procuratoris officium vſurpare.

58 Commiſſarius nullam aggrediatur cauſam, nec infor-

informationes capiat, niſi Fiſci patrono, aut Aſſeſſore aſſiſtente, aut certè coram ipſo Vicario Generali. Inchoatas informationes in indicem referat; perfectas vno ſummum die apud ſe retineat; ſtatim enim Magiſtro Notario tradere debet, qui ad Vicarium, aut ad Conſultorem in cauſa aſſignatum per eiuſdem cauſæ Actuarium tranſmittet.

59 Ærarij, quos Algozirios nuncupamus Curię ſedulo aſſiſtant, ſemper expediti, & prompti ad exequẽdum id, quod per nos, aut noſtrum Vicarium Generalem eis fuerit iniunctum; ſuus cuique dies aſſignetur, quo nefas ſit à noſtra Curia abeſſe; feſtis tamen diebus in noſtro Palatio Epiſcopali cuncti reperiantur, nec iniuſſu Vicarij Generalis recedant, aut deſiderentur.

60 Proceſſionibus aſſiſtant, & diligenter curent vt dies feſti obſeruentur; tranſgreſſores ſtatim denunciẽt, nec vllo modo ab illis aut promiſſionibus, aut donis ſubornari patiantur, nec quicpiam loco pœnę ante illius condemnationem accipiant; aliàs & officio priuabuntur, & in carcerem detrudentur.

61 Neminem propria auctoritate expignorent, aut in Carcerem conijciant ſub ijſdem, alijſque grauioribus pœnis.

DECRETVM XXXV. & Vltimum.

DE EXAMINATORIBVS, Iudicibus, & Teſtibus Synodalibus.

Cap. I.

De Examinatoribus Synodalibus.

1 ſeſſ. 24. c. 18. 1 EX Tridentini Concilij preſcripto 1 Examinatores Synodales in præſenti Diœceſana Synodo propoſuimus, & ab eodem approbatos eligimus infraſcriptos viros, ijs quidem virtutibus, & doctrinæ gradibus præditos, quos idem Tridentinum requirit; *hi* cũ Epiſcopo examen eorum perficient, qui Parochialibus Eccleſijs ſunt preficiendi, neque omnis vniuscuiuſuis examini intereſſe debent, ſed dumtaxat quos ad illud nos ſpecialiter vocatos eſſe voluerimus, nec quidem tribus pauciores erunt vnquam; recogitent autem etiam, atque etiam eiuſmodi examinatores munus ex ijs, quæ conferre poſſumus maximi ponderis, & momenti ſibi demandari, vnde profectò Ecclaſiarum bonum regimẽ, & animarum noſtrarum tuta directio dependet, quare in manibus noſtris iuramentum præſtabunt illud fideliter, diligenterque exercendi; Caueant inſuper ne humanis reſpectibus in aliquem approbando, aliũue reijciendo trahantur, ſed quod æquum, dignumque in Domino arbitrati ſunt, id ſanè conſtantiſſimè exequantur; vanas hominum ſpes, premia, minas, timoremque diuino iudicio poſthabentes. *For-*

FORMA IVRAMENTI
Examin. Synod.

2 *Ego* N. *iuro me de mandatū mihi munus examinatoris fideliter, atque integrè, omni priuato ſtudio affectuque poſtbabito ex Sacri Tridentini Concilij præſcripto executurum. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

Examinatores ergo in hac Synodo propoſiti, & approbati ſunt.

3 Et primò quidem à nobis virtute Apoſtolicæ conceſſionis, & cum conſenſu Capituli noſtræ Cathedralis olim electi confirmantur, & in præſenti Synodo de nouo propoſiti, approbatique eliguntur.

V. I. D. D. Federicus Perremutus Vic. Gen. & Archid.
S. Th. & V. I. D. D. Valentinus Bonadies Prior Eccleſiæ Cathedralis, & Proton. Apoſt.
V. I. D D Alexander Rizzari Canon. Cath. Eccl.
S. Th. D. D. Thomas Boſſone Canon. Colleg. Catan.
S. Th. M. Fr. Bonauentura Belluto Min. Conu. S. Frãciſci ex Prouincialis Qualificator Sanctiſſ. Inquiſit.
S. Th. Prof. P. Franciſcus Intorcetta è Societate Ieſu. Qualificator Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

Inſuper etiam in præſenti Synodo approbati eliguntur

Examinatores Synodales.

V. I. D. D. Ceſar Faracc Canon. Cathed. Eccleſ.
S. Th. & V. I. D. D. Matthęus Chriſtadorò Canonicus Cathedralis Eccleſiæ.
S. Th. & V. I D. D. Carolus Finochiaro Præpoſitus Eccles. Colleg. Catan.

V. I. D.

V. I. D. D. Ioannes Andreas Trigona Præpoſitus Eccleſię Collegiatæ Platiæ.

V. I. D. D. Melchion Pugliſi Decan. Eccl. Coll. Platiæ.

V. I. D. D. Hieronymus Caſcio Canon. Eccl. Coll. Plat.

V. I. D. D. Petrus Sant'Angelo Rector Matricis Eccleſiæ CaſtriIoannis.

V. I. D. D. Vitus Tenerello Rector Mat. Eccl. CaſtriIo.

V. I. D. D. Ioſeph Cauallaro Vicarius Acis Aquileæ.

S. T. D. D. Thomas Tedeſchi Catanenſis.

S. Th. D. P. D. Vincentius la Valle Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis, Prior Ciramenſis, & publicus Lector Sacrę Theologię vniuerſitatis Catan. ac Conſultor Sancti Officij.

P. Fr. Cherubinus à Sambuca ſtrictioris obſeruantię Sãcti Franciſci, Sacræ Theologiæ Lector Generalis ex Prouincialis, & ex Diffinitor Generalis.

P. Fr. Marcellus à Catana ſtrictioris obſeruantię Sãcti Franciſci, & ad pręſens Guardianus Conuentus Sanctæ Marię Ieſus Catanę.

S. T. M. Fr. Felix Monſecato Ordinis Carmelitarum, Prior Conuentus Catanę.

S. T. M. & R. Fr. Nicolaus Lamammana Ord. Carmel.

S. T. P. Fr. Placidus Stagnitta Ord. Minimorum Sãcti Franciſci de Paula, Conuentus Catanę Corrector, & Meſſanenſis Prouincię Definitor.

S. T. P. P. Octauius Tedeſchi Societ. Ieſu.

S. T. P. P. Antonius Giuffrida Soc. Ieſu.

S. T. P. P. Placidus Maria Fardella Soc. Ieſu.

S. T. P. P. Ioſeph Aſmundo Clericorum Minor. Regul.

Ca-

Cap. II.

De Iudicibus Synodalibus.

3 Aliquot etiam viros doctrina, & pietate inſignes, atque dignitate, vel perſonatu, vel Canonicatu Cathedralis Eccleſię prępfulgentes mandant eligi Sacri Canones in Diœceſana Synodo, quibus cauſę Eccleſiaſticæ in partibus tutò delegari poſſint, quique in Iudices cõſeruatores à Regularibus iuxtà Conſtitutionem Gregorij X V. ſeruatis ſeruandis eligi valeant; Horum vbi aliquem è vita diſcedere contigerit, cum Conſilio Capituli noſtræ Cathedralis alium in eius locum vſque ad futuram Synodum, quod etiam de examinatoribus Synodalibus dictum volumus, ſubſtituemus; Eos autem omnes præmonemus, vt expediendis cauſis ſumma, qua decet, integritate, & quam citiſſimè fieri poteſt, ſtudeant, atque ſubdolas litigantium artes detegant, diſſipentque.

4 Iam verò cum omnes in præcedenti Synodo electi ſuum inueniantur obijſſe diem: ſubſequentes in pręſenti Synodo nominatos, & approbatos eligimus.

Iudices Synodales.

V. I. D. D. Fidericus Perremuto Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis, & Vicarius Generalis.

S. T. & V. I. D. D. Valentinus Bonadies Prior Cathedralis Eccleſiæ Protonot. Apoſtol.

D Innocentius Graſſo Cantor Cathedr Eccleſiæ.

D. Petrus Statella Theſaurarius Cathedr. Eccleſ.

S. T. D.

S. T. D. D. Marius Bonaiuto Canon. Cath. Eccleſ.
V. I. D. *D.* Franciſcus Strano Canon. Cathed. Eccleſ.
S. T. D. D. Eraſmus Bonaccurſo Canon. Cath. Eccleſ.
V. I. D. D. Bartholomæus de Oddi Can. Cath. Eccleſ.
D. Ignatius Muxmarra Canon. Cathedr. Eccleſ.
V. I. D. D. Alexander Rizzari Canon. Cathedr. Eccl.
V. I. D. D. Ioſeph Celeſti Canon. Cathedr. Eccl.
V. I. D. D. Nicolaus Tedeſchi Canon. Cathed. Eccl.
V. I. D. D. Cæſar Farace Canon. Cathedr. Eccleſ.
S. Th. & V. I. D. D. Matthæus Chriſtadoro Canonicus Cathedralis Eccleſiæ.
S. Th. & V. I. D. D. Carolus Finochiaro Præpoſitus Eccleſię Collegiatę Catan.
D. Laurentius Promontorio Theſaur. Eccl. Coll. Catan.
V. I. D. D. Vincentius Cordaro Cantor Eccl. Coll. Cat.
V. I. D. D. Io. Andreas Trigona Præpoſitus Eccleſię Collegiatę Platię.
V. I. D. D. Iacobus Trigona Cantor Eccleſ. Coll. Plat.
V. I. D. D. Melchior la Monaca Theſaurarius Eccleſ. Collegiatę Platię.
S. T. D. D. Franciſcus Scopazzo Protonotarius Apoſtolicus, & Archiprçsbyter Aydonenſis.
V. I. D. D. Martinus Trigona Platię Protonot. Apoſt.

Cap. III.

De Teſtibus Synodalibus.

1 ex decr. Innocen. 3. c. ſicut olim de accuſationibus.

Perantiquata videtur, & propemodū abolita cōſuetudo teſtium Synodalium, quorum intereſt 1; ſedulò, & aſſiduè abſque vlla quidem iuriſdictione inueſtigare vtrum hę Synodales conſtitutiones inuiolatę executio-

tioni mandentur, atque ſi quid, vbi locorum ipſi degunt, emendatione dignum compererint, etiam iniuſſos, ſuaque ſponte Epiſcopo renunciare, vt malis alicuius momenti opportuno occurrat remedio. Nos igitur Sacrorum Canonum ſanctionibus inhęrendo per ſingulas regiones noſtrę Diœceſis viros Eccleſiaſticos, quorum probata virtus eſt, morumq; grauitas teſtes Synodales deputamus, dato prius nobis infraſcripto iuramento.

6 *Ego N. Teſtis Synodalis ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, ac iuro, me poſthac quidquid nouerim, aut audiuerim, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſti fidem, morumque integritatem, bonamque viuendi rationem in Vrbe, vel Diœceſis regione mihi commiſſa factum ſit, vel faciendum quocunque modo ſi ſciuero, aut indicatum fuerit mibi Synodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Illuſtriſſimi Epiſcopi pertinere, nec propter humanum timorem, nec propter præmium, aut alias affectiones cœlaturum Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Epiſcopo, aut eius Nuncio, quem his de rebus inquirere iuſſerit, quandocunque me ſuper hæc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia.*

Teſtes igitur Synodales erunt.

In Vrbe Vicarius Generalis. Prior Eccleſiæ Cathedralis: & Præpoſitus Eccl. Collegiatæ Catan.

7 Pro ſingulis verò Ciuitatibus, & Terris, ſeu oppidis noſtræ Diœceſis erit Vicarius foraneus, & Primarius Parochus, ſeu Curatus Cappellanus vniuſcuiuſque loci.

Reuiſores librorum.

S. T. P. P. Octauius Tedeſchi Soc. Ieſu.

P. Laurentius Finocchiaro Soc. Ieſu.

Cap. IV.

Admonitio generalis de Synodalibus Conſtitutionibus.

8 Quoniam fratres dilectiſſimi ſuprapoſitas omnes huius Synodi ſanctiones ex Sacris Canonibus, Concilijs, Pontificijs diplomatibus, et Sanctorum Patrum doctrina, ſed potiſſimum è ſacroſancta, & œcumenica Trid. Syn. Sacrarumque Congregationum, & Romanę Rotæ declarationibus, & rituali nouiſſimè edito erutas cuncti quotquot ad hanc Diœceſanam Synodum conueniſtis ęquo animo habuiſtis, & in hac ampliſſima veſtri conſeſſus panegeri, è ſuggeſtu promulgatas communi applauſu per illud identidem repetitum, noſtriſque auribus pergratiſſimum verbum *placet* approbaſtis, acceptaſtis, & qua decet obedientia, ac religione ſedulò ſeruare, ſeruandaſque curare ſpopondiſtis.

9 Nos quoque auctoritate, qua Dei, & Apoſtolicę ſedis gratia fungimur, recipimus, & confirmamus; ad quarum obſeruantiam omnes cuiuſque ſtatus, & conditionis obligamus, & inuiolabilium legum vim poſt duos ab hac publicatione elapſos menſes obtinere, ac ſi ſingulis intimatę fuiſſent, declaramus. Interpetrationē, & explicationem difficultatum, ſi quę ſuborientur, atque aliquando pro perſonarum, temporumque circūſtantijs diſpenſandi poteſtatem nobis reſeruamus. Similiter ſi fortè nouus emerſerit caſus hac Synodo non cōprehenſus, aut ſi pœna alicubi non eſt appoſita, ea hic addēdi nobis liberum eſſe declaramus, ſicuti etiam appoſitas, atque taxatas pœnas commutandi facultatem nobis ad libitum reſeruamus. Om-

9 Omnia autem, & ſingula, qua par eſt, animi demiſſione, & reuerentia S. R. Eccleſię correctioni, auctoritatique ſubijcimus.

INDVLTVM GENERALE.

10 Vobis Fratres dilectiſſimi, qui huic Synodo pręſentes eſtis, & in veſtri gratiam, atque ad facilitandam morum reformationem toti Clero, omnibuſque Eccleſiaſticis noſtrę ſpirituali iuriſdictioni ſubiectis, veniam abſolutam, & indultum generale de omnibus quibuſcumque ſceleribus, & delictis patratis, aut per vos patrari factis ad pręſentem vſque diem decimam quartam Maij anni 1668. dummodo non fuerit de illis nec ad partis, nec ad fiſci inſtātiam res, & cauſa in forum externum, & iudicium deducta.

11 Omnes in Domino oramus, hortamurque vt nouis, ſanctiſque moribus imbuantur, & quę retro ſunt obliuiſcentes ad deſtinatum perſequantur brauium ſupernę vocationis Dei in Chriſto Ieſu, Cui laus ſit, & gratiarum actio in ſęcula ſęculorum. Amen.

Gratiarum actio, & Benedictio.

12 Cęterum rerum omnium Prępotenti Deo, qui Synodum hanc tot annorum votis expetitam cępiſſe dedit, & perficere, eiuſque ſine labe conceptæ Genitrici, in cuius peruigilio ieiunium ex præcepto obſeruandum à cunctis in noſtra Diœceſi edicimus, & mandamus, & Diuæ Agathæ Virgini, & Martyri Cataneſi, quam totius Diœceſis principalem Patronam elegimus, atque etiam eiuſdem feſtum diem, ſcilicet quintum Februarij, ex præcepto colendum communi Synodali conſenſione iubemus per totam Diœceſim, & hac Sy-

nodali conſtitutione confirmamus, honor ſit, gloria, & immortalis gratiarum actio.

13 Super vos autem filij dilectiſſimi, Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia, eiuſdemque Dei Patris, & Spiritus Sancti benedictio deſcendat, & maneat nunc, & ſemper, & in ſęcula ſæculorum. Amen.

Concionem ſacram ad Synodales P. P. habuit, P. Ioſeph de Andrea Soc. Ieſu.

Orationem. P. Franc. Intorcetta eiuſd. Soc.

Dimiſſio ſeſſionis Synodalis.

Lector è Pulpito intonauit

Poſt gratias Deo actas Reuerendi Patres, ite in pace.

Qui reſponderunt: Deo gratias.

Deinde omnes alta, & intelligibili voce acclamarunt

Sanctiſſimo Domino Noſtro Pontifici Clementi Nono, & Catholico Regi noſtr o Carolo Secundo, atque Illuſtriſſimo Noſtro Epiſcopo Catanenſi Fr. Michaeli Angelo Bonadies multi anni, fęlix, & æterna memoria.

Amen. Amen.

FINIS.

ERRATA CORREXISTI AMICE LECTOR:

Nos enim recentiorum. & quidem ſapientum, Scriptorum inſtitutum ſequimur, qui poſt vbi ſe operam, ſudoremque perdidiſſe vident in euitandis, tollendiſque mendis, quæ malo quodam typographiæ neceſſario in ſuos libros ſubrepunt, grauiora dumtaxat calamo emendanda curant; leuiora vero, & quæ ipſe met *Lector* facile aduertere poteſt, eius prudentiæ, & humanitati excuſanda, & corrigenda libentiſſimè relinquunt. id ipsũ nos fecimus, niſi venalis eiuſdem Typographi fides, in qua eſſe oportuit, ſpem noſtram feſellerit; ideoque ab erratorum catalogo abſtinuimus. Vale.

CATALOGVS
EORVM, QVI INTERFVERVNT
Synodo Diœceſanæ celebratæ in Vrbe Catanæ die 11. 12. & 13. Maij 1668.

Dignitates, & Canonici Cathedralis Eccleſiæ.

D. Fedéricus Perremuto Vic. Gen. & Archidiaconus.
D. Valentinus Bonadies Prior.
D. Innocentius Graſſo Cantor.
D. Marius Bonaiuto Canonicus.
D. Franciſcus Strano Canonicus.
D. Eraſmus Bonaccurſo Canonicus.
D. Bartholomæus de Oddo Canonicus.
D. Franciſcus de Stephano Canonicus.
D. Ignatius Muxmarra Canonicus.
D. Ioſeph Celeſtre, & Vigintimilijs Canonicus.
D. Alexander Rizzari Canonicus.
D. Ioannes Baptiſta Graſſo Canonicus.
D. Nicolaus Tudiſco Canonicus.
D. Cæſar Farace Canonicus.
D. Matthæus Chriſtadoro Canonicus.

Beneficiati, ſeu Secundarij, ac alij eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis.

D. Ioſeph de Vrſis.

D. Ste-

D. Stephanus Scuderius.
D. Agathinus de Marchiſio.
D. Sebaſtianus de Nicoloſio.
D. Ioannes Baptiſta Baſilius.
D. Alphius de Marino.
D. Nicolaus Marletta.
D. Nicolaus Pappalardo.
D. Franciſcus Scotus.
D. Iacobus Nicosìa,
D. Antoninus Polizzi.
D. Petrus Spagnolo.
D. Ioannes de Raynerio, & Belluto Magiſter Capellanus eiuſdem.
D. Antoninus Marletta Magiſter ceremoniarum Capituli eiuſdem.
D. Vincentins de Mauro Capellanus eiuſdem.
D. Andreas Barbagallo Capellanus eiuſdem.
D. Proſper Gagliano Capellanus eiuſdem.
D. Eraſmus Priuitera Capellanus eiuſdem.
D. Franciſcus Petralìa Manſionarius eiuſdem.
D. Ioſeph Vita Manſionarius eiuſdem.
D. Vincentius Cerrato Manſionarius eiuſdem.
D. Antonius Caruſo Manſionarius eiuſdem.
D. Dominicus de Laudano Manſionarius eiuſdem.
D. Petrus de Cunſulo Manſionarius eiuſdem.
D. Franciſcus Penniſio Manſionarius eiuſdem.
D. Saluator de Aſaro Manſionarius eiuſdem.
D. Blaſius Arena Sacriſta maior.

Dignitates, & Canonici, ac alij Collegiatæ Sanctæ Mariæ de Eleemosyna Vrbis Catanæ.

D. Carolus Finichiaro Præpoſitus.

D. Lau-

D. Laurentius Promontorio Theſaurarius.
D. Vincentius Cordaro Cantor.
D. Iacobus Sapuppo Canonicus.
D. Thomas Buffone Canonicus.
D. Ioannes Clementia Canonicus.
D. Ioſeph de Raymundo Canonicus.
D. Natalitius Brunetti Canonicus.
D. Stephanus Pulucrenti Canonicus.
D. Octauius Pappalardo Canonicus.
D. Petrus Finichiaro Canonicus.
D. Vincentius Portio Canonicus.
D. Franciſcus Oliua Canonicus.
D. Ioſeph la Roſa Canonicus.
D. Paulus de Manfrido Canonicus.
D. Franciſcus Cultraro Canonicus.
D. Ignatius Griſà Canonicus.
D. Sanctorus Oliua Canonicus.
D. Antoninus Baeli Supernumerarius eiuſdē Eccleſiæ.
D. Antoninus Lancilotto Supernumerarius eiuſdem.
D. Vincentius Camarda Supernumerarius eiuſdem.
D. Carolus de Petro Supernumerarius eiuſdem.
D. Gregorius Continella Capellanus eiuſdem.
D. Petrus Patania Magiſter Ceremoniarum eiuſdem.
D. Eraſmus Rinaldo Manſionarius eiuſdem.
D. Philippus Piſce Manſionarius eiuſdem.
D. Nicolaus Macri Manſionarius eiuſdem.
D. Antoninus Giardina Manſionarius eiuſdem.

Canonici Collegiatæ Sanctæ Mariæ Aſſumptæ Ciuitatis Platiæ, qui interfuere eidem Synodo.

D. Hyacinthus de Fide Canonicus.

D. Bartholomæus la Porta Canonicus.
D. Petrus Trigona Canonicus.
D. Placidus Trigona Canonicus.
D. Ioſeph Buttà Canonicus.
D. Leonardus Petrapertia Canonicus.
D. Heronymus Caſcio Canonicus.
D. Paulus Trigona Canonicus.
D. Ignatius Malteſe Canonicus.
D. Carolus Calaſcibetta Canonicus.
Dignitates, ac reliqui Canonici Platię iuſtis de cauſis excuſati fuerunt ab Epiſcopo.

Beneficiati, ſeu Secundarij eiuſdem.

D. Ioſeph de Accurſio.
D. Franciſcus lo Preſti.
D. Angelus Mangiapira.
D. Ioſeph Philippus Ciancio.
D. Carolus Contrafatto.
D. Paulus Ferlito.
D. Franciſcus Magro.

Rectores, Parochi, & Archipræsbyteri.

D. Petrus de Sancto Angelo Rector Matricis Sanctæ Mariæ Ciuitatis Ennæ.
D. Vitus Tennirello Rector eiuſdem.
D. Carolus Herbicella Parochus Eccleſiæ Sancti Ioannis Baptiſtæ eiuſdem Ciuitatis.
D. Fęlix de Mauro Parochus Eccleſiæ Sancti Bartholomæi eiuſdem Ciuitatis.
D. Ioannes Baptiſta Belardo Parochus Eccleſiæ Sancti

Bla-

Blaſij eiuſdem Ciuitatis.
D. Franciſcus Seminatore Parochus Eccleſię Sācti Leonardi eiuſdem Ciuitatis.
D. Paulinus de Anca Parochus Eccleſiæ Sancti Petri eiuſdem Ciuitatis.
D. Vincentius Riccobene Parochus Eccleſię Sancti Leonis Epiſcopi Catanenſis eiuſdem Ciuitatis.
D. Franciſcus Scopatius Archipræsbyter Matricis Eccleſiæ Ciuitatis Aydonis.
D. Balthaſar Cremona Archipręsbyter Eccleſię Matricis Oppidi Petræperdiæ.
D. Honuphrius Rapiſarda Archipręsbyter Matricis Terræ Trium Caſtanearum.
D. Franciſcus la Porta Parochus Eccleſiæ Parochialis animarum Sancti Purgatorij oppidi Leonfortis.

VICARII FORANEI.

D. Petrus Vincentius Malteſe Vicarius Ciuitatis Ennæ.
D. Philippus Rinaldo Vicarius Ciuitatis Agyræ.
D. Nicolaus Ranzulla Vicarius Ciuitatis Calaxibettę.
D. Ioſeph Cauallaro, D. Marius Strano, & D Ioannes Baptiſta de Cunſulo Vicarij Acis.
D. Paulus Ruſcica Vicarius Ciuitatis Paternionis.
D. Antoninns Rubulotta Vicarius Ciuitatis Hadrani, ſeu Adernionis.
D. Ioſeph Vinci Vicarius Ciuitatis Aydonis.
D. Carolus Citrolo Pro Vicarius Ciuitatis Aſſori, ſeu Aſari.
D. Vitus Tirante Vicarius Ciuitatis Rayhalbuti.
D. Petrus Coniglione Vicarius Caſtri Acis.

D An-

D. Antoninus Sortino Vicarius Oppidi Barrę francę.
D. Ioſeph Bonaſſino Vicarius Oppidi Petręperttę.
D. Franciſcus Galati Vicarius Oppidi Moctę Sanctę Anaſtaſiæ.
D. Antonius Cali Vicarius Oppidi Centum rupium.
D. Ioſeph Gemma Vicarius Oppidi Blancæ villæ.
D. Matthæus Bellia Vicarius Oppidi Malpaſſi, & Nicoloſiorum.
D. Franciſcus de Epiſcopo Vicarius Oppidi Leonfortis.
D. Laurētius Principato Vicarius Oppidi Valguarnerę.
D. Philippus de Sancta Agatha Vicarius Terrę Monaſterij Albi.
D. Eraſmus Giuffrida Vicarius Terrę Sancti Ioannis de Galermo.
D. Antonius Giuffrida Vicarius Terrę Placarum, ſeu Grauinæ.
D. Petrus Pellegrino Vicarius Terrę Sancti Petri.
D. Petrus Paulus de Stephano Vicarius Terrę Campirotundi.
D. Ioſeph Duſcid Vicarius Terrę Montis Pilerij.
D. Paulus Abbate Pro Vicarius Terrę Pidarę.
D. Ioſeph Nicoloſi Vicarius Terrę Viæ Magnæ.
D. Leonardus Zappalà Vicarius Terrę Sancti Ioannis la Punta.
D. Alphius Gugliermino Vicarius Terrę Trium Monaſteriorum.
D. Franciſcus Martiano Vicarius Terrę Trapeti.
D. Leonardus Scalia Vicarius Terrę Sanctę Agathę.
Omnes Capellani Eccleſiarum Sacramentalium, Monaſteriorum Monialium, & locorum piorum Vrbis, & Diœceſis.
Maior pars Suffraganeorum, & Beneficiatorum.

D. Tho-

D. Thomas Tudiſco Procurator Cleri Vrbis Catanę.
Procuratores Cleri vniuſcuiuſque Ciuitatis, Oppidi, & Terrę Diœceſis.

In ipſius Synodi initio hoc ſtabilitum, & publicatum fuit Decretum de præiudicio non afferendo ſcilicet.

Decernimus, ſi cui contigerit ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut vocari, aut aliud quippiam agere, propterea nemini nouum ius acquiri, nec quicquam de cuiuſque iure; poſſeſſioneue detrahi, ſed in eo ipſo ſtatu permanere, in quo ante hanc Synodum eſſe reperiebatur

F I N I S

INDEX

SESSIONVM, ET DECRETORVM.

SESSIO PRIMA

De iis, quæ ad diuinum cultum immediatè ſpectant: de fide diuina, doctrina chriſtiana, ſanctis ſacramentis, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio fol.3.

Decretum 1. De fide Catholica ibid.
Decr. 2. De Sacramentis f. 32.
Decr. 3. De Baptiſmo f. 46.
Decr. 4. De Confirmatione f. 60.
Decr. 5. De Euchariſtiæ Sacramento, & de ſacrificio Miſſæ f. 65.
Decr. 6. De Sacramento pœnitentiæ f. 115.
Decr. 7. de Sacramento extremę vnctionis f. 135.
Decr. 8. De Sacramento Ordinis f. 144.
Decr. 9. de Sacramento Matrimonij f. 161.

SESSIO SECVNDA.

De Veneratione Sanctorum, & cultu Eccleſiarum f. 179.

Decr. 10. De ſanctis reliquijs ibid.
Decr. 11. De ſacris imaginibus, & ſigno Sanctę Crucis f. 183.
Decr. 12. De Proceſſionibus Eccleſiaſticis f. 184.
Decr. 13. De ſcœnicis repręſentationibus f. 191.
Decr. 14 De Miraculis, Votis, Votiuis donarijs, & ſacra paſſione recolenda f. 192.
Decr. 15. De primitijs, & decimis ſoluendis f. 195.

Decr. 16. De Templis, & Altaribus f. 197.
Decr. 17. De Immunitate Eccleſiarum, & de confugientibus ad ipſas f. 214.
Decr. 18. De viſitatione Eccleſiarum ab Ordinario facienda f. 216.

SESSIO TERTIA.

De perſonis diuino famulatui addictis ſiue Eccleſiaſticis, ſiue laicis f. 226.
Decr. 19. De Eccleſiæ Cathedralis miniſtris ibid.
Decr. 20. De Collegiatis f. 265.
Decr. 2 . De Parochis, cęteriſque animarum curam habentibus f. 272.
Decr 22. De Seminario Clericorum f. 276.
Dęcr. 23. De Regularibus, & exemptis f. 288.
Decr. 24. De Eremitis, tū Clericis, tū ſęcularib. f. 296.
Decr. 25. De Beneficiarijs f. 299.
Decr 26. De vita, honeſtate, & habitu Cleric. f. 301.
Decr. 27. De ſodalitatibus, & confraternitatib. f. 315.
Decr. 28. De Eleemosynarum quæſtoribus f. 322.
Decr. 29 De Miniſtris Piorum locorum, de legatis pijs, & de Hoſpitalibus f. 323.
Decr. 30. De Monialibus f. 331.
Decr. 31. De Tertiarijs Mulieribus f. 372.
Decr. 32. Ee Immunitate Eccleſiaſticorum, eorumque bonorum f. 374.

SESSIO QVARTA.

De ijs, quæ ad forum iudiciale ſpectant f. 379.
Decr. 33. De publicis ſcādalis, & abuſib. extirp. ibid.
Decr. 34. De foro iudiciali, & officialibus Curiæ Epiſcopalis f. 403.
Decr. 35 & vltimum. De Examinatoribus, Iudicibus, & Teſtibus Synodalibus f. 420.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Prior numerus folium. Secundus eiuſdem folij §. *ſeu numerum marginalem notat.*

A

Abbates regulares f. 160. 50
Abbatiſſæ electio 364. 125
Abuſus extirpandi 379.
Acclamatio 428.
Actuarij C. Epiſ. 418. à 54.
Acclamatio in fin. Synod. 428.
Admonitio generalis de synod. conſtitut. 426. 8.
Adulti quādo baptizādi 48 à 6.
Adulterorum pœnæ 396. 45.
Aduocati officiū. Vide clericus.
Aduocatus fiſcal. Cur. Ep. 413.
Ærarij, ſeu Algozirij C. Ep. 419.
Affinitatis linea 165.
S. Ahathæ commemoratio in choro 246. 56.
Aloyſius Branciforti Archid. 241. 38.
Alphōſi Regis pragmat. 376. 9.
Altare 203. à 24.
Alumni vide Seminarium.
Anniuerſario defunct. 390. 32.
Apoſtata 291. 15.
Ara, in qua Epiſcop. ſacrificat 100. 101.
Aræ portatiles, ſeu *marmuretta* ſacra 204. 28.
Archidiaconus Ecc. Cath. 241.
Archiuiū, & Archiuarius 416.
Arma clerici ne deferant 306. à 23.
Cum armis intra oratoria Confratres & ſodales ne ingrediantur 319. 16.
Nec intra clauſurā monialium 339. 28.
Aromatarius non ſit clericus 306. 20.
Artifices propè Eccleſ. 212. 63.
Aſſeſſor, ſeu Conſultor Cur. Epiſc. 412. 26.
Aſſeſſor, & Conſultor Vicarij foranei 407. 10.
Aſſiſtēres in miſſis ſolē. 106. 127

B

Baccanalia clericis prohibentur 305. 18.

Baptiſmi inſtitutio 46 à 1.
Baptiſmi miniſter n. 10.
Baptizandi filios mos laudabilis Regum Catholic. 52. 17.
Baptizatorum nomina 51. 15.
Baptizatorum Patrini, ſeu ſuſceptores 52 18.
Baptizandi ſub conditione infantes expoſiti 55. 26.
Baptiſterium quale 53. 32.
De Beneficiarijs 299.
Beneficiati Cathed.ecc. 248. 63
Beneficiorum aggregatio facta Dignit. Ecc. Cath. pro preb. à 263. 125.
Beneficiorum reuelatio 299. 4.
Beneficiati, qui horas canon. recitare tenentur. 403. 60.
Bibliopolæ 26. 56.
Blaſphemantiũ pœnę. 393. 36.

C

Cadauera loco depoſiti 211. 58
Cadauera in loco excelſo ne condantur 210 55.
Cadauera occiſorum 211. 58.
Cadauera expoliantium pœnæ 210. 55.
Cadauera vide exequiæ.
Non transferãtur, neque exhumentur ſine licent. 390. 31.
Campanile 212. 60
Canonici Eccl. Cath. 242. à 40.
Cantoris dignitas 240. 31.
Cantores vide muſici
Quatuor Cappellani Cath. Eccleſ. 259. 109.
Cappellani impediti 109. 137.
Cappellanias binas nemo teneat 109. 138.
Cappellanus Curatus populum in miſſa quæ moneat 14. 19.
Cappellani monialiũ miſſas ſui monaſterij dicunt 114. 156.
Cappellani in ſolemnitatibus aſſiſtant ſuæ Eccleſiæ 406. 5.
Cappellæ Iuris Patron. 109. 47.
Capitulũ Cath. Eccl. 249. à 65.
Capituli officiales 251. 74. & n. 82.
Capituli Cathed. obſeruationes in funeribus 261 à 118. & 258. 21.
Menſa Capitularis 262. 121.
Capitulũ Collegiatarum. Vide Collegiatæ.
Capitul. Cath. quibus proceſſion. intereſt 264 à 126.
Capitulũ Colleg. vide Colleg.
Capitalia locorũ piorũ 411. 24.
Carceres Epiſcop. frangentis pœnę 402. 63.
In illis rixantiũ pœnæ n. 64.
Carnes diebus vetitis qui emere poſſunt 396. 44.

Catalogus feſtorũ ex præcepto 384. 14.
Catalogus eorum, qui Synodo interfuere.in fine.
Cathedra Epiſcopi 200. 14.
Cathedralis Eccleſia 220.
Caſus reſeruati Epiſcopo 131.
Caſuum conſcientiæ lectio 124. 27. & 309. 34.
Cauſę fiſcales 410. 18.
Chriſma 60.
Chorus. 244 49. & 201. 15.
Claues ſacrorum vaſorum, qui teneat 43.27.
Clauſura vide moniales.
De clericis 301.
Eorum vita, & veſtes 302 à 4.
Negotia forenſia ne exerceant n. 19. Concubinatorum pœnæ n. 27. Cantui gregoriano dent operam n. 33.
Clerici peregrini f. 309. 36. qui extra diœceſim proficiſcuntur. n. 37.
Clericus habitum ne dimittat, aut ſumat ſine licentia 310. 39. officia vilia ne exerceat n. 41. ne ludant. n. 43.
Clericorum cõcubinatorum pœnæ 38. 27.
Clerici ne facinoroſos receptẽt; nec eorum internuncij ſint n. 49. & 49.
Monetam falſificantium pœnæ n. 50.
Clericis cõceduntur priuilegia refugiũ domus, & alia 315. 54
Clerici, quę officia exercere nequeunt 310. n. 41. 42. 45. & 45.
Clerici poſt ann. 24. ætatis ad quid tenentur 147. 11.
Collegiata Catanenſis 265.
Collegiata Platienſis 269.
In comœdijs, aut Trag. non ſit actor 191. 2.
Cœmeteriũ 211. 59. vide Eccl.
Comædi venales 191. 3 & 4.
Comas ne clerici nutriant 304. 11.
Communio ſacra frequentanda 70. 18.
Cõmunionis præceptũ 77. à 40.
Communio infirmorũ 81. 51.
Concionatores 14. à 18.
Concionatores in vicis villarum Catanæ, & Acis eligit Epiſcopus 20. 36.
Concionatoribus, qui debent alimenta, & expenſas præbere 21. 38.
Concionatores habent facultatem audiendi confeſſiones 21. 39
Concionatorũ exàmen 22. 43.

Con-

Concionatoris ſuggeſtus 202. 20.
Concio vide moniales.
Concio ſacra in Synod. 418.
Concionis tempore ne dicantur miſſę 104. 118.
Commiſſæ monaſteriorum ; ſeu conuerſæ vide monial.
Commiſſarij Curiæ Ep. 418. 58.
Confeſſionalia 202. 23.
Confeſſionis præceptū 134. 57.
Confeſſarij quid obſeruare debent 119. à. 10.
Confeſſarii complices peccati pœnitentis 125. 30.
Confeſſarij in vltimis pœnitentium voluntatibus 126. 32. & 36. & f. 130. 46. & f. 326. 16.
Extra Eccleſ. ne confeſſiones audiant 122. 19.
In pœnitentijs iniungendis 126. 35.
Confeſſarium vocatum ab infirmo nemo impediat 127. 37. & f. 130. 47. & f. 326. 41.
Confeſſarius in caſu neceſſitatis 127. à 38.
Cōfeſſarius Muti, vel Surdi 39.
Confeſſiones audiens non dum Sacerdos quas pœnas incurrat 128. 43.
Confeſſarij ſollicitantes 134. 57
Confirmationis ſacramentū 60.
Confraternitates 315. à 1. vide Regulares.
Congregationes ibidem.
Earum officiales n. 5. in exequijs quid obſeruent. n. 14. & 389. 23. in legatis pro maritandis n. 21. in explodendis vt vocant maſculis n. 15.
Non dimittatur aliquis ſine licentia Vicarij n. 23. In Proceſſionibus quomodo ſe gerant n. 24. ætas vt quis recipiatur, & det ſuffragiū n. 26.
Suas Eccleſias Regularibus ne concedant ſine licentia Epiſc. 321. n. 8.
Nihil vendant, aut pignori dēt ex oratorio ſine licent. Vic. n. 20. habeant ſuas conſtitutiones, & ſaccum, & inuentarium bonor. f. 315. n. 4. 11. & 12.
Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ 12. 13.
Concubinatorum laicorum pęnę 396. 45.
Conſanguinitatis, & affinitatis linea f. 163. & 165.
Conuerſæ monaſter. v. monial.
Conuerſæ mulieres, quas conuertitas, & ritiratas appellāt 371. 154.

Con-

Conſultor Epiſcopi 412.26. Vicarij foranei 407. 10.
Contractus vide monial.
Conuictores vide Seminar.
S. Crucis ſignum venerandum 183. 3.
Cuſtodiatus eleemosyna 195. 3

D

Decretũ particulare taxæ pro ſeminario 285. 36.
Decimæ, & primitiæ ſoluendæ 195. 1.
Decani cathedr. officiũ 240 32
Defunctorum miſſæ 107. 130.
Delegati munus 411. 25.
Denunciationes pro matrimonijs 167. vide matrimonium.
Denunciationibus incæptis ſi reueletur impedimentum, quid faciendum 170. 19.
Denunciantium malitioſè falsũ pœnę 170. 19.
Depoſitarius Capituli 253. 84.
Depoſita. vide monial.
Deputati pro Eremitis 297. 4.
Deputati hoſpitalium 310. 26.
Deputati ſeminarij 276. 2.
Deputati pro monialibus. Vide monial.
Dimiſſoriæ litteræ 154. 29.
Diuortia ne fiant ſine licentia. 176. 39.
Dignitates 238.
Quatuor dignitates Eccl. Colleg. Platiæ ſunt veri Parochi totius Vrbis, & ſuburbiorũ, 271. 25.
Doctrina Chriſtiana 10. à 12.
Domini temporales in cauſis ad fidem ſpectantibus ſeruorum ne ſe immiſceant 19. 11.
Domicilij priuilegium quis habet 310. 38.
Donationes fictas clerici reſcindant 309. 35. & 377. n. 10.

E

Eccleſiarum nitor, & cura 197. a 1.
Eccleſiarum nouarum ſtructura n. 2.
In Eccleſijs non ſint vendentes, nec negotiantes 206. 36. ab illis diſtent officinæ. ibid.
Eccleſiarum, præſertim ſacramẽtaliũ apparatos 206. a 38.
Supra Eccleſias non habitetur 212. 61.
Eccleſiæ dirutæ area, & locus 183. 3.
Eccleſiæ collabentes reparandæ 213. 64. dirutarum materia ſeruanda 213. 65.
Eccleſiæ rurales, & campeſtres 114. 152.

Eccle-

Eccleſiarum viſitatio ab Epiſc. facienda 216.
De Eccleſ. Cath. vide Cathed.
Eccleſiæ Colleg. Catanen. & Platienſis. vide Collegiata.
Eccleſiæ, ſeu oratoria laicorum ne Regularibus concedantur ſine licentia 322. 28.
Eccleſ. monialiũ. Vide monial.
Eccleſiaſticarum perſonarum, & bonorum immunitas 374.
Ad Eccleſias confugientiũ immunitas 214.
In Eccleſijs rixantium, aut vulnerantium pœnæ 402. 65.
Educandæ puellæ. vide monial.
Eleemosynæ non exigantur tẽpore cõmunionis 73. 28. nec dũ fit cõcio. Vide cõcionator
Eleemosyna taxata pro ſingulis miſſis 108. 132. & 141.
Electio Vicarij Generalis ſede vacante quo modo facienda 254. 91.
Epiſcopo ſolemniter ſacrificãti, ſeu ordinãti, aut Pontificalia exercenti, qui aſſiſtere debẽt 106. 127.
Eremitarum regulæ 296.
Euangeliorum liber cui debet ad oſculãdũ tradi. 101. 107.
Euchariſtiæ Sacramenti dignitas, inſtitutio, materia, & forma 65.
Euchariſtia in quibus templis, aut aris ſeruari poteſt 67. a 5. & à n. 29. Semper cum lampade intra chorum, vel ſepta moniaiiũ nõ ſeruetur 69. 12.
Quomodo, & quando adminiſtranda eſt 71. a 21.
Euchariſtia quando exponitur quid ſeruandũ 87. 66 & 73.
De Euchariſtia quando, & in quibus templis cãtari poteſt miſſa 88. 71.
Euchariſtiæ Proceſſiones 93. 81
Euchariſtiam Regulares ſine licentia ne exponant. 292. 24.
Euchariſtia. vide communio.
Examinatores synodales 421.
Excommunicati, quid obſeruẽt. 391. 33.
Exequiæ defunctorum quomodo agendæ ſunt 386. 15.
Exequiæ faciendæ Epiſcopo mortuo n. 17.
In exequijs, quid obſeruet Capitulũ Cathedr. 261. a 118.
Et quid confraternitates, ſodalitat. & congreg 319 14.
Cadauera in Rhedis non deferantur ſine licent. nec occultim, nec ſine vno ſaltẽ Sacerdote 329. 28.

De-

Defunctorum facies non colorentur 390. 30.
Anniuerſaria quando peragenda 390. 31.
Exequutores teſtamentorum legata pia adimpleant 324. 12.
Expoſitiones. Vide loca pia.
Eximentiæ pœnæ 423. 6.
Exorcizandi modus qui agere poſſunt, & quomodo 313. 51. & 393. 42.
Facies defunctorum non colorentur 390. 30.
Facinoroſi à Clericis ne receptentur 312. 48.
Famulæ monaſteriorum. Vide monial.
Feneſtræ quæ occludendæ 212. 16.
Feſti dies colendi 379. 31.
Feſtis diebus per vias res ne vendantur 383.
Nec Iudices cauſam dicant, nec pro ciuili debito perſonaliter conſtringant, nec notarij inſtrumenta cõficiant ibid. n. 4.
Comœdiæ obſcœnæ ne fiant feſtis ſolemnibus n. 7.
Feſtos dies Curati populo nuncient 383. 2.
Feſtorum dierũ Catalogus 384.
Fictæ donationes à Clericis deleantur 377. 10.
Fidei diuinæ laudes 3. 1.
Fidei profeſſio 4. 2. & qui eam tenentur emittere n. 4.
Fidei tuendæ ſtudium n. 9.
Fideiubere ſuper bonis patrimon. non poteſt clericus 311. 41.
Filiorum familias matrimonia quomodo fiant 171. 23.
Fiſci Patronus. vid. aduoc. fiſcal.
Fiſcales cur. Epiſc. 413. 33.
Flagelliferi mulctentur ſi ob flagellationem in proceſſ. pretio conducantur 190. 24.
Fœminæ. Vide mulieres.
Forum iudiciale Cur. Epiſc. 379.
Fori priuilegio qui, & quando gaudent 306. 22.
Fons aquæ benedictæ 200. 13.
Fons baptiſmi 558. 31.
Funera quomodo agenda. vide exequiæ.

G

Gratiarum actio pro Synodo feliciter expleta 427. 42.
Gregoriano calendario vtantur clerici 309. 33.

H

Habitum clericalem non aſſumat quis, neque dimittat ſine li-

licentia 310. 40.
Habitum ordinatus ſumat intra duos menſes. 310. 40.
Hæretici, & hæreſis ſuſpecti clã denuncientur 9. 9.
Hebdomada ſancta exponitur Euchariſtia 92. 79.
Homicidium clerici committẽs quas pœnas incurrit 401. 58.
Hoſpitalia infirmorum à quibus regenda, & viſitanda 330. 25.
Hoſpitia venalia per ſe clericus non exerceat 311.
In publicis hoſpitijs quid vitandum. 407. 9.

I

Ieiunium in vigil. Imm. Cõcep. eſt ex præcepto 385.
Imagines ſacræ quomodo tenẽdæ 180. 6 & 183. 1.
Imaginum pictores ad quid obligantur. 183. 4.
Imagines deformatæ reformandæ 184. 5.
Imago non canonizati non exponatur adoranda 184 7.
Immaculatæ Conceptionis Bullæ Apoſtolicæ ſeruandæ 292. 25.
Immunitas debita perſonis, & bonis Eccleſiaſticis 374. 1.
Immunitas confugientium ad Eccleſ 214.
Inceſtuoſorum pœnæ 398. 49.
Indulgentiæ ſine licentia nõ publicandæ 18. 29. & 292. 26.
Indulgentiæ aſſociantium Euchar. ad infirmos 86. 64.
Indulgentiæ doctrinæ Chriſtianæ Congr. 12. 14.
Indultum generale 427.
Infans ne periculo ſuffocationis exponatur 54. 24.
Infans ex vtero matris mortuæ extractus 54. 25.
Infans expoſitus, ſeu proiectus. 55. 26.
Infantium baptizatorum ſepultura 210. 53.
Infidelium conſortium vitandũ 27. 60.
Infidelibus ſacra ne dentur pignora 27. 63.
Infideles arceantur dum ſacramentum aliquod adminiſtratur 41. 19.
Infidelium filij quãdo ſunt baptizandi 48. 5.
Infidelis adultus moribundus ſi baptizatur, habeat, & extr. vnct. 137. 5.
Infirmorum communio 81. 51.
Infirmorum Confeſſarium nemo impediat 127. 34.

In-

Infirmi. Vide hoſpitalia, & monial.
Informationes ad Curiã Epiſc. mittendę 409. 14.
Iniurijs Eccleſiaſticos afficientorum pœnæ 401.
Intentio requiſita in ſacramentum adminiſtratione 38. 19.
Iudices Synodales 424.
Iudices vide aſſeſſores, & feſti dies.
Iudices conſeruatores regulariũ 291. 17.
Ius Patronatus beneficiorum habẽs ad quid tenetur 300. 2.

L

Lamentatrices à funeribus arceantur 390.
Lampas ſaltem vna ſemper ardeat ante Euchar. 68. 10.
Laſciuæ cantiones in Eccleſijs non permittantur 113. 148.
Lectio caſuum conſcientię 222. 4. & 309 34.
Lectum. Vide monial.
Legata pia pro miſſis 108. 132. & 143.
Legata pro puellis maritandis 320. 21. & 324. 5.
Legatorum piorũ exequutores 223.
Legata falſis teſtibus probãtiũ pœnę 325. 9.
Legata pia occultãtium pœnę
Lenonis pœnę 399. 51.
Libellorum famoſorum pœnę 26. 55. & 403. 67.
Liber nullus imprimatur, aut vendatur ſine licentia ordinarij 23. 44.
Librorum prohibitorum indicẽ qui habeat 25. 52.
Libri relicti à defuncto 26. 58.
Libri Sacerdotum 27. 59.
Libri Parochorum 42. 23.
Libri demortui Parochi ad quos deferendi 406. 6.
Libri tenendi ab Archiuarijs. 417. 53.
Liber in ſacriſtia in quo miſſę celebratę quotidie ſcribãtur. 110. 140.
Lites ne protrahantur 408. 11.
Litteras alienas aperientium pœnę 401. 57.
Loca omnia pia ſubduntur Epiſcopi viſitationi 327. 14.
Locorum piorum bona temporal. non pignori detur, nec alienentur ſine licẽtia 327. 15.
Loca pia habeant depoſitarium 328 18. & 21. 22.
Locorum piorũ Rectores quas expenſiones facere poſſunt, 328.

328. 20. & 23.
Luctus cauſa miſſa non omittatur 382. 9.
Luctus vide moniales.
Ludi prohibiti clericis 311. 43.
Ludentium pœnę feſtis diebus 383. 13.
Ludi, & ſpectacula prope moniali. monaſt. ne fiat. 334. 10.

M

Macellationes carnium Clerici ne exerceant 312. 47.
Magiſtri ſcholarum, quid obſeruare debeat 18, 65.
Magiſtri Cappellani officium 256. 101.
Magiſtri Cęremoniarum Capituli munus 258. 106.
Magiſtra nouitiarũ vide moni.
Magiſter Notarius Cur. Epiſ. 413. 34.
Manſionariorum cathedr. officium 259.
Manſionarij colleg. Catan. 268. 124.
Maior Eccleſiæ cathed. Sacriſta 259. 112.
Maleficiorum pœnę 393. 38.
Maſcheratus clericus ne incedat 305. 18.
Matrimonij ſacramẽtũ 161. a 1.
Tempus, locus, & ritus illud celebrandi 173. 28. & 34.
Linea conſanguin. & affinitatis. 163. & 165.
Denunciationes pro matrimonijs Catanæ fiant in Cathed. 167. n. 7. vide denũciation.
In matrimonijs filiorum familias quid obſeruandũ 171. 23.
Tempora quibus prohibentur nuptiæ 172. 24. & 35.
Matrimonio contracto ſine denunciationibus, fiant poſtea 172. 25.
Matrimonium non contrahatur ſine licentia Vicarij 175. 33.
Ad matrimonium ſeruos ſuos ne cogant domini 177. 40.
Pro maritandis legata exequenda 324. 5. 6. & 9.
Menſa capitularis 263. 121.
La Mecha Eremus 297.
Medici officium clericus ne faciat 306. 20.
Mercaturas, & negotiation. clericus ne exerceat 306. 21.
Meretrices prope moniaſt. monial. non habitent 334. 9.
Meretricum domos clericus ne intret 309. 32.
Miracula noua 192. 1.
Miſſæ ſacrificij dignitas 96. 90.
Miſſam nouã celebrans 97. 92.

Ad Miſſam requiſita in altari 99. 97.
In Sacerdote, & miniſtro 101. 108. & n. 122.
Miſſa in oratorijs priuatis 100. 102.
Miſſam inchoatam nemo reaſumat, neque pro miſſa aliquē in altari Sacerdos præſtolētur 103 114.
Miſſa ſolemnis, ſeu cantata 106. 127.
Miſſę votiuæ, & Defunctorum 107. 130.
Miſſarum opera, & eleemosynę 108. 132.
Miſſæ anniuerſariæ 108. 133.
Miſſarum obligatarum liber ſit in ſacriſtia. 110. 140.
Miſſa prima, & vltima quo tēpore dici poteſt 113. 149.
Miſſæ in Eccleſijs ruralibus quādo ſunt dicēdæ 114. 152.
Miſſa in Eccleſijs monialium 115. 157.
De miſſæ ceremonijs bis in anno fiant congregationes 115 158.
Miſſas ſolemnes in cathedr. qui canere debent 147. à 59.
Miniſtros curię ſpiritualis percutiens, aut iniurijs afficiens quas pœnas incurrit 401. 60.
Monetam falſificantis clerici pœna 313.
Moniales 331.
Earum clauſura 331. non admittant infantes. ibid. n. 6.
Portę Eccleſiarum, & collocutorij quando claudendæ. 335. 12. Scalas ligneas amouibiles ne teneant ſine licētia n. 14.
Nec cantus, nec ſonus noctu prope monialium monaſteria ab externis fiant. 335. n. 15.
Monialiū Eccleſiæ quales 336. 16. in campanarum ſonu ne ſint nimiæ n. 22.
Intra monialium clauſurā, qui, & quomodo ingredi poſſunt. 338. 23.
Monialium chorus 340. Collocutiones cum externis 341. n. 35.
Monialium collocutorium 341. à 36.
De earum vita communi 344. 49. Proprium non retineant. 345. 51. Ne dent comeſtibilia monaſterij externis 345. 56. Redditus, & vitalitia quomodo teneātur. n. 58. & 70.

Co-

Comeſtibilia ad vendendum ne teneant, aut faciant 348. 59.
Moniales, quæ animalia tenere poſſunt 348 61.
Monialibus prohibetur munerum viciſſitudo 348. 63.
Depoſita ſine licentia ne recipiant 349. 65. famulam nulla habeat peculiarem n. 66. neque cellam n. 65. earum ædes ad operā manualia ſimul facienda. 349 64.
Monialium res in æde aliqua ſimul conſeruentur 349. n. 67.
Sericis rebus in lecto, & veſtitu ne vtantur. n. 67.
Profeſſa ſine velo non incedat. n. 69.
Luctum more ſęcularium ne faciant in obitu ſuorum n. 74.
Baccanales ludos ne faciant n. 75.
Epiſtolas ſine licentia ne ſcribant, mittant, aut recipiant, nec libros retineāt n. 7?. & 75
Pecunias mutuo, aut negotiationi ne dent. n. 78.
Monialium puritas 353. 79.
Frequentent cōmunion. & confeſſ. n. 80. lampadem in dormitorio teneāt noctu ſemper accenſam 81. cum extraordinarijs Confeſſarijs quo modo ſe gerant. 354. 86.
In lecto ſociam non admittant nullo prætextu n. 83. contractum nullum faciant 355. n. 88. in audiendis cōcionibus quid obſeruent 355. 87.
Cum infirmis qua ratione ſe gerant 355. 87.
Nouitiarum requiſita 357. 94.
Earum dotes 358. à 101. & alimenta n. 103.
In habitu ſuſcipiendo, vel emittēda profeſſione quos ſumptus facere poſſunt 359. 105.
Nouitiatus non protrahatur ſine licentia 359. 107.
Nouitiarum magiſtra quæ 360. n. 108. & 109.
Educandæ quæ admitti debēt. & quomodo ſe gerant 361. à 113.
Alimentorum dent ſecuritatem n. 115.
Si exit, ne ad monaſter. redeat ſine noua licentia n. 116.
Educandæ lectū, & veſtes 263. à 119.
Clauſuræ legibus obligantur n. 122.
Cum educandis ſponſis quid ſer-

ſeruandum 364. 123.
Electio Abbatiſſæ, & aliarum officialium 364. 125.
Cellerariæ, Sacriſtæ, Rotariæ, Ianitrices, & auſcultatrices. iiquæ 366. à 131.
Comitatrices fol. 339. n. 26.
Monialium Cappellani qui 369 à 144.
Procuratores monialium 369. à 144.
Cæteri externi officiales monialium qui ibidem.
Monialium famulæ, & conuerſæ 370. 149.
Monialium confeſſarius requirit ſpecialẽ facultatẽ 123. 32.
Moribundus ſenſibus deſtitutus abſolui quando poteſt 127. 40.
Mulieres ne diſputationes, aut dubia fidei inter ſe moueant. 10. 10.
Mulieres ſuſpectas clerici domi ſuæ ne teneant. 307. 26.
Mulieres Clerici tanquã famuli ne comitentur 312. 46.
Munſici in Eccleſia ne quid impurum cantent 113. 148.
Muſici ad Eccleſias monial ſine licentia accedere ne permittat cappellanus 368. 140.
Muti pœnitentis Confeſſio, aut ſurdi 127. 39.
Mutuũ. vide monial. & vſurarij.

N

Nefandi criminis pœnæ 389. 48.
Negotia forenſia clericus ne exerceat 305. 19. & 312. 47.
Neque negotiationes, & mercaturas negotiationes monialis ne exerceat 357. 78.
Nocturnas circumuagationes, & cantilenas clericus nõ habeat 308. 31.
Nomina in baptiſmate ponenda 51. 15. & in confirmatione 64. 13.
Notarij vocati ab infirmis ne impediãtur 127. 37. & f. 130. 47.
Notarii publici, ſeu Tabellionis officium clericus ne exerceat 306. 20.
Notarij legata pia reuelare obligantur 255. 8. & dare capitulum teſtamenti n. 12.
Nouitiæ vide moniales.

O

Oblationes fieri conſuetæ Eccleſijs 196. 6.
Obſtetricum munus, & requiſita 56. 28.

Occi-

Occiſorum cadauera. vide cadauer.
Octauius Branciforte Epiſcop. Archidiaconatum Cathedr. conſulit 241. 38.
Octaua Corporis Chriſti 91. 78
Officia vilia, & ſordida Clericus ne agat 310. 41.
Officia diuina ſolemnia in Cathedr. qui peragere debet. 247. 59.
Officiales legatorum, & locorũ piorum 323.
Officium diuinum. vide beneficiati, & chorus.
Organum 201. 19.
Olea ſacra quomodo cuſtodienda; & diſtribuenda 44. à 29.
Si deficit quid agendum 45. 32.
Oratio quadraginta horarum 87. 66. & n. 73.
Oratio ad Patres synodal. 428.
In Oratorijs priuatis Euchariſtia non adminiſtretur 73. 29.
In oratorijs priuatis quãdo miſſa celebrari poteſt 100. 102.
Ordo, ſacramentum 144.
Ordinationis generalis publicatio 145. 4.
Ordinandus quæ requiſita habere debet; quas litteras teſtimoniales, ſeu fides afferre 145. à 5. & fol. 153. à 27.
De prima tonſura 146.
Ordinati, qui ad vlteriores ordines aſcendere negligũt 147. 10.
An ordinandi ſint primogeniti diuitum 147. 10.
Ad ordines minores requiſita 148. 17.
Pro Subdiaconatu, & Diaconatu 149. 17. pro Sacerdotio. 151. 23.
De Patrimonio, ſeu beneficio neceſſario ad ordines, etiam ad primam tõſuram 149. 17. & n. 10. & fol. 147. 10.
Falſificantis Patrimonium pœnæ 147. 9. 17. 18.
Ordinandorũ examen 151. 22.
Pro ordinandis monita generalia 152. 24.
Ordinis cuiuſque proprium munus 152. 25.
Ordinandus Regularis 157. 43.
Ordinationis impedimenta 158 146.
Ordinationis cancellarius 160. 51.
Orphanarum puellarum domicilium 371. 154.

P

Pædagogi quid obſeruare debent.

bent. 28. 65.
Parentum percuſſores caſtigẽtur 400. 56.
Parentes propriam filiam proſtituentes puniãtur 399. 52.
Parochus quæ populum doceat in miſſa 14. 19.
Parochi per ſe ſacramenta miniſtrent 401. 17. eorum pœnę ſi negligentes ſint n. 18. quos libros teneant 42. 22. & fol. 174. n. 31. pro commun. in Paſchate quid faciant. 80 49. quibus diebus celebrare tenentur 104. 120. pro denunciationibus matrimonij 167. 7. quid pro matrimonio in facie Eccleſiæ obſeruẽt 170. à 18. cui poteſt committere aſſiſtentiam pro matrimonio 174. 32.
Parochi ab incognitis vxoratis fidem initi matrimonij petãt. 176. 36. in viduorum matrimonijs quid requirant n. 37.
De Parochorum, & Curatorum officio, & requiſitis 272. à ſua parœcia ne abſint 275. 14.
Parochi, & Curati animarum in omnibus proceſſionibus cũ ſtola ire poſſunt 409. 13.
Parlatorium, ſeu Collocutoriũ. vide moniales.
Paſſionis memoria recolenda. 194. 3.
Patrini, ſeu ſuſceptores baptizãdi 52. à 18. & in chriſmate 62. à 9.
Patrimoniorũ fictorum pœnę 147. 9.
Patrimon. valor 149. à 17. non alienentur 151. 20.
Peregrini Clerici 309. 36.
Percutiens Clericũ, aut vulnerans quas incurrat pœnas, 401. 58.
D. Petrus Paternò Archidiaconus 242. 38.
Pictores 383. 4.
Pœnitentiarius 222. 5.
Pœnitentiæ ſacramentum 115. à 1. eius miniſtri requiſita, vide confeſſarius.
Pœnitentes quæ ſcire debent vt abſoluantur 123. 22.
Pœnitẽtię pecuniariæ 126. 35.
Pœnitẽtię quę dandę ſunt. 133. à 54.
Portæ. vide moniales.
Prębenda Theologalis 222. 4.
Pręceptum cõfeſſionis quos, & quãdo obligat 134. 57 Pręceptum commun. 77 40.
Prima tonſura vide ordinan.

Primogeniti diuitum 147. 10.
Prægnantis demortuę infans extractus 309.
Præpoſitus Colleg. Catan. eſt verus Parochus. Eligit ſibi coadiutorem 268. 14 eſt prima dignitas.
Prępoſitus Colleg. Platienſis eſt prima dignitas, & quę fũctiones ad ipſum ſpectant. 271. 24.
Primitię, & decimę ſoluendę. 195. 3.
Primitiarum Decretum legendum bis in anno 195. 3.
Prioris Cathedral. munus 238. 25. eſt prima dignitas.
Priuilegio fori qui, & quando gaudeant 306. 22.
Priuilegio refugij domus, & alijs gaudent clerici ciues 315. 54.
Proceſſio Euchariſtię non fiat ſine lic. 88. 71. quomodo facienda, & qui intereſſe debent 93. à 81.
Proceſſiones Euchariſtię ſingulis octauæ diebus introductę Catanę ab Eminentiſſimo Cardinale Aſtallio 96. 88.
Proceſſiones Eccleſiaſticę, quãdo, & quomodo faciẽdę 184. 1. & 16.
Proceſſio ſolemnis Corporis Chriſti 186. 11.
Proceſſionum deputati n. 12.
Proceſſionibus interſit Capitulum, & Clerus 187. 14. 264. & 268. extra vrbem, aut oppidum ſine licentia ne fiant 185. 4. & 15.
Proceſſionibus cõtrouerſiæ ortæ de præcedent. à quo terminandæ 188. 17. & 192. 23.
Proceſſiones Regularium 189. 21. & 289. 10.
Proceſſio Paſſionis hebdomadę ſanctæ 189. 22. fiat Catanæ die paraſceue 190, 25.
Proceſſionibus quando, & qua ratione confratern. & ſodal. intereſſe tenentur 321. 24.
Procuras, vt aiunt in Capitulo quot vnus poteſt habere 253. 89.
Procurator. Vide monial.
Procuratoris munus in cauſis foren. clericus ne exerceat. 305. 19.
Profeſſio fidei 4. & 7.
Proprium. vide monial.
Puellæ noctu per vias ne incedant ad mendicandũ 323. 4.
Puellæ educãdæ. Vide monial.
Punctatorum chori officium 255. 93.

Quæ-

Q

Quæſtuarij regulares quid obſeruent 291. 19. quid Confraternitatum, vel ſodalitatum, quæſtuarij 320. 18. & 407. 8.
Decretum de quæſtuarijs 322.
Quæſtuarij nemo poteſt ſine licentia, & nõniſi die præſcripto n. 1.
Quarta funeralis ab omnibus debetur 388. 23.

R

Rebaptizati pœna 49. 8.
Rector ſeminarij 277. 4. & à n. 19. 20.
Refugiati in Eccleſia. Vide immunitas.
Regulares concionatores quid obſeruent 15. à n. 21. & fol. 16. 23.
Regulares ad audiendas confeſſiones, quæ requiſita habeãt. 121. 15.
Regulares pro proceſſionibus. 189. 21. 290. 10. & n. 28.
In quibus ſubduntur ordinario loci 288. 1. extra clauſtra commorantes ad quid teneantur 290. 14.
Regular. Iudic. Conſeruatores. 291. 17.
Regulares quo ad monial. 29.
Reliquiæ quomodo ſeruãdæ. 68. 9. & colendæ 180. 2. faciendæ recognitæ n. 4.
Reliquias furãtiũ pœnæ. 180. 10
Non traſferantur, nec inſignes ad infirmos aſportentur ſine licentia Epiſc. n. 9. non ferãtur in proceſs. Corporis Chriſti, nec exponantur in ſepulchro 181. 10.
Reliquiarum omnium inſigniũ inuentarium fit in noſtro Archiuio 182. 12.
Reliquiæ D. Agathæ quomodo populo exponantur ad deoſculandum 182. 12.
Renunciationes fictas clerici reſcindant 309. 35.
Repræsẽtationes ſcænicę 191. 1
Reparatarum mulierum domus 371.
Eas moleſtãtiũ pœnæ 372. 155.
Reuiſores librorum 425.

S

Sacerdos quæ obſeruet in miſſa. 101 à 108. quibus diebus teneatur celebrare 104. 120. pro vna miſſa ne duo ſtipendia ſumat 112. 145.
Sacerdos incognitus, peregrinus 112. 146.

Sacerdos publicè criminoſus n. 147.
Sacerdos ſuſpenſus 114. 154.
Sacerdos pro debito ciuili vnc. ſex carceribus addici non debet 378. 12.
Quos libros habere debet 27. 59.
Sacramenta in genere 33.
Sacramenta nouæ legis 33. 4.
Diſpoſitio in ſuſcipiente 38. 13. & 41. 19. pro adminiſtratione nihil exigatur 39. 15. quæ in ſuſcipiente requirunt vſum rationis 42. 21.
Sacramentorum vaſa, quæ, & quomodo cuſtodiēda 43. 26. & 28.
Sacra ſcriptura 13. 17.
Sacrarium 202. 22.
Sacrificium miſſæ Vide miſſa.
Sacriſtarum expoliantium cadauera pœnę 210. 45.
Sacriſtæ Maioris Cathedr. officium 259. 112.
Sacriſtia Eccleſiarum 199. 9.
Sæculares inter ſe de fide non diſpu:ent 10. n. 10.
Scandala publica remouenda 379.
Secretarius Capituli 251. 74. & 88.
Scęnicæ repręſentationes 191.
Sepulchrorum conditiones 209 50.
Sepulchra Eccleſiaſticorum diſtincta à ſepul. laicorum. 210. 52.
Sepulchrum Chriſti Domini in feria quinta hebdom. maioris 93. 80.
Sepulchra infantium 210, 53.
Seminarium clericorum 276.
Eius deputati n. 2. & 30.
Alumni Seminarij qui 277. 5.
Conuictores n. 6. ætas ibid. quę debent obſeruare 278. à 8. ad ſcholas Soc. Ieſu eāt n. 12. examinentur quotānis n. 14.
Seminarij Rector 277. 4. & 280 à 19. & 33.
Seminarij bonorū adminiſtratio 283. à 27.
Decretum particulare taxę pro Semin. 285. 36.
Seminarij officiales n. 37.
Sepellire. Vide exequiæ.
Seruilia ne fiant feſtis diebus 383. 10.
Sphæra Sāctiſſimæ Euch. 70. 14
Societatis Ieſu ſequēdus modus in Doctrina Chriſtiana 11. in gymnaſijs 31. ad ſcholas Societatis Ieſu eant Seminarij

rij Conuict.& Alum.279, 12
Societas Sanctiſſimi Sacramenti 84. 59. & 64.
Sodalitates 315. Vide congregation. & confratern.
Sodomiæ ſceleris pœnæ 398. 48.
Clerici ſodomitç pœnç 308.28.
Sollicitantes Cõfeſſarij 132.53.
So nus. vide monial.
Sponſorum cohabitâtiũ ante contractum matrim. pœnç 168. 11.
Stabularij munus clericus ne exerceat 311.42.
Stupri pœnæ 399. 50.
Surdi,aut muti cõfeſſio 127 39.
Superſtitiones vitandç 394. 39.
Suſceptores in baptiſmo 52.18.
In chriſmate 62. 9.

T

Tabella miſſarum in ſacriſtia. 108. 134.
Tabellio. Vide Notarij.
Tabernas clericus ne exerceat. 311. 42.
Tabernaculum Euchar. 67. 7.
Tempora quibus prohibentur nuptiæ 172. 4.
Templorum nitor, & cura 197. à 1. & à n. 3. Vide Eccleſia.
Tertiariæ mulieres 372.
Teſtes Synodales 425.
Theſaurarij Cathedr. officium 240. 33.
Tribunalia vide feſti dies, & de for. Iud.
Tutoris officium Clericus ſine licentia ne faciat 311. 45.

V

Valetudinarium monialiũ 356. 89. Vide hoſpital.
Vaſa ſacra pro adminiſtratione ſacramẽtorum 43. 26. & 28. & 31.
Vaſa Euchariſtiç.69. à 11.
Velum. Vide monial.
Verba ſcurrilia, & impura dicẽs in publico clericus quas pœnas incurrit. 308. 29.
Verberantis, aut vulnerantis clericum pœnç 401. 58.
Veſperç feſtis diebus quomodo cantandç 382. 8.
Viaticum Euchariſticum 81,51
Vicarij Generalis Sed. vac. electio quomodo facienda 254. 91.
Vicarius Gener. quid obſeruet 404. 2.
Vicarij foranei 405. 3.
Quando habent curam adminiſtrandi ſacramenta 406. 4.
Vidui contrahentes matrimo-

nium

nium 176.37.
Viſitatio Eccleſiarum facienda ab Epiſcopo 216.
Votiuæ tabellę, & dona 193.2.
Votum nemo in Capitulo pro altero pręſente ferat 254.90.
Votum de Immacul. Concept. 7.3.
Vſurariorum pœnę 399.53.
Z
Zimarras qui ferre poſſunt 303.4.

LAVS DEO.

VA1
1528188